sc. sup. 12. pl. 3.

31
10 D
5

Digitized by Google

Digitized by Google

JANSENIUS
EXARMATUS
IN
EPISTOLIS INSTRUCTIVIS
ET
ANTI-HEXAPLIS
SEU SCRIPTIS SEX COLUMNARUM
Adm. R. P. PAULI LUGDUNENSIS, CAPUCINI,
SS. THEOLOGIÆ LECTORIS
Contra modernos Janſeniſmi errores
& præſertim contra centum & unam
[redacted]
Propoſitiones
PATRIS QUENELLI
Damnatas à SS. D. N. PAPA CLEMENTE XI.
Quas Epiſtolas & Anti-Hexaplas
Ex Gallico idiomate in latinum tranſtulit, & in tres Tomulos diviſit
P. MARTINUS LUCERNENSIS CAPUCINUS
antehàc SS. Theologiæ Lector.
TOMULUS SECUNDUS.

Badæ Helvetiorum, Typis Joſephi Ludovici Baldingeri.
Anno M. DCC. XX.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAS

Rev.[mi] Patris Generalis.

Nos F. Michael-Angelus à Raguſio Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis, licèt immeritus.

Cùm opus cui Titulus eſt, *Anti-Hexaples ou Analyſe des* 101. *Propoſitions* à venerabili admodum Patre Paulo Lugdunenſi Ordinis noſtri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Exlectore compoſitum à noſtris Theologis recognitum, & approbatum fuerit, licentiam & facultatem illud Typis mandandi concedimus, ſervatis alijs de jure ſervandis. in quorum fidem præſentes manu propriâ ſubſcriptas & ſigillo majoris officij noſtri munitas damus.

Matriti die 24. Aug. 1716.

F. Michael-Angelus qui ſupra.

(LS.)

Digitized by Google

PERMISSION
Du R. P. Provincial.

Nous Frere Jerôme de Bourg Provincial des Capucins de la Province de Lyon, dite de S. Bonaventure.

Ajant veû l'approbation, que deux Theologiens de nôtre Ordre ont donnée au livre intitulé, *Anti-Hexaples, ou Analyſe des* 101. *Propoſitions &c.* compoſé par le T. V. Pere Paul de Lyon Capucin de Notre Province, Predicateur, & ancien Lecteur en Theologie, & la permiſſion, que nôtre Reverendiſſime Pere General lui a donnée de le faire imprimer: Permettons auſſi autant qu'il eſt en nous, qu'il faſſe imprimer le dit livre, obſervant toutes les autres choſes requiſes ſelon le Droit. En foi de quoi nous avons ſigné la preſente, & fait appoſer le grand ſceau de noſtre office.

Donné à Bourbon-l'Archambaud ce 4 Octob. 1715.

P. Jerôme Capucin Provincial Indig.

Digitized by Google

Approbation des Theologiens de l'Ordre.

LE Seigneur, qui a promis à ſon Egliſe, que les portes de l'Enfer ne prevaudront point contre elle, ne permet jamais, qu'il s'eleve des Hereſies dans ſon ſein, qu'il ne ſuſcite en meme tems des Docteurs pour ſa defenſe; & plus les Partiſans de l'Erreur s'opiniatreront à ſoutenir ces Hereſies, plus les Diſciples de la Verité s'animeront à les combatre. Nous voyons avec plaiſir cette verité juſtifiée dans la perſonne du R. P. Paul de Lyon Pred.r Capucin & ancien Lecteur en Theologie, qui aprés avoir fait eclater ſon zele, & ſa Doctrine dans ſes ſçavantes lettres inſtructives données au public ſous le Nom & l'Autorité de Monſeigneur l'Evêque de Graſſe, ne fait pas moins briller l'un & l'autre dans ce Nouvel Ouvrage, qui a pour Titre : *Anti-Hexaples ou Analyſe des* 101. *Propoſitions &c.* Nous avons lû cet ouvrage par Ordre du Reverendiſſime Pere General avec beaucoup d'edification; & bien loin d'y rien trouver de contraire a la foi, & aux bonnes mœurs, nous avons

Digitized by Google

reconnu, que l'Auteur y defend & ſoutient les Deciſions de l'Egliſe contre les artifices des Novateurs avec une force, une ſolidité & une netteté capables d'edifier les fidelles, & d'ebranler les Heretiques les plus opiniatres ; c'eſt le temoignage que nous lui rendons.

à Paris ce 1. Aouſt 1715.

F. Pacifique de Calais ancien Lecteur en Theologie, Definiteur & Gardien des Capucins.

F. Michel-Ange de Sedan, ancien Lecteur en Theologie, & Definiteur des Capucins.

Approbation.

J'Ay lû par l'ordre de Monſeigneur le Chancelier un manuscrit, qui a pour titre : *Anti-Hexaples ou Analyſe des cent & une Propoſitions condamnées par nôtre S. P. le Pape Clement XI. pour ſervir de reponſe aux Hexaples ſur la Conſtitution* Unigenitus. Il m'a paru ſolide & ne rien contenir qui fut contraire a la foi, uſage & diſcipline de l'Egliſe Catholique, Apoſtolique & Romaine.

à Paris, le ſept Juillet mil ſept cent quinze.

C. Leullier.

INTERPRES LECTORI.

PAucis ſatisfaciam quæſitis tuis circa hunc Tomulum ſecundum. Quæris primò, cur ſegregaverim à cæteris tribus epiſtolam quartam, quæ eſt ultima inter quatuor *Epiſtolas Inſtructivas* ab Authore Gallo de Mandato Reverendiſſimi Epiſcopi Graſſienſis in uno volumine typis mandatas? Reſpondeo; cùm tres illæ priores epiſtolæ tractent de Janſeniſmo in genere, quarta verò ſpeciatim attingat propoſitiones Quenelli damnatas â ſacrâ Sede; cùm inſuper tam præſens ſecundus, quàm ſequens Tomulus tertius complectatur totum volumen Anti-Hexaplon ejuſdem Authoris circa eaſdem propoſitiones Quenellinas, hinc non incongruum videbatur, ſi dicta epiſtola quarta jungatur his materijs ſpecificis, quas de ſe reſpicit, ut ad illarum pleniorem intelligentiam quaſi facem præferat & prologomena ſternat.

Quæris ſecundò: cur hîc inſeratur epiſtola quinta, quæ non numeratur inter epiſtolas Authoris Galli? reſpondeo: tametſi non exiſtat inter dictas epiſtolas ſub titulo Epiſtolæ, eſt tamen partus ejuſdem ingenij & Authoris ſub titulo præfationis ad opus Anti-Hexaplon; quare ſervatâ ejus ſubſtantiâ & re integrâ non niſi titulum immutavi, ſtruendo prævium &

modicum ingreſſum ad epiſtolariter contexenda univerſa, quæ P. Paulus præmiſit in illâ præfatione de Authore ſex columnarum ejuſque malâ fide circa verſionem textuum Sacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum ex Latino in idioma gallicum; quæ item P. Paulus prænotat de ſyſtemate ſui operis Anti-Hexaplon. Quòd verò hoc auſus ſim, cauſa eſt venuſtior connexio antecedentium cum ſequentibus; & ne quaſi in meditullio Tomuli ſecundi intercederet præfatio contra proportionem & ſymmetriam ejuſdem Tomuli: dummodò dicatur quod res eſt, de nomine aut titulo non litigemus.

Quæris tertiò; cur aſſertiones ſeu textus hæreticorum, qui habentur in ſingulis ſecundis paragraphis libri Anti-Hexaplon, non in proprijs & formalibus terminis deſumpſerim ex fonte Latino, vel prout accuratè extant in idiomate ſuo originali? Reſpondeo: hoc factum eſſe, partim ut maturarem hanc verſionem, multorum inſtantijs impatienter ſollicitatam, partim ob penuriam & injuriam temporis, non ſuffragantis ſufficiente ſpatio pro inveſtigandis fontibus, tum etiam propter abſentiam operum illorum hæreticalium, quorũ minima pars ad manus erat, tum denique quòd non videatur operæ pretium, eo rigore afferre propoſitiones damnatas hæreticorum, quo ſolent afferri ſententiæ ſacræ Scripturæ aut SS. Patrum. Innixus igitur editioni gallicæ ac bonæ fidei Authoris ſedulam adhibui operam, ut mentem, ſenſum & verba cujuſcunque hæretici citati omni meliore & fideliore tranſpoſitione

exprimerem, & quantùm aſſequi potui, ſimpliciter & religiosè tenorem gallicum latinè redderem, non admodùm attentus ad venuſtatem aut nitorem Romani ſermonis; cùm hîc non agatur de libello phraſeon, aut eleganti condimento puræ veræque Latinitatis.

Errata Typographica majoris momenti ſub finem Tomuli Tertij indicabimus; leviora verò cujuſvis benevolo judicio emendanda reliquimus. Si quæ etiam hîc & in ſequenti Tomulo diſpliceant circa verſionem, memorare illius dicti S. Hieronymi præf. in Pentateuchum. *Poſt priorum ſtudia, in Domo Domini quod poſſumus, laboramus* Vale.

Summarium
TOMULI SECUNDI.

1. Epiſtola Quarta. In quà reſpondetur ad quæſtiones & difficultates communiter proponi ſolitas circa Conſtitutionem *Unigenitus.*

2. Epiſtola Quinta, In quâ præmittuntur ſcitu neceſſaria de ſyſtemate operis *Anti-Hexaplon*, unâcum collectione quorundam textuum ex Sacrâ Scripturâ, Concilijs & SS. Patribus, quos Author ſex Columnarum malâ fide ex Latino in Gallicum Idioma tranſtulit.

Digitized by Google

3. Anti-Hexaplæ. Id eſt, ſex Columnæ contra ſex Columnas Authoris Anonymi ſuper conſtitutione *Unigenitus*, in quibus fit Analyſis ſive reſolutio propoſitionum Quenelli centum-unius, quas nuper damnavit SS. D. N. Papa Clemens XI. uſque ad propoſitionem XLIII. incluſivè.

Elenchus Quæſtionum

Epiſtolæ Quartæ.

Quæſtio Prima.

Quid ſibi volunt diverſæ illæ cenſuræ, per Conſtitutionem *Unigenitus* latæ contra 101. Propoſitiones Libri Reflexionum Patris Quenelli? *pag.* 5.

Quæſtio Secunda.

Unde provenit, quòd à triginta annorum intervallo, quo liber Reflexionum Moralium Patris Quenelli inter manus omnium volvebatur, non obſervati ſint errores, qui hodie illi attribuuntur? quomodo hæc fieri poſſunt, ut liber hucuſque communi Virorum, doctrinâ & pietate in omni ſtatu eminentium calculo approbatus, ſubitò tam malignus & pernicioſus evaſerit? *pag.* 36.

Quæſtio Tertia.

Cur rapitur è Fidelium manibus liber, qui cum ſimplicitate Lectus Devotis non niſi inſignem inſpira-

Digitized by Google

vorat pietatem, abſque inſpiratione ullius erroris ab Eccleſia condemnati? *pag.* 44.

Quæſtio Quarta.

Cùm ex communi omnium aſſenſu multa reperiantur in libro Moralium Quenelli, quæ ſunt juſta, ſancta, ædificatione plena; nónne potuiſſet, ſervato Corpore Libri, illud tantùm corrigi, quod deprehenſum eſt erroneum & defectuoſum? *pag.* 49.

Quæſtio Quinta.

Potuítne Liber Reflexionum Moralium affici cenſuris tam violentis abſque præſcitu, quid Author Quenellus pro ſuâ juſtificatione dicere voluerit? & nónne injuſtitiam in cælum clamantem ſapit, condemnare inauditum? *pag.* 53.

Quæſtio Sexta.

Nónne Quenellus juſtificari poterit, quòd potior pars Propoſitionum damnatarum ſit de verbo ad verbum deſumptæ ex ſacris paginis, & ſanctis Patribus? *pag.* 57.

Quæſtio Septima.

Annon Quenellus poſſet juſtificari ex quibuſdam locis ſuarum Reflexionum, ubi videtur docere contrarium illis erroribus, qui ipſi imputantur? *pag.* 63

Quæſtio Octava.

Annon Conſtitutio *Unigenitus* infringit Jura Epiſcoporum & Libertates Eccleſiæ Gallicanæ? *pag.* 66.

Digitized by Google

Quæſtio Nona.

Num neceſſe erat, purè & ſimpliciter acceptare Conſtitutionem Summi Pontificis? quænam inconvenientia potuiſſet oriri, ſi fuiſſet acceptata relativè ad explicationes â ſingulis Epiſcopis vel ſaltem â Synodo Epiſcoporum dandas?

Quæſtio Decima.

Si verum ſit, quod prætenditur, nimirum inter propoſitiones damnatas eſſe nonnullas ambiguas, æquivòcas, ſuſceptibiles diverſi ſenſûs, item ſi verum ſit, quòd ſenſus ille in Conſtitutione damnatus non ſemper primus occurrat menti legentis; nónne ad minimúm licebit petere explicationem Papæ, priuſquàm ejus Conſtitutio ſubmiſsè acceptetur?

Undecima Quæſtio.

Poſſúntne Novatores juſtificare vel excuſare ſuam rebellionem in ſacram Sedem, eò quòd nonnulli Epiſcopi diſtulerint ſe ſubſcribere Conſtitutioni *Unigenitus*, nec ſequuti ſint exemplum cæterorum Epiſcoporum?

Digitized by Google

EPISTOLA QUARTA.

In qua reſpondetur ad quæſtiones & difficultates communiter proponi ſolitas circa conſtitutionem Unigenitus.

AMICE,

JAm accinctus operi inchoando, quod in præfatione ad epiſtolas meas inſtructivas promiſeram, recipio chariſſimas tuas ultimas, quibus inſtas, & urges, ut reſponderem ad quæſita & difficultates, quæ proponi ſolent circa Conſtitutionem *Unigenitus.*

Amicorum preces cùm ſint imperia, promptus obſequor; lubenſque à priore propoſito pedem retraho, ut vadam, non quo ego volo, ſed quo tu vis, & ſuggeris. Viri non pauci ex primis Doctoribus obviabunt locis Scripturarum & Patrum, quibus Armigeri Patris Quenelli tanquam loricati incedunt, ut defenderent ſe ſui-

que Coriphæi morales reflexiones in præjudicium judicii Clementini reflexiones illas reprobantis. Scio actu inſudari inſigni huic operi brevi prodituro in publicum : attamen arbitror, neminem uſque adhuc reſponſa paráſſe ad quæſita & difficultates circa Bullam *Unigenitus*; multùm tibi obſtringor, quòd de hoc me commoneas, nec unquam ſatis Zelum tuum laudaverim in inquirendis neceſſariis inſtructionibus, ut nemo te ſeducat.

Hæc eſt enim pia curioſitas, vel ut potiùs cum Auguſtino loquar (*a*) Chriſtiana illa ſtudioſitas inſerviens incremento luminis ac firmitatis fidei Veſtræ, toto Cælo remota ab illa curioſitate vitioſa, quâ ſemper diſcitur, nec tamen unquam ad agnitionem Veritatis pervenitur : Velle introire in ſancta noſtra per portam violentæ intruſionis, velle quaſi ſcindere velum templi, diſcooperiendo quæ intus latent Myſteria in abditiſſimis divinæ Sapientiæ penetralibus, quid eſt aliud, niſi periculis plena curioſitas? quæ, ut ait Auguſtinus, (*b*) non niſi hæreſes reportat pro toto fructu, & ſtipendio præſumptuoſæ ſuæ inquiſitionis : At verò humiliter ſimul & ſtudioſè veritates quærere ab Eccleſia de fide propoſitas, operam dare ſciendis neceſſariis ad ſervandam fidei puritatem, erroreſque abjiciendos, quid eſt aliud niſi curioſitas valde laudabilis, niſi aſſiduitas debita & eſſentialis, quæ mereatur primis Chriſtianiſmi obligationibus annumerari? *ſitis parati ſemper*, monet primus inter Apoſtolos (*c*) *ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe*: quomodo autem ad reſpondendum parati erimus? quomodo fidem antiquam contra Novatores tuebimur, niſi ſedulò incumbamus addiſcendis noſtræ religionis principiis?

Si quando neceſſe fuit hoc ſtudium colere, id certè fuit currente ſæculo, ſæculo prævaricatrice & periculoſo, in quo falſitas veritati licèt invictæ tam potenter ac violenter ſimul & vafrè reſiſtit in faciem, ut mendacio jam nonnulli triumphum adornent,

(*a*) Lib. de Utilit. creden.
(*b*) In expoſit. Evang. Joan. tract. 27.
(*c*) 1. Petri 3. 15.

timidi verò tanquàm de naufraga veritate ingemiſcant : Non deſunt, qui anxiè clamant cum Chriſti diſcipulis in mari periclitantibus, *Præceptor! perimus!* hâc voce excitatus qui gubernaculum moderatur in Navicula Petri, ſurgens procellas increpat, ut taceant, ut obmuteſcant, imperat quidem ventis & mari, ſed non obediunt ei; ingraveſcit potius tempeſtas valida, hæreſes procelloſæ inſolentiùs intumeſcunt, ac ſurdo ſtrepitu deſpumant undas ſuas contra vocem Vicarii Salvatoris : Non indecorè hoc ævo hæreſin aſſimilaveris monſtro illi, quod ex ſanguine & vulneribus renaſci, ac ex inciſis membris repullulare veteres fabulabantur.

Vix enim Conſtitutio Unigenitus mundo apparuit, vix aperuit os ſuum Sanctiſſimus Pontifex contra reflexiones morales Patris Quenelli, cùm ecce! quaquaverſum homines, prout eos depingit Apoſtolus, (*a*) *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas*, Theologiſſas ſuas, qui ſpiritum rebellionis & præſumptionis, quo animantur, undequaque diſſeminant : quibus non uſi ſunt artificiis? quot ſophiſmata, quot futiles ratiunculas non excogitârunt, ut timidas fidelium conſcientias inſopirent fatali lethargo, ne deinceps Eccleſiæ tonitrua & Anathemata pertimeſcerent? quantum, quæſo, non fingebant laborem in præcepto & conſtitutione ſummi Pontificis? quot difficultates imaginarias & inanes tanquam montes parturiebant? quot nubeculis Solem illum Vaticanum obtenebrabant, ne proderentur? quot eheu! triſtes effectus producebant diſcurſus illi ſeductorii in ingenti multitudine cæcorum & aridorum, qui vel ignorant vel averſantur ſuam religionem?

Sermo hominum iſtorum ſeditionem contra Eccleſiam laxatis faucibus ſpirantium jam non velut cancer paulatim ſerpit, ut olim conquerebatur Paulus (*b*) Sermo eorum tanquam torrens impetuoſus, qui ruptis aggeribus arbores eradicat, domos ſubvertit, urbes & agros inundat, ac turbulentis ſuis fluctibus quid quid obvium

(*a*) 2. ad Tim. 3. 6.
(*b*) 2. ad Tim. 2. 17.

Digitized by Google

ſecum abripit: ſermo eorum tanquam peſtis vehemens & violenta, diffundens venenum ſuum propagatione vix non inſtantanea in quævis etiam abditiſſima penetralia. Vix pedem domui aut officinæ intuleris, in qua Papalis Conſtitutio non laceretur linguis maledicentium; vel ipſi Mechanici Theologizant, vel infimæ ſortis opifices jus ſibi arrogant temerarias in conſtitutionem *Unigenitus* ferendi cenſuras: invanum Paſtores Eccleſiaſtici illibatæ doctrinæ Zelo ebrii, invanum Orthodoxa Doctorum pulpita contra haſce illuſiones & mendacia clamitant, innumerabiles enim ex modernis Chriſtianis nolunt deinceps ſuſtinere doctrinam ſanam, ſed ſecundùm ſua deſideria Novitatum *coacervant ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur* (*a*) quas homines factioſi à recto tramite aberrantes infelice induſtriâ non ad lucrum, ſed detrimentum animarum venales habent.

Millenæ ſint laudes ſupremo Numini, te non ſequi doctas has fabulas; nec enim es ex numero cæcorum, qui cæcis ducibus adhærentes unàcum illis in foveam cadunt, ſeque præcipitant ſine timore in abyſſum infidelitatis: non horum ſecuritas ita ſecurum te reddit, quin non ſemper ſis pavidus, conſtanterque ſolicitus hauriendi neceſſarias inſtructiones, ut à virulenta hæreſis contagione ex omni parte ſe ſe diffundente intactus remaneas. Non modicæ mihi duco felicitati, quòd copiam mihi præbeas ſecundandi laudabiles pietatis tuæ ſtimulos, dum exigis à me, quod tuis ſatisfaciat dubiis & difficultatibus circa Bullam *Unigenitus*; perlibenter obedio nutui Omnipotentis, qui per me dignatur in tua perſona inſtruere plurimos.

Nec tamen exſpectare te velim in hâc epiſtolâ artificioſas illas ambages nimis affectatæ ac luxuriantis facundiæ, quam Rebelles Eccleſiæ non alium in finem adhibent ſuis ubique circumvolantibus chartis, niſi ut præſumptuoſam ſeditionem eloquentius perſuadeant. His adminiculis titillantibus falſitas & error indiget,

(*a*) 2. Tim. 4. 3.

Digitized by Google

ut ſuavius intret, mentemque Lectoris curioſi & indiſcreti deliciosè vulneret; cùm viciſſim alma veritas non niſi in puritate & ſimplicitate glorietur tanquam in proprio ſuo charactere; hanc viam carpo, veritatem ſimpliciter pando, omni poſſibili candore ac præciſa mentis eviſceratione quæſitis tuis reſponſurus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID SIBI VELINT DIVERSÆ illæ Cenſuræ, per Conſtitutionem Unigenitus latæ contra 101. propoſitiones Libri Reflexionum Moralium Patris Quenelli.

NOn ignoras, Amice, quòd Sanctiſſimus Papa Clemens XI. cujus tenera pietas, Zelus ardens, profunda ſcientia velut luna plena in diebus ſuis toti Eccleſiæ jam dudum innotuit, poſtquam examini ſubjeciſſet, ac ipſemet attenta ſolicitudine examinâſſet librum reflexionum moralium Patris Quenelli, inde extraxerit propoſitiones centum & unam, quas ſua Sanctitas damnavit ut *reſpectivè* 1. falſas, 2. captioſas, 3. malè ſonantes, 4. piarum aurium offenſivas, 5. ſcandaloſas, 6. pernicioſas, 7. temerarias, 8. Eccleſiæ & ejus praxi injurioſas, 9. non in Eccleſiam ſolùm ſed etiam in poteſtates ſæculi contumelioſas, 10. ſeditioſas, 11. impias, 12. blaſphemas, 13. ſuſpectas de hæreſi, 14. hæreſim ſapientes, 15. faventes hæreticis, 16. hæreſibus, 17. ſchiſmati, 18. erroneas, 19. hæreſi proximas, 20. pluries damnatas, 21. ac tandem hæreticas, 22. variaſque hæreſes & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ ſunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes.

Non ignoras, inquam, famoſam hanc condemnationem, quæ

attonitam reddit univerſam hæreſim, ſed non reſipiſcentem: mirabantur, ſed non convertebantur obſtinati hæretici; hæc non ignoras; neſcis tamen omnem vim & valorem terminorum ſupra allatorum, nec debitam eorum applicationem facere nôſti. Nunc ergo attendas ad explicationem, quam tibi deſuper porrigi jubes; omni poſſibili brevitate & claritate eam expedio; utilis tibi erit hæc explicatio, ac plurimùm conducens, ut plenè intelligas ſtatum & naturam omnium quæſtionum, quæ hîc tractantur, utque probè advertas latens venenum omnium propoſitionum, quæ hîc damnantur, ut tandem perfectè convincaris de juſto judicio decantatæ hujus Conſtitutionis Pontificiæ dictas propoſitiones condemnantis.

Statim incipiamus exponere, quid ſummus Pontifex intenderit, quando propoſitiones centum, & unam damnavit tanquam *reſpectivè* falſas, captioſas, male ſonantes &c. Sub hoc vocabulo *reſpectivè* oportet intelligere, nullam eſſe ex propoſitionibus centum & unâ, cui non valeat ac debeat applicari aliqua ex cenſuris in Bulla enuntiatis: Ne confundamus *damnationem* propoſitionum cum earum *cenſura*. Verum eſt omnes illas propoſitiones æqualiter fuiſſe *damnatas*, non tamen æquali *cenſurâ* inſignitas; quamvis potior pars ex his propoſitionibus poſſit inſimul pluribus cenſuris notari, nihilominus conſtat, non omnes earundem cenſurarum ſuſceptibiles eſſe; quam ob rem crediciſſe ſufficit, nullam extare cenſuram in Bulla expreſſam, quæ non debeat aliquibus, vel ſaltem alicui ex propoſitionibus centum & una applicari. En quid ſibi velit hæc additio adverbialis *reſpectivè*; jam progrediamur ad ſingulas cenſuras ſeu qualificationes.

1. Propoſitio *falſa* eſt illa, quæ exprimit quoddam factum præſertim dogmaticum, id eſt ad fidem vel mores ſpectans, veritati contrarium: pro quo notandum, quòd licèt hæreticæ vel erroneæ vel impiæ aut blaſphemæ propoſitiones &c. omnes ſint *falſa*, non tamen viciſſim omnes falſæ propoſitiones ſemper ſunt *heretica*, aut *erronea*, *impia* vel *blaſphema*; ſed propriè dicta falſa propoſitio eſt ea,

Digitized by Google

quæ exprimit falſitatem reſpectu cujuſdam facti particularis & dogmatici.

Talis eſt, exempli cauſa, propoſitio LXV. *Moyſes, & Propheta, Sacerdotes & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quòd nullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem.*

Hæc eſt enim propoſitio *falſa*, cùm factum iſtud ſit realiſſimum & innegabile, nempe etiam in antiqua lege magnum extitiſſe numerum juſtorum & conſequenter filiorum Dei.

Talis eſt etiam propoſitio LXVII. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

Hoc iterum manifeſtè falſum eſt; Quis enim ignorat, pænitentiam agentes ex timore ſimpliciter ſervili hoc timore obrui ex conſideratione divinæ juſtitiæ, cujus ſeveriſſimam punitionem ob agnitionem ſuorum demeritorum pertimeſcunt.

Talis quoque eſt propoſitio LXXXIII. *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fæminis lectione Sacrorum librorum: Non ex fæminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperbâ Virorum ſcientiâ ortus eſt Scripturarum abuſus, & nata ſunt hæreſes.*

Ridicula hæc adulatio, quâ videtur Quenellus ſibi conciliare voluiſſe fallacem gratiam & applauſum fæminarum, continet falſitatem facti facilè demonſtrabilem ex hiſtoriis, quibus perhibetur, Mulieres omni ævo fuiſſe inſtrumenta màximè opportuna & efficacia ad protegendos & diſſeminandos errores.

Tales ſunt inſuper propoſitiones XCV. XCVI. XCVII.

nam dicere: *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incogitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſuper communem captum fidelium; neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus Senectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.* Item Prop. XCVI. *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ.* Item Prop. XCVII. *Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſanctè ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

Nonne palmaria ſunt & impudentia hæc mendacia, ſolis hæreticis familiaria?

2. Propoſitio captioſa eſt illa, quæ ſub ſpecioſo & doloſo apparatu pietatis aut veritatis abſcondit ſubtile venenum ad inficiendas ſimplicium animas. Vix una ex omnibus damnatis Quenelli propoſitionibus reperitur, quæ non ſit captioſa: Totus liber reflexionum moralium quid eſt niſi contextus & textura laqueorum; vel ſuperficialis attentio Lectoris ſenſibiliter elarvat intentionem Authoris non aliò collimantis, niſi alius eſſe, & alius apparere, niſi inſtar colubri tortuoſa inſinuatione virus, quo turgebat, animis legentium communicare.

Hoc

Hoc ipſum eſt, quod noſter Beatiſſimus Pontifex in celeberrima ſua Conſtitutione adamuſſim exprimit præclaris hiſce verbis: „ Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſi- „ derationis intuitum convertentes perſpicuè novimus, ſummam hu- „ juſmodi libri perniciem ideo potiſſimùm progredi,& invaleſcere quòd „ eadem intus lateat, & velut improba ſanies non niſi ſecto ulcere foras „ erumpat; cùm liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pieta- „ tis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt „ jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut ſagittent in „ obſcuro rectos corde.

Quapropter plurimùm intereſt, Chariſſime Amice, ut hoc loco tibi laqueos detegam, quos abſcondit, ac quibus fidei tuæ inſidiatus eſt Quenellus Venator; in quem finem ſolicita attentione advertas præcipuas circumſtantias, quæ propoſitionem captioſam reddunt.

Obſerves igitur primò: propoſitionem fieri captioſam, quando componitur terminis quibuſdam ambiguis & æquivocis, duplicem ſenſum involventibus, quêis inſtillatur ſenſus hæreticus ſub ſpecie ſenſûs Catholici: Principales & frequentiùs recurrentes termini in Reflexionibus moralibus ſunt ſequentes; videlicet. ***Gratia***, ***Fides***, ***Charitas*** ſive ***Amor Dei***, ***timor***, ***Libertas***, ***potentia faciendi bonum***, ***obligatio*** ſive ***debitum*** &c. Hi omnes ſunt termini æquivoci diverſos ſenſus complectentes, & per conſequens valde opportuni & accomodi ad propoſitionem ambiguam efformandam.

Per ***Gratiam*** poteſt intelligi vel gratia habitualis conſiſtens in qualitate infuſa animæ, quâ formaliter evadimus juſti & amici Dei; vel gratia actualis conſiſtens in adjutorio & ſuccurſu ſupernaturali actualiter à Deo conceſſo ad faciendum bonum vel evitandum malum. In ordine ad differentes hos duos ſenſus propoſitiones XXVI, XXVIII & XXVIIII ſunt veræ, vel falſæ.

Si loquaris de gratia habituali,tunc verum eſt, *nullam dari gratiam, niſi per fidem* Prop. XVI. *Primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, eſſe peccatorũ remiſſio-*

nem Prop. XXVIII. *Extra Eccleſiam nullam concedi gratiam* Prop. XXIX.

Si verò loquaris de gratia actuali, hæ propoſitiones ſunt evidenter falſæ, aut ſaltem erroneæ; certum eſt enim, Paganos, Judæos, hæreticos & peccatores frequenter habere gratias actuales ſufficientes, imò ſæpius efficaces, ut perveniant ad veram fidem & reconciliationem cum Deo per converſionem.

Eadem eſt ratio cum gratia actuali: En quippe terminum æquivocum claudicantem in duas partes, ac duplicem ſenſum: Per hanc gratiam actualem intelligunt Catholici auxilium actuale ad agendum bonum; auxilium, quod licèt id ſupponas efficaciſſimum, ſemper nos relinquit in indifferentia ad exercitium, vel omiſſionem actûs boni. Verùm ſectariis hæc gratia actualis diverſiſſimum ſenſum ſonat: Sunt perſuaſi, omnes gratias eſſe efficaces, & quidem taliter, ut nunquam eis reſiſtatur, nec reſiſti poſſit: In hoc ſenſu pronuntiant propoſitionem III & IV. *In vanum, Domine, præcipis; ſi tu ipſe non das, quod præcipis* Prop. III. *Ita Domine: omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo* Prop. IV.

Ecce propoſitiones captioſas, quæ Orthodoxæ ſunt in uno ſenſu, hæreticæ in altero, quem Quenellus inſinuare ſtudet.

Senſus Catholicus tertiæ propoſitionis eſt, quòd in vanum Dominus præcipiat, ſi non det id, quod præcipit per auxilium gratiæ ſaltem ſufficientis, ſine qua ſervare Dei præcepta impoſſibile eſt: ſimiliter ſenſus Catholicus propoſitionis quartæ eſt; mandata divina nobis fore impoſſibilia, niſi Deus ea faciat poſſibilia mediante ſua gratia, quæ ſubminiſtret vires, & inſpiret bonum velle ad mandata ſervanda: Non ſic vult Quenellus, ejus termini in his propoſitionibus aliò tendunt, nimirum prout obviè & planè ex ipſis terminis col-

Digitized by Google

ligere eſt; mandata Dei eſſe inutilia & impoſſibilia illis, quibus Deus ea non facit realiter poſſibilia per gratiam, quæ ſemper eſt efficax, & cui nemo unquam reſiſtit.

Etiam *fides* eſt terminus æquivocus in libro morali ad communem uſum populi. Per fidem ſubauditur fides clara & diſtincta in Jeſum Chriſtum; poteſt tamen per eam quoque intelligi initium fidei, vel fides in Deum Creatorem, vel fides implicita & obſcura in Meſſiam: hoc ultimo ſenſu verum eſt, quod dicunt propoſitiones XXVI. & XXVII. *nullam dari gratiam, niſi per fidem.* Propo. XXVI. *Fidem eſſe primam gratiam, & fontem omnium gratiarum.* Prop. XXVII.

Quod tamen falſum eſt & hæreticum in primo ſenſu, qui confeſtim ſe præſentat intellectui rudis & ſimplicis Chriſtiani, hoc diſcrimen facere ignorantis. Si enim fides clara & diſtincta in Chriſtum prima ſit gratia, ſi nulla detur gratia niſi per hanc fidem, conſequenter nulla dabitur diſpoſitio ad fidem, vel hæc poterit fieri abſque ulla gratia, quod eſt evidenter hæreticum.

Quod de fide diximus, hoc de *Charitate, & amore Dei* dicendum. Sub his terminis *Charitas, Amor Dei*, comuniter ſolet intelligi, prout ſtatim ſenſus ſe menti inſinuat, vera charitas habitualis aut actualis, quâ Deum diligimus ſuper omnia propter ipſum ſolum: Poteſt tamen etiam per Charitatem intelligi omnis bona voluntas, omnis amor & affectio ad bonum. Si poſteriore modo ſumas charitatem, tunc verum eſt, quod dicit Quenellus in propoſitione XLIV. XLVI. XLVIIII. L. LI. videlicet Prop. XLIV. *Non eſſe niſi duos amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur, Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipſos, ac mundum di-*

ligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, propter hoc ipſum fit malus: Cupiditatem, aut charitatem uſum ſenſuum bonum, vel malum facere. Prop. XLVI. Item: *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.* Prop. XLVIIII. Item: *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi! ſi Spiritus charitatis non eſt ille, qui clamat.* Prop. L. Item *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem* Prop. LI.

Si verò amoremDei & charitatem ſumas pro vera charitate habituali, aut actuali; tunc omnes allatæ propoſitiones ſunt falſæ & hæreticæ.

Oportet inſuper diſtinguere duos modos *timoris ſervilis*: datur enim timor *ſerviliter* ſervilis, & timor *ſimpliciter* ſervilis; Primus conſiſtit in motu naturali, ex quo peccator non abſtinet à peccato, niſi quia videt id impunè fieri non poſſe: hoc motu licèt Peccator mutetur exteriùs, non tamen interiùs in conſcientia, unde pergit dicere in corde ſuo: tolle infernum, & adjiciam peccatum ſuper peccatum. Secundus timor eſt motus ſupernaturalis Spiritûs Sancti, qui licèt in anima necdum habitet, eam tamen excitat: per hunc timorem peccator verè deteſtatur peccatum intuitu judiciorumDei terribilium, interitum peccatoribus minitantium. Propter hunc duplicem ſenſum propoſitionesQuenelli de timore ſervili captioſæ ſunt; & cùm per terminum *Timor* communiter intelligatur timor Gehennæ ſupernaturalis, nemo facilè has propoſitiones ab hæreſi expurgaverit. Sunt autem ſequentes *ſi ſolus ſupplicii timor animat pænitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem* Prop. LX.

Timor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. Prop. LXI. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.* Prop. LXII.

Similiter nomen *Libertatis* in duplici ſenſu ſumi poteſt: vel tanquam libertas exempta à coactione, vel tanquam exempta à neceſſitate agendi. Secta Janſenii, & Quenelli concedit ſub motione gratiæ hominem eſſe liberum à coactione, quia veraciter id vult, quod gratia efficit, ut homo velit; negat verò hominem eſſe liberum à neceſſitate, eò quòd neceſſariò id vult, quod gratia efficit, ut homo ſine coactione velit. Itaque Janſeniſtæ circumvallati captioſa hac diſtinctione libertatis paſſim videntur, & audiuntur cum ſuo Coriphæo Janſenio audaciſſimas evomere propoſitiones de gratia neceſſitante *Gratia*, inquiunt, Prop. X. XI. XX. XXI. *Eſt operatio*, Prop. X. *manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

Gratia, Prop. XI. *non eſt aliud, quàm Voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quòd jubet.*

Vera Gratiæ Idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. Prop. XX.

Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio Vo-

Digitized by Google

luntatis Omnipotentis , ſequela & imitatio Operationis Dei incarnantis , & reſuſcitantis Filium ſuum Prop. XXI.

Sub invincibili motu hujus gratiæ , ajunt ulteriùs , non ceſſamus eſſe liberrimi ; hoc eſt , prout ſubintelligunt , liberrimi à coactione , & conſequenter capaces ad merendum.

Potentia operandi bonum rurſus eſt terminus perquam amphibologicus , quo Janſeniſtæ non raro abutuntur pro incremento & patrocinio ſuorum errorum. Juxta Janſenium (*a*) oportet diſtinguere quatuor ſpecies potentiæ : Prima eſt naturalis & remota , quâ gaudemus ex facultate flexibili liberi arbitrii. Secunda eſt proximior & ſupernaturalis , quam habemus per habitum fidei. Tertia eſt multò proximior , cùm nobis inſit per infuſum habitum charitatis. Quarta tandem eſt completa & immediata , quæ nobis tribuit ipſum & actu velle : hoc eſt , quæ velle illud ponit in manibus noſtris , ut eo utamur ad placitum , eſtque illud ipſum , quod habemus ex gratia actuali : Ex quo Quenellus non veretur dicere in propoſitione II. & IX. *Sine gratia , quæ ſemper ſuum ſortitur effectum ſumus in impotentia operandi aliquod bonum.* Incaſſum hîc laborabis repræſentans Quenello , ipſum coincidere cum Janſenio , ejuſque primam damnatam propoſitionem renovare , quæ in hoc conſiſtebat , videlicet. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus , & conantibus , ſecundum præſentes , quas habent , vires ſunt impoſſibilia , deeſt quoque illis gratia , quâ poſſibilia fiant.* Suffultus captioſis his diſtinctionibus *potentiæ* Quenellus continuò reſpondebit ; Juſtos non verſari in impoſſibilitate totali & abſoluta , ſed duntaxat in impoſſibilitate relativa , & partiali.

Terminus *debitum* , ſeu *obligatio* poſitus in propoſitione XCI. excommunicationem concernente , non minùs eſt captioſus in mente Authoris Quenelli : hoc vocabulo *debitum* autumâſſes intimari aliquod debitum verum , reale & indiſputatum. Interim in cogi-

(*a*) Libr 3. de grat. Salv. c. 15.

tatione Quenelli, prout rerum modernarum vel modicè perito conſtat, nil aliud exprimit, aut potiùs imprimit, niſi pertinaciam ſcandaloſam non acquieſcendi Eccleſiæ deciſionibus. Idem ſentias de Prop. XCII. ubi Quenellus confidenter ſe ſe expectorat aſſerendo Prop. XCII. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & Anathema injuſtum, quàm prodere Veritatem, eſt imitari S. Paulum: Tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere Unitatem.*

Quis enim eò uſque cæcutiat, ut non advertat, Novatores per hanc Excommunicationem injuſtam illam ipſam allatrare, quâ toties ab Eccleſia percuſſi ſunt? ac per illa verba *prodere veritatem*, vellicare ſubſignationem formularis, per qualem aſſeclæ Janſenii falsò crediderant Veritatem proditoriè proſtitui? Proſequamur ulterius examinando præcipuas circumſtantias, quibus propoſitio redditur captioſa.

Obſerves igitur 2. propoſitionem evadere captioſam ex figuris Rhetorices, quibus ſubinde utimur ad majorem expreſſionem. Hæ quidem figuræ, & elegantiæ mentem delectant, & nonnunquam ſubitaneo motu cor rapiunt, perſæpe tamen impediunt, ne latens venenum, quod propinatur, guſtes, aut ſentias, ſed cauſant, ut illud potiùs inadvertenter deglutias: Tales Propoſitiones ſunt IV. VI. VII. XXXIII.

Ita Domine Prop. IV. *omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo! Quantum diſcrimen O mi Deus! inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt; in illo* Prop. VI. *Deus exigit fugam peccati, & implementum le-*

gis à peccatore relinquendo illum in ſua impotentiâ: in iſto verò Deus Peccatori dat, quod jubet, illum ſuâ gratiâ purificando.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas, non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis? Prop. VII.

Prô! quantùm oportet bonis terrenis, & ſibimet ipſi renuntiâſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Prop. XXXIII.

Quis taliter loquentem, & exclamantem Quenellum non credat extaticum, & cum Paulo ad Tertium Cælum ad ſecreta ſecretorum abreptum? Interea ſub favore, & umbra ementitæ hujus extaſis molitur evertere veritates eſſentiales Religionis.

Obſerves 3. Propoſitionem fieri captioſam ex coacervatione, & intertextione plurium Propoſitionum incidentium, unámque totalem componentium, quarum quædam falſæ, quædam veræ mendacium cum veritate dexterrimè miſcent, atque confundunt, ut difficulter verum à falſo diſcrimines. Exemplo ſit Propoſitio XVII. quæ ex utroque vero, & falſo combinatur; *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire*

Digitized by Google

venire facit ad Jeſum Chriſtum. Quid veriùs ? ſed quid falſiùs eo, quod ſequitur ? *quicunq; ad eum* (Patrem) *non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus eſt doctus à Patre.* Prop. XVII.

Talis quoque eſt Prop. XXII. Eſt enim de fide, *Incarnationem eſſe fontem, & Architypum omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ*; ſed falſum eſt & hæreticum : Incarnationem ita eſſe fontem, & Architypum, *ut omnes operationes gratiæ, & miſericordiæ ſint ita gratuitæ, & ita dependentes à Deo, ſicut ipſa Originalis operatio* : Id ipſum deprehendes in propoſitione XLIV. & LXXV.

Non ſunt niſi duo amores, Prop. XLIIII. *unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemq; Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus ſanctis, quorum eſt ſanctificator. Prop. LXXV.

In his, & multis ſimilibus Propoſitionibus mendacium

Digitized by Google

nexu imperceptibili cum veritate jungitur, ac ſimplicibus ſeductiva mixtione opportuniſſimè illuditur.

3. Propoſitio *malè ſonans* eſt ea, quæ habere poteſt ſenſum bonum & malum, ſumpta tamen ad literam literatos offendit, doctos commovet, cùm videatur contraire iis, quæ communiter docentur in facultate Theologicâ. Tales ſunt Propoſitiones ſequentes.

Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi. Propoſit. XLIII.

Modus plenus ſapientiâ, lumine, & Charitate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pænitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur. Prop. LXXXVII.

Ignoramus, Prop. LXXXVIII. *Quid ſit peccatum, & vera pænitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

Verum quidem eſt in ſuo ſenſu & modo intelligendi, nos eſſe mortuos veteri homini, ut dicit Apoſtolus, & conſepultos cum Chriſto in Deo per baptiſmum; ſed peſſimè & ineptiſſimè dicitur per gratiam baptiſmalem Spiritum, cor, ſenſus, non plus habere

vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. Quis enim non experitur, concupiſcentiam nimis conſtanter vivere in nobis, etiam in viris ſanctiſſimis, perfectiſſimis?

Rurſus verum eſt, eſſe modum plenum ſapientiâ, lumine, & charitate, non illicò concedere gratiam reconciliationis illis, qui necdum ad eam recipiendam ſufficienter ſunt diſpoſiti, quique non videntur vero ſpiritu pænitentiæ animati; at verò, quòd oporteat animabus dare tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati: quòd peccatores cum Deo non debeant reconciliari, antequam ſatisfecerint juſtitiæ Dei; quòd deſiderantes incunctanter reſtitui poſſeſſioni bonorum per peccatum deperditorum, & detrectantes ſeparationis iſtius ferre confuſionem ignorent, quid ſit peccatum, & vera pænitentia: hæc ſunt principia deteſtatione & abominatione plena, principia impia moralitatis exoticæ, quibus utuntur Janſeniſtæ, ut elongent fideles à ſacramentis ſub apparentiâ reformationis.

4. Propoſitio *piarum aurium offenſiva* eſt ea, quæ profert aliquod abſurdum, indecens & indignum de ſuo objecto, & per conſequens lædit pietatem auditorum. Propoſitiones ſequentes ſunt hujus farinæ.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum. Prop. V.

Si ſolus ſupplicii timor animat pænitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem. Prop. LX.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum,

niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem. Prop. LXVII.

Hæ ſunt Propoſitiones abſurdæ & indecentes, quæ abſque horrore & indignatione non audiuntur, quamdiu aliquid pietatis, ac vel tenuis ſenſus devotionis in anima reſtat.

Propoſitio *ſcandaloſa* eſt ea, quæ ex ſe capax eſt inducendi in peccatum: talis eſt Propoſitio LXXI.

Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. Prop. LXXI.

Manifeſtum eſt, deteſtabilem hanc propoſitionem januas & repagula laxare omni prævaricationi.

Tales etiam ſunt Propoſitiones XC. XCI. XCII. quæ excommunicationem prætensè injuſtam reſpiciunt. Tales ſunt inſuper Propoſitiones XCVI. & XCVII. cum reliquis omnibus, in quibus Quenellus amarè conqueritur de imaginaria perſecutione noſtris diebus in Eccleſia dominante. Nonne hæ ſimiles Propoſitiones natæ ſunt, ut ſtimulis ſuis captioſis fideles ad pertinaciam, ſeditionem & contemptum contra poteſtates legitimas exaſperent?

6. Propoſitio *pernicioſa* eſt ea, quæ complectitur perverſum quoddam principium, unde Eccleſiæ ingens detrimentum, & malum notabile evenire valeat. Omnes propoſitiones lecturam ſacræ Scripturæ concernentes ſunt hujus characteris: vix enim aliquid Eccleſiæ Chriſti periculoſius & pernitioſius accidere poſſit, ac indiſcreta proſtitutio divini codicis inter manus promiſcuæ plebis, præſertim eo tempore, quo Eccleſia nova quadam hæreſi affligitur.

Propoſitiones quoque LXXXVII. & LXXXVIII. verſantes circa adminiſtrationem Sacramenti pænitentiæ ſunt ſupra modum pernicioſæ: ante omnes veró Propoſitio LXXXIX. ubi Quenellus dicit;

Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ. Prop. LXXXIX.

Si principia præpoſtera hujus Novatoris veritati congruerent, potiori Chriſtianorum parti foret interdictum & Sacramenta & Eccleſias frequentare. Quid verò dicis aut cogitas de Propoſitione XC. aliiſque excommunicationem reſpicientibus?

Quis non damnum inde emergens, & Eccleſias extra ſtatum damna præcavendi conſtitutam perſpicit?

7. Propoſitio *temeraria* eſt ea, quæ in materia fidei, morum, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſine ſolido fundamento recentem opinionem defenſat contra Generalem & communem Doctorum Catholicorum ſententiam: fermè nulla ex omnibus Quenelli damnatis propoſitionibus hoc ſigno Beſtiæ in fronte caret; fermè omnes perquam ſenſibili charactere temeritatis ſunt inſignitæ. Stomachum moverem omnes recenſendo; ſufficiat inſolentem hanc temeritatem quaſi per tranſennam indigitâſſe in propoſitione ultima, quæ ſic habet:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nihil Spiritui Dei & Doctrinæ Prop. CI. *Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones peierandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut Nomen, & Veritas Dei aliquandò deſerviant Conſilio impiorum.*

Notanter advertas, Authorem reflexionum per terminum *communia* condemnare una cum tota ſua cohorte ſignaturam formularis, quam Eccleſia jure merito à ſuis Miniſtris exigit, ut de eorum fide pura experimentum capiat, ſeſeque ſecuram reddat: prô quanta temeritas!

8. Quilibet abſque labore comprehendit, quid ſit Propo-

Digitized by Google

ſitio *injurioſa Eccleſia*; *& ejus praxi*: Ultima Propoſitio, quam mox retuli, eſt hujus naturæ, cui annumerari poterunt Propoſitiones LXXXIV. Et LXXXV. Nònne enim hæc dicens Quenellus contumeliam facit Eccleſiæ & injuriam atrocem, quaſi *obturaret os Jeſu Chriſti*, quaſi *interdiceret filiis lucis uſum luminis*, eò quòd non indiſcriminatim omnibus permittat lectionem ſacræ ſcripturæ? inſuper quanta injuria, quanta contumelia in faciem Eccleſiæ, ejuſque immemoriali uſui, in Propoſitione LXXXVI.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei. Prop. LXXXVI.

8. Quilibet inſuper faciliter penetrat, quid ſit Propoſitio *contumelioſa*, non in Eccleſiam ſolùm, verùm etiam in *poteſtates ſæculi*: ſufficiat earum paucas in exemplum protuliſſe.

Deus permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit niſi divinæ gratiæ. Prop. XCVI.

Nimis Prop. XCVII. *ſæpè contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata, ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

Pervicacia, Prop. XCIX. *Præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut*

agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ V. G. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.

Procul dubio Quenellus hæc ſcribens præſago pollebat ſpiritu, quid futurum ſit de ſuis manufacturis.

Tempus deplorabile, Prop. C. *quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit ..... Haberi, & tractari à Religionis miniſtris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate ſanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferróque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.*

Contumeliæ, quas Moraliſta Reflexivus his propoſitionibus inurit ſacerdotali ſimul, & Politico ſtatui contra ejus phalangem confæderato, & clamoroſè latrant, & ſenſibiliter mordent.

10. Propoſitio *ſeditioſa* eſt, quæ commovet populum, quæ ad rebellionem, & jugi excuſſionem irritat, quæ poteſtates à Deo conſtitutas contemptui ſubditorum exponit.

Digitized by Google

Ex hoc armamentario haud dubiè eruperunt propoſitiones ſtatim citatæ : Quiſque ſenſatus conjecturaverit , quàm diſpoſiti ſint ſubditi ad obediendum Authoritati ſuperiorum , de quibus peſſimas conceperunt Ideas & impreſſiones : Præſens & quaſi oculis obverſans ſeditio fœderis Janſenizantis evidens eſt argumentum, quid poſſint, & quantùm prævaleant propoſitiones ſeditioſæ Quenelli in cordibus ad excutiendum jugum prurientibus.

11. Propoſitio *impia* eſt , quæ ex ſe conducit ad diminuendum , vel mutilandum cultum Deo debitum. Hujus notæ propoſitionem habes LIX.

Oratio impiorum eſt novum pecatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium. Prop. LIX.

Quis peccator horribili hàc propoſitione perſuaſus poſthac præſumet precari Deum ? Quis non potius laxato fræno perget, quo cæpit pede, omnium paſſionum furibundis ſtimulis impoſterum obſequendo? Talis quoque eſt propoſitio LXVIII.

Quanta Dei bonitas, quæ abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide, & precibus. Prop. LXVIII.

Nonne fictitia hæc abbreviatio ſalutis opportunè ancillatur eliminandis cunctis aliis bonis operibus? his propoſitionibus jungenda eſt XLIV. cum ſequentibus , quæ ad charitatem pertinent, ubi Quenellus omnia penitus bona opera reducit ad virtutem charitatis ſolam & unicam, non ad ullam aliam ſive Theologicam ſive Cardinalem, qua methodo , quantùm poteſt, omnium aliarum virtutum praxes & exercitia diffamat.

12. Propoſitio *blaſphema* eſt , quæ injurioſum aliquid contra Deum aut Sanctos continet. Quid Deo injurioſius , quàm de ipſo aſſerere , quòd V.G. aliquid ab homine exigat , *relinquens eum in impotentia id exequendi* ? Item; *quòd Deus hominem reliquerit ejus propria infirmitati*

mitati imponendo ipſi ſuam legem? Item; *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.* Item; *quòd timor ſervilis inferni* (qui tamen poteſt eſſe ſupernaturalis, & motus à Spiritu ſancto) *non ſibi repræſentet Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*: quid, inquam, his Propoſitionibus Deo injurioſius? nihilominus Quenellus non contremiſcit has blaſphemias effutire in Propoſitionibus LXXVII. LIX. VI. &c. Quas Sectarii Janſenii, & Quenelli adorant tanquam oracula plena lumine unctione, divinitate. Noctium phantaſmata!

13. Propoſitio *ſuſpecta de hæreſi* eſt illa, contra quam plures militant rationes & cauſæ, eam hæreticam ſuſpicandi.

14. Propoſitio *hæreſim ſapiens* eſt, quando majores adſunt rationes eam hæreticam credendi, quàm ſimpliciter ſuſpectam.

15. Propoſitio *hæreſi proxima* eſt illa, de cujus hæreticali pravitate reverà necdum abſolutè, certè, & evidenter conſtat, quæ tamen doctrinæ hæreticæ aſſociatur amico vinculo, imò quæ jam à potiore & ſaniore parte Doctorum Catholicorum cenſurata eſt tanquam hæretica, & quidem ex fundamento & teſtimonio ferme irrefragabili ſcripturæ, & SS. Patrum. Idcircò ternam hanc qualificationem coacervo, videlicet *ſuſpectum de hæreſi, ſapiens hæreſin, & hæreſi proximum*, quia, ut patet conſideranti, inter ſe non differunt niſi ſecundùm magis & minus.

Cùm Theologi circa tales Propoſitiones in ſuis opinionibus & placitis ſint diviſi, cùm præterea ſit attendendum ad characterem perſonæ, quæ eas proponit, item ad tempus, locum & circumſtantias, in quibus hæ Propoſitiones ſunt prolatæ, priuſquam tres ſupra poſitas qualificationes ipſis applices, hinc admodum difficile videtur, deſuper præciſum & certum ferre judicium: Dicam duntaxat quaſi incidenter, ſequentes Propoſitiones mihi apparere vel ſuſpectas de hæreſi, vel hæreſin ſapientes, vel hæreſi proximas, ſalvo tamen meliore judicio.

Quid aliud remanet animæ Prop. I. *quæ*

Digitized by Google

Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

Qui vult Deo appropinquare, Prop. LXVI. *nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtiæ, ſed per fidem & per amorem ſicuti filii.*

Nunquam Deus, Prop. LXX. *affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

Homo, Prop. LXXI. *ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò Sanctos ut membra. Prop. LXXIV.

Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu ſaltem præſumpto totius Corporis. Prop. XC.

16. Propoſitio *favens hæreticis,*
17. *Hæreſibus.*

18. *Schiſmati* eſt illa, quæ inſervit hæreticis, & Schiſmaticis ad colorandos, vel protegendos eorum errores & ſeditiones: Tales ſunt undecim poſteriores Propoſitiones circa excommunicationem, & fallò prætenſam perſecutionem ab Eccleſia exercitatam, & hodie dominantem, utpote quarum Propoſitionum nulla eſt, quæ Novatoribus non ſubminiſtret titulos, & pallia ſe juſtificandi contra Eccleſiam ejuſque deciſiones.

19. Propoſitio *erronea* eſt, quæ negat veritatem ex communi ſenſu & judicio Theologorum implicitè revelatam, licèt eam Eccleſia necdum explicito oraculo de fide tenendam declaraverit: Illa veritas vocatur implicitè revelata, quæ in alia veritate explicitè revelata eſſentialiter includitur: Exemplo res clareſcat; Deus explicitè revelavit, Chriſtum eſſe hominem, ergo implicitè revelavit, eum eſſe riſibilem; conſequenter ad hanc Jdeam de Propoſitione erronea formatam Propoſitiones infra ponendæ ſunt hujus characteris.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia. Prop. XXIX.

Si hac Propoſitione intelligatur, ſolos fideles ſufficientibus ad ſalutem mediis eſſe proviſos, ad minimum erit erronea, quia ejus contradictorium, videlicet non ſolos fideles taliter eſſe proviſos, continetur in his verbis Apoſtoli: 1. ad Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

Gratia Adami non producebat niſi merita humana. Prop. XXXIV.

Contradictorium hujus Propoſitionis continetur in verbis ejuſdem Apoſtoli 1. ad Corinth. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Ut non glorietur in conſpectu ejus omnis caro.*

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ. Prop. XXXV.

Contradictorium continetur in alio Pauli eloquio *Rom.* 11. *v.* 35. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?*

20. Per propoſitionem *pluries damnatam* hic intelligitur una ex illis in Concilio Conſtantienſi, aut Tridentino vel per Bullas Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VIII. & Clementis XI. condemnatis.

Talium non exiguus numerus reperitur inter Propoſitiones centum & unam Quenelli, prout inferiùs demonſtrabitur.

21. Propoſitio *hæretica* eſt illa, quæ formaliter contrariatur expreſſo Dei verbo, vel expreſſæ determinationi Eccleſiæ, eam ut talem declarantis, & condemnantis: jam ſuprà notavimus Propoſitiones quaſdam hæreticas in reflexionibus moralibus, earúmque plures videbimus in qualificatione ſtatim ſequente.

22. Omnes Propoſitiones, quæ vel expreſsè, vel terminis captioſis inſinuant dogmata antiquorum hæreticorum, ſunt *innovantes varias hæreſes.* Si quis cominus examinet Propoſitiones Quenellinas, reperiet quaſdem, quæ errores Wicleffi & Joannis Hus, alias, quæ errores Lutheri & Calvini, plures quæ Michaëlis Baij, vel Janſenii innovant.

Wicleffus & Joannes Hus inter alia falſa dogmata hoc quoque docebant, Papam & Epiſcopos nulla pollere authoritate aut præferentiâ ſuper ſimplices Presbyteros; regimen Eccleſiæ, ut comuniter tenent omnes Catholici Theologi, non eſſe Monarchicum Ariſtocratiâ permixtum, & temperatum; quod idem ſonat, ac ſi dixeris, authoritatem immediatè datam eſſe membris Eccleſiæ, non verò ejus capiti, ac corpori paſtorali, ſeu primis paſtoribus: docebant præterea, excommunicationes Paparum, & Epiſcoporum minùs eſſe timendas, & magis deſiderandas; reprobos non eſſe membra corporis Eccleſiæ; Prælatum, aut Epiſcopum non eſſe amplius Prælatum, aut Epiſcopum, quando verſatur in ſtatu peccati mortalis: ſequentes propoſitiones vel renovant has hæreſes, vel ſaltem tendunt ad earum innovationem.

Digitized by Google

Eccleſia authoritatem excomunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores, de conſenſu ſaltem præſumpto, totius Corporis, Prop. XC.

Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: nunquam eximus ab Eccleſia etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus. Prop. XCI.

Pati potiùs in pace excommunicationem, & Anathema injuſtum, quàm prodere Veritatem eſt imitari S. Paulum : tantùm abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere Unitatem. Prop. XCII.

Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, Prop. LXXII. *quòd ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cæli, & omnes electos, & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.* Et ſequentes.

Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite. Prop. LXXVII.

Secundùm hanc propoſitionem Epiſcopus exiſtens in ſtatu peccati mortalis, Jeſum Chriſtum non habet pro ſuo capite, & conſequenter non eſt membrum corporis Eccleſiæ; ſi non ſit membrum Eccleſiæ, ubi hæret ejus Authoritas & juriſdictio?

Lutherus, & Calvinus, ut taceam eorum errores vel communes vel particulares cum Huſſitis & Wicleffiſtis, dogmatiza-

bant, Eccleſiam non eſſe viſibilem, poſſe errare, decipi, deficere; Chriſtianos non habere vera merita, ne quidem cum gratia; fidem ſufficere ad ſalutem; hominem non eſſe formaliter juſtum, ſed tantùm per juſtitiam Chriſti imputatam; ſacras Paginas ſine diſcrimine omnium manibus terendas; Officium eſſe cantandum, ac divina myſteria celebranda in linguis vulgaribus, ut omnis populus percipiat, & intelligat, quid dicant & agant Miniſtri altaris, ut ſic ſe illis jungere valeat in ſupplicationibus publicis. Sequentes propoſitiones innovant omnes memoratos errores.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſaculi? Prop. LXXIII.

Juxtà hanc propoſitionem illi ſolùm ſunt membra Eccleſiæ; qui vivunt de ſpiritu Jeſu Chriſti, & qui per ejus gratiam operantur; hinc cùm ignoretur, qui ſint illi de Spiritu Chriſti viventes, conſequitur Eccleſiam non eſſe viſibilem.

Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua, Prop. XCV. *quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti Idioma incognitum: Adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium, neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.*

Vetuſtas minitatur propinquam mortem juxta Apoſtolum: *Quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.* ad Hebræos. 8.

Fides, uſus, Prop. LXIX. *augmentum, & præmium fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*

Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide, & precibus. Prop. LXVIII.

Differentia, Prop. XXXVI. *eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propriâ perſonâ recepiſſet; iſta verò non recipitur niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

Utile & neceſſarium, Prop. LXXIX. *eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere Spiritum, pietatem, & Myſteria ſacræ Scripturæ.*

Item. *Lectio ſacræ Scripturæ,* Prop. LXXX. *eſt pro omnibus:*

Eripere, Prop. LXXXVI. *ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.*

Opiniones Michaëlis Bay reducuntur circiter ad octoginta, prout ſunt diminutæ, vel counitæ: labor proinde foret nimiùm profuſus, demonſtrando ſingulatim cujuslibet Baianæ Propoſitionis

Digitized by Google

conformitatem cum ſingulis Quenellinis, ſufficiet nonnullas confrontâſſe, quæ non præcisè ſpectant ad 5. Janſenii Propoſitiones, de quibus mox infra.

Gratia Adami Prop. XXXIV. *non producebat niſi merita humana*, quæ eſt IV. Baiana.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, Prop. XXXV. *& erat debita naturæ ſanæ, & integræ*, quæ eſt XXV. XXIV. & XXVI. Bay.

Peccator, Prop. XXXVIII. *non eſt liber, niſi ad malum ſine gratia Liberatoris*, & aliæ ſimiles, quæ ſunt propoſitiones Bay XXVII XXVIII. XXIX. XXX.

Non ſunt niſi duo amores, Prop. XLVI. *unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus:* & aliæ ſimiles, quæ coincidunt cum propoſitionibusBay. XX. XXV. XXXV. XL. LXII.

Obedientia legis, Prop. XLVII. *profluere debet ex fonte; & hic fons eſt charitas, quando Dei amor eſt illius principium interiùs, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs;*

alioquin

alioquin non eſt niſi hypocriſis , & falſa juſtitia: & ſequentes, quæ conformes ſunt cum propoſitione XVI. Bay.

Quantùm ad hæreſes in famoſis Janſenii Propoſitionibus complexas , evidens eſt , Quenellum eas omnes reſuſcitare.

Nunquid non renovat primam Janſenii ? ***Aliqua Dei præcepta ſunt hominibus juſtis impoſsibilia ſecundùm præſentes , quas habent vires , & deeſt illis gratia, quâ poſsibilia fiant***; quando docet Propoſitione II. & IX.

Jeſu Chriſti gratia, Prop. II. *principium efficax boni cujuſcunque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum, abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* Item.

Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, Prop. IX. *ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus , & cum qua nunquam illum abnegamus*.

Unde neceſſariò ſequitur, gratiam Petro defuiſſe, cùm Chriſtum negavit , & ſic ex defectu hujus gratiæ Petro fuiſſe impoſſibile evitare illam negationem.

Nònne renovat Quenellus ſecundam Janſenii? ***gratia interiori nunquam reſiſtitur***; cùm dicit Propoſitione XII. XIII. XVI. XVIII.

Quando, Prop. XII. *Deus vult ſalvare animam , quocunque tempore, quocunq; loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

Quando Deus, Prop. XIII. *vult animam ſalvam facere , & eam tangit interiori gratia*

Digitized by Google

ſua manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

Nullæ ſunt illecebræ, Prop. XVI. *quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

Semen verbi, Prop. XVIII. *quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

Utique renovat tertiam Janſenii; *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*; ſic enim docet Quenellus.

Peccator non eſt liber, Prop. XXXVIII. *niſi ad malum ſine gratia Liberatoris.*

Sine gratia, Prop. XL. *nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem.*

Ex quo ſequitur peccatorem poſſe addici flam̄is ſempiternis; quamvis non ſit indifferens ad bonum & malum.

Renovat quartam Janſenii: *Semi-Pelagiani in hoc erant hæretici, quòd voluerint gratiam eſſe talis naturæ, ut voluntas poſſit ei obedire vel reſiſtere.* Quando docet.

Gratia eſt operatio, Prop. X. *manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt aut retardare.*

Gratia, Prop. XXI. *Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

Tandem innovat Quintam Janſenii: *Semi-Pelagiani eſt dicere*,

Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe; quando docet.

Omnes, Prop. XXX. *quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

Deſideria, Prop. XXXI. *Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

Jeſus Chriſtus, Prop. XXXII. *ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id eſt electos, de manu Angeli Exterminatoris.*

En totum habes, quod reſpondendum erat primæ tuæ quæſtioni mihi propoſitæ: nî fallor, plenè tibi ſatisfactum; priuſquàm tamen ad aliam tranſeamus quæſtionem, veniam dabis, ſi te interpellem, quid modò judices? quid ſentias? quid cogites? nònnne ex auditis & ad oculum demonſtratis fateberis, urgentiſſimam fuiſſe neceſſitatem librum tot impietatibus ſcatentem ab Eccleſia condemnari? ſummum hoc fuiſſe rei orthodoxæ negotium? nullam reperiri cenſuram adeò diram, quam non mereatur volumen iſtud indelebili maculâ, & infamiâ notandum? nònne de tali libro impoſterum plus horroris & averſationis concipies, quàm hucuſque æſtimationis, & appretiationis?

Omninò videtur, tibi hoc loco idem ſentiendum, quod ſentit Pater-Familias, qui longo tempore retinuit domeſticum, quem fidelem credidit, ſed tandem habituatum furem & latronem expertus eſt: Exhorrens infremit Pater-Familias intuitu periculi, quod evaſit; millenis vicibus, elevatis manibus Deo benedicit, qui tam clementer eum è faucibus mortis eripuit, ac præſervavit; abſque mora jubet inveſtigari, quid furto, quid rapinâ tulerit è domo malignus domeſticus, ut id incunctanter recuperet. Talia

Digitized by Google

ruminari, ac perpendere te velim ſuper Reflexiones Morales Quenelli, quibus tamdiu diverſorium conceſſiſti, quas ex cæca præventione tibi tam utiles, tam neceſſarias exiſtimâſti.

Horrore fremas intuitu periculi, cui te expoſuit lectio libri hujus, prolabendi ſcilicet in eoſdem errores, quibus repletus eſt. Benedicito Dominum Cæli, quòd tibi per Organum ſui in terris Vicarii tam miſericorditer detexerit laqueos paratos pedibus tuis, & extenſos ad capiendam animam, & fidem tuam ſub ſpecie pietatis: ſedula ſcrutatione tui ipſius examina, utrùm perniciosus liber non reliquerit in corde quoddam ſemen infidelitatis, ut prompta manu id evellas ſecuta integra & ſincera abjuratione omnium Propoſitionum damnatarum. Hi ſunt fructus, quos mihi promitto de tua docili pietate, cujus in omni occurentia tam inſignia præbes ſpecimina non ſine commendabili ædificationis exemplo.

QUÆSTIO SECUNDA.

UNDE PROVENIT, QUOD A triginta annorum intervallo, quo liber Reflexionum Moralium inter manus omnium volvebatur, non obſervati ſint errores, qui hodie illi attribuuntur? Quomodò hæc fieri poſſunt, ut liber hucuſque communi virorum, doctrinâ & pietate in omni ſtatu eminentium, calculo approbatus ſubitò tam malignus, & pernicioſus evaſerit?

HÆc eſt quæſtio, quâ maximè plaudunt omnes ex parte Quenelli ſtantes, ſub umbra hujus prætextûs ſtrenuè decertant pro Quenello contra judicium ſummi Pontſiicis: hoc eſt, quod paſ-

Digitized by Google

ſim hinc inde ſpargunt, ac inſtillant in aures plebis, eóſque dementant, qui parùm in negotiis fidei verſati non niſi ex fallacibus rerum apparentiis judicant; verumtamen ſi quis vel modicum ſe docilem præbeat, de facili fraudem deteget, ſuúmque præjudicium, primo intuitu Reflexionibus Quenelli tam favorabile, immutabit: ad hoc intentum non niſi jam ſæpius dicta repetam. Cùm enim fautores Quenelliſmi iterum, atque iterum eaſdem continuò difficultates reiterent, licèt jam centies debitis reſponſis ſint enervatæ, idcircò eaſdem quæſtiones iiſdem reſponſis compenſabimus. Deinde filios lucis non oportet eſſe minùs prudentes filiis tenebrarum; non vereantur Catholici præſtare in patrocinium veritatis, quo Novatores ſtudiosè prævalent in veritatis exterminium: hi enim in dies magis ardentes & impigri ad tutelam cauſæ jam toties perditæ nunquam laſſantur & dictis & ſcriptis ſuis pernicioſis, quibus omnem orbem & Acherontem movent, idem continuò recantando. à Publicatione ultimæ Conſtitutionis Beatiſſimi Patris noſtri Clementis XI. contra novum teſtamentum. Quenelli, non minus ac quinquaginta opera & opuſcula numerantur ad ejus defenſionem à Novatoribus elaborata.

Numeroſa hæc ſoboles partus adeò frequens tot librorum in lucem datus, & quidem tam arcto temporis ſpatio prægrandem utique opinionem creat de inexhauribili fæcunditate ingeniorum Janſenizantium: Verùm cùm eorum labores de propinquo inſpexeris, plus molis, quàm virtutis reperies, ſtatim non Authores ſed Compilatores habebis, ac numeroſos ſententiarum Referendarios unius de eodem ſecundùm idem.

Enormis hic cumulus libellorum non niſi eundem cibum apponit publico palatui diverſimodè conditum, aliis atque aliis patinis illatum ad irritamentum gulæ, & curjoſitatis repletionem. Undique comparent iiſdem ratiunculis falſis & captioſis, iiſdem declamationibus vagis & volatilibus, iiſdem verſutiis falſum cum vero miſcentibus, eadem præſumptione ſupponendi tanquam principia in-

concuſſa, quæ non ſolùm ſunt opiniones Theologorum arbitrariæ; verùm non nunquam errores craſſiſſimæ pertinaciæ.

Quò, putas, tendit hæc multitudo prodigioſa operum ſemper idem per idem reaſſumentium? dicam, quod res eſt; ut illudant multitudini cæcorum multitudine cæcutientium, ut perſuadeant cauſam eorum eſſe valdè bonam, quam tot Patroni tot Advocati in clientelam ſuſcipiunt, ut ſecuriùs noceant, ut fæcundiùs ſuum virus diſpergant, perſuaſi, impoſſibile fore ex tanto libellorum undequaque circumvolantium numero non ſaltem aliquos ſuum effectum aſſecuturos, exoptatas in hominum intellectibus impreſſiones generando; ſuntque in hoc Janſeniani non abſimiles militibus præſidiariis in defenſione urbis continuò & in incertum tormenta ſua exonerantibus, quamvis ſciant, non omnes eorum ictus aggreſſores ſternere, contenti dummodò non omnes auram inanem verberent. En quid intendant operarii iniquitatis indefatigabiles! Et utinam Eccleſiæ filii tanto zelo prodigi forent pro tutela ſuæ Matris, id ipſum audentes pro defendendo, quod inimici Eccleſiæ pro impugnando Veritatis munimento.

At finienda eſt hæc digreſſio inſenſim nos à ſcopo diſtrahens; revocemus pedem ad quæſtionem propoſitam. Itaque reſpondeo, librum reflexionum moralium in ſua origine habuiſſe aliquam approbationem: verùm ipſemet fatetur Quenellus, (*a*) quòd tunc hic liber non fuerit niſi ***un livret***, hoc eſt delineatio libri obiter concepta. Verum & genuinum Quenelli opus eſt illud, quod de facto agitatur, quódque non fuit finitum, nec in ſtatum præſentem redactum niſi Anno 1693. Et hoc ipſum eſt illud opus, quod non tantùm approbatione generali caruit (quid-quid falsò prætendant Novatores) ſed mox editus varios clamores, & contradictiones excitaverat.

Reverà Anno ſequente, qui erat Annus 1694. Formagouus celebris Doctor Sorbonicus extractionem publicavit ducentarum Propoſitionum damnabilium, quas in libro Quenelli notaverat:

(*a*) Exp. apol. pag. 19.

Digitized by Google

uterque Bucherius Doctores ejuſdem facultatis Sorbonicæ tam ex pietate, quàm profunda ſcientia notiſſimi illa ipſa tempeſtate ſimiles extractus conſtruxerant; plures inſuper egregiæ literaturæ viri ex omni ſtatu & conditione circa illud tempus id ipſum præſtiterant, quos omnes nominatim referre nimis oneroſum & inutile foret: tam urgens erat hoc negotium, ut factio adverſaria repente ad arma clamaverit, quêis ſe defenderet.

In hunc finem recurrebat Janſeniſmus ad artificium hæreticis frequentiſſimum, auccupando ſcilicet favorem quorundam Epiſcoporum diſtinctioris Authoritatis, eorúmque approbationes ſubreptitiè venando.

Boſſuetus, Epiſcopus Meldenſis, tunc temporis inter illuſtriſſimos Galliarum Præſules non obſcurus rogabatur, ut librum Quenelli examinaret, ac ſpeciem cujuſdam informationis Apologeticæ componeret, partim ad diluendos errores libro huic attributos, partim ad ſedandas Catholicorum juſtas querimonias: hæc informatio debebat poni in fronte novæ editionis ſæpefati operis, quam tunc nonnulli meditabantur. Et quidem ſapiens hic Antiſtes reipſa librum, de quo quæſtio, attentè ruminabatur, & poſt ſerium examen nequaquam id opus approbavit, aut irreprehenſibile reperiit, ut gratis fingunt Janſeniſtæ, ſed judicavit ad ejus plenam correctionem minimùm requiri centum & viginti quaterniones; & prout non dubitaverat, omnes in hoc fore ejuſdem ſententiæ, ſuæque opinionis, ſcriptum compoſuit pro explicatione ſenſûs debiti in aliis locis, quæ patiebantur adhuc nonnullas difficultates: cùm verò ex poſt facto vidiſſet, centum & viginti quaterniones, quos neceſſarios cenſuerat, non eſſe appoſitos, nec correcta fuiſſe niſi pauca quædam loca, & quidem non ad ejus mentem & deſiderium, idcircò noluit, ut poſthac ſua informatio Apologetica cuiquam inſerviret, unde etiam prohibuit eam prælo dare.

Hæc acta & facta ſunt publica, ſunt notoria certis teſtimoniis ad nutum comprobanda, nullis exceptionibus, nullâ falſi-

Digitized by Google

tatis notâ ab adverſariis infirmanda, niſi velint extremæ temeritatis & impudentiæ ſtigmate cauteriari.

Manifeſtæ hæ probationes non ſolùm ab Archi-Epiſcopo Rothomagenſe, ſed & Pariſienſe peti poſſent, ſi conveniret, aut expediret ſimilibus uti dilucidationibus.

„ Providentia divina, ait inſignis Author, & emeritus Pro-„ feſſor in ſuis reſponſis ſuper librum dilucidationum datis: (*a*) Provi-„ dentia divina hujus rei irrefragabile præbet teſtimonium. Piæ me-„ moriæ Epiſcopus Carnutenſis, cujus & pietas, & Zelus, & eru-„ ditio tanta Eccleſiæ reddidêre ſervitia, cui Epiſcopus Meldenſis „ P. M. arctiſſimè jungebatur, reliquit inter ſuas chartas propria „ manu ſcriptum quoddam folium, in quo notat, dictum Epiſco-„ pum Meldenſem ſibi dixiſſe coram Parocho ad S. Sulpitium op-„ timè noto ex inſigni ſua probitate, ac merito, quòd ab initio „ non approbaverit librum Quenelli, niſi ſub conditione correctio-„ nis in locis à ſe ſignatis (quæ etiam loca à dicto ſapientiſſimo „ Antiſtite Meldenſe enumerantur, ſúntque conformia numero ſupra „ annotato) & quòd idcircò ſuam Monitionem Apologeticam no-„ luerit præmitti libro Quenelli, eò quòd non fuerit purgatus niſi „ in tribus ant quatuor locis.

„ Addamus huic teſti omni exceptione majori alium, quem „ nec Quenellus, nec ejus Sectatores ullo titulo recuſaverint.

„ Teſtis hic eſt ipſe Quenellus, qui ingenuè fatetur, non om-„ nia fuiſſe immutata, quæ Epiſcopus Meldenſis mutanda ſignave-„ rat. En formalia admonitionis, quam Quenellus imprimi juſſit „ in fronte Juſtificationis Boſſueti Epiſcopi Meldenſis: *antequam ulteriùs progrediamur*, inquit (*b*) *Bona fides me obligat monere, quòd Epiſcopus Meldenſis panè ultra neceſſitatem exactus annotaverit quædam loca reflexionum, quæ putabat poſſe immutari* (*vel potiùs debere immutari & quæ tamen mutata non fuerunt*) „ hæc admonitio, quam *bona fides* ex ore „ Quenelli elicuit, eſt valde conſiderabilis; & quamvis hic non

(*a*) Pag. 46.
(*b*) Pag. 25.

„ afferat

„ aſſerat numerum locorum ex judicio Epiſcopi Metenſis corrigen- „ dorum, facilè tamen conjicitur, numerum non eſſe exiguum, ac „ factum eſſe nimis manifeſtum, quòd id diſſimulare nequiverit. „ *Bona fides* non ſolet obligare hos Zelatores Janſeniſmi ad fa- „ ciendas ſimiles admonitiones, ſi res non ſit notabilis, nec adeò „ certa, & præſertim non nimis roborata teſtibus ſine contradictio- „ ne veracibus: dicitur, Quenellum in ultimo ſuo libello, quem „ intitulat (*Vani conatus Jeſuitarum contra juſtificationem Reflexionum* „ *Moralium*) numerum illum determinare ad viginti quatuor; ſi „ totum fateri voluiſſet, quod hac de re noverat, vel ſaltem ſe „ informari curâſſet, forſitan bona fides, ſi aliqua ei manſit re- „ ſidua, dictâſſet centum & viginti loca „: En paucis verbis conceptas probationes facti hujus ſat multi momenti.

Interim nova editio projectata tandem comparuit Anno 1699. & hæc eſt, contra quam ſtatim inſurrexerunt plures ſpectabilis characteris perſonæ ex omnibus regni finibus cum tam accelerato ſucceſſu, ut brevì fuerit diffamata per plures damnationes Epiſcoporum pro cauſa bona Zelantium: Primæ ſententiæ condemnatoriæ comparuerunt, Anno. 1703. 1704. 1706. & ut ſileam damnationes de Anno 1710. 1711, Beatiſſimus Papa Clemens XI. poſt examen ſeverum ſuper novum teſtamentum Quenelli inſtitutum, ac terminatum condemnavit illud tanquam opus ſummè pernicioſum jam Anno 1708, per Breve immediatè à ſe ipſo emanatum: Quis deinceps non fatebitur inſignem plebis illuſionem, cùm illi inſuſurratur, prout indies practicatur ab Adverſariis, librum Quenelli hucuſque communi omnium approbatione valuiſſe.

Nemo negat, Reflexiones morales non confeſtim in eam cecidiſſe diſgratiam, quâ hodie laborant; quin imò à nonnullis Catholicis fuiſſe approbatas in principio, libenter fatemur: ne tamen id mireris; tria enim inſigniter contribuerant ad obtenebrandos hominum intellectus, ut minùs citò libri hujus malam fidem, & famam adverterint.

1. Contribuit illuſioni Authoritas quorundam Epiſcoporum,

qui vel aſtu Janſenianorum circumventi, atque in præjudicium Religionis præoccupati, vel minus ſoliciti perſcrutari librum Quenelli perſonali ſua inquiſitione, vel illum obiter duntaxat & ſuperficialiter examinantes eum ſuis approbationibus illuſtrârunt. 2. Contribuit illuſioni Verſutia, quâ Quenellus ſtuduit peſſima optimis temperare, ut optima peſſimis quaſi pro ſalvo conductu ſervirent omnium animos pervadendi, ac approbationem toti operi conciliandi. 3. Contribuebant illuſioni expreſſiones æquivocæ, quibus utitur Author occultandis erroribus, item eloquentiæ blandimenta, excæcandis legentium interioribus oculis intertexta: non obſtantibus tamen his artificiis falſiſſimum eſt, librum Quenelli generaliter fuiſſe approbatum, quidquid ejus Sectatores glorientur.

Nec etiam cauſæ Quenelli favet, quòd ejus Reflexiones non fuerint in cunis damnatæ, & cùm primò comparuiſſent: Quis enim ignorat, multos hæreticos & hæreſiarchas diſſeminâſſe ſua Zizania per agrum Dominicum longo temporis tractu, antequam manu Apoſtolica fuerint evulſa; volumina eorum venenata orbem pervolâſſe diu, antequam damnationem receperint? non ſtatim ac liber perniciosus lucem videt, Caput, & Paſtores Eccleſiæ de ejus tenebris informantur; frequenter tale opus nocivum non niſi ex fructibus cognoſcitur ac malis effectibus. Experientiâ conſtat, plurimos ejus hujuſmodi libros non niſi poſt integra ſæcula ab Eccleſia fuiſſe proſcriptos.

Origenes compoſuit famoſum illud opus *de Principiis* circa Annum 217. Interim Sacræ Sedis damnationem effugit uſque ad Annum 400, quando Papa Anaſtaſius primò id condemnavit; tota dein Eccleſia Anno 553. in quinto Concilio œcumenico, hoc eſt trecentis annis poſt mortem Origenis ejus librum anathemate confixit.

Scripta Theodori Mopſveſtani ad initium ſæculi quarti comparuêre, nec tamen Anathema ſenſerant uſque ad medium Sexti ſæculi.

Hîc ſiſte gradum, ac tantiſper allata exempla attentioribus oculis pondera; nunquid mox memorata opera minùs erant maligna, minùs facinoroſa, minùs periculoſa ante damnationem? nunquid

melioris notæ, quòd tardius ſint declarata ut peſſima? an doctrina in iis contenta abominabilis & ſeductoria, facta eſt Orthodoxa, quòd ſuos numeraverit Patronos, vel inter ipſos Epiſcopos Orthodoxos? an idcircò cenſurâ careat, quòd eâ plus quàm 120. annis caruerit?

Non abſimili tono diſcurramus de libro Quenelli; demus, hunc librum fuiſſe lectum in Galliis ſpatio quingentorum annorum abſque ulla contradictione, fuiſſe approbatum authoritate centum Epiſcoporum ex omnibus orbis Chriſtiani partibus, nihilominùs ſedes Apoſtolica cum reliquis Epiſcopis ſacræ ſedi unitis inviolato ſemper polleret jure eum condemnandi, fideles continuò obligarentur in conſcientia horum deciſionibus acquieſcere, ac debitam obedientiam ſolvere, cùm nec vitium nec hæreſis contra Eccleſiam Romanam & Apoſtolicam, contra columnam veritatis præſcribere valeat.

Inconcuſſæ huic veritati præbet inſuper inſigne ſuffragium ac monumentum hiſtoria Eccleſiaſtica circa pravam opinionem Chiliaſtarum, ſeu Millenariorum, volentium, Jeſum Chriſtum poſt communem carnis reſurrectionem mille annis regnaturum in terris ad guſtandas cum ſuis electis omnes imaginabiles corporis delicias.

Papias Epiſcopus Hieropolitanus diſcipulus S. Joannis Evangeliſtæ erat author hujus ſententiæ: ſub tanti Præſulis authoritate ſpectabili hæc opinio non diu ſuis aſſeclis caruit, citò prævaluit non duntaxat in promiſcua plebe, verùm etiam in primis Eccleſiæ Patribus, ac Epiſcopis. S. Juſtinus, & S. Irenæus ex illis erant, qui maximè hanc opinionem promoverant, ſuiſque ſucceſſoribus tanquam ex teſtamento legaverant uſque ad finem quarti ſæculi, cùm eam Papa Damaſus veluti hæreticam profligavit. Nec authoritas diſcipuli Apoſtolorum, nec exemplum Epiſcoporum, quorumdámque Eccleſiæ Patrum haud vulgarium, nec patientia temporis per duo ſæcula integra Chiliaſtarum opinionem ſatis ſecuram reddidit, aut in tutò conſtituit, ne feriretur cenſurâ ſacræ Sedis. Ad vocem ſummi Paſtoris conticuère greges, inclinatis cer-

Digitized by Google

vicibus deciſioni Pontificiæ ſe ſubmittentes, ſeque obligatos ſentientes cum horrore abjiciendi, quod ſumma Cathedra impium declaraverat, non attentis quibuſcúnque in contrarium faventibus præjudiciis.

Quid igitur cenſendum de conſtitutione Clementina contra librum Reflexionum Moralium? comparandum autumas diſcipulum ſpectatæ integritatis S. Joannis Evangeliſtæ cum diſcipulo Janſenii de hæreſi jam convicto, ſibiq; fugâ & exilio conſulente inter Batavos, ne pœnas lueret hæreticis debitas? num comparabis authoritatem Epiſcoporum ſanctitate gravium Primitivæ Eccleſiæ opinioni erroneæ formaliter adhærentium cum authoritate quorundam Prælatorum, qui librum Quenelli quidem approbantes ſemper tamen adoptandis ejus erroribus ſe maximè alienos proteſtantur? æquabíſne prætenſam tolerantiam triginta annorum cum tolerantia duorum ſæculorum? age ſis; judica; fatere mecum, hanc rationem tolerantiæ & dilationis, quâ adverſarii ſuperciliosè gloriantur ubique, non eſſe natam, niſi ad dementandos ſuperficiales, nihil unquam ex radice penetrare volentes, ſeſeque cæco contradictionis pruritu laqueis hæreticorum apertiſſimis implicantes.

QUÆSTIO TERTIA.

CUR RAPITUR E FIDELIUM manibus Liber, qui cum ſimplicitate lectus Devotis non niſi inſignem inſpiraverat pietatem abſque inſpiratione ullius erroris ab Eccleſia condemnati?

VIx meliùs reſolverim hanc quæſtionem, quàm repetendo reſponſionem jam datam in prima mea Epiſtola inſtructiva,

Digitized by Google

loquens de libris prohibitis; (*a*) ne ſuccenſeas, ſi illuc te velim retrogradum : perſpicies ibidem, quòd ſi talis prætextus ſufficeret, nulla forent Biblia ſatis corrupta, nulli libri ſatis hæretici, qui non impunè inter omnium digitos volverentur ; quippe nulla reperies Biblia, nullos libros ita ex toto depravatos, qui non ſaltem aliquid ædificationis contineant : Eodem loco citato edoceberis, nil minùs favere legendis libris de hæreſi ſuſpectis, ac ſimplicitatem fidelium, quin ex adverſo hanc ipſam ſimplicitatem eſſe motivum præponderans talem lectionem interdicendi : Etenim verſatus Theologus diſtinguens inter lepram & lepram, verum & falſum non faciliter periclitatur legendo libros prohibitos, cùm econtra ignorans aliquis, vel litteris ſemitinctus, neſciens mendacium à Veritate diſcriminare huic & illi æqualiter adhæreat, ac hæreticus ſaltem materialis evadat, priusquam advertat.

Id ipſum ibidem dixeram de libris interdictis ſingularem quandam pietatis ſpeciem præſeferentibus, quippe quòd liber clamoroſis impietatibus ſcatens, omniſque devotionis amictu ſpoliatus multò minùs ſit periculoſus ; venenum enim apertum & cognitum non invitat, ſed abſterret, horrorem non delicias creare aſſolet, cùm viciſſim virus dulci phalerno mixtum ſuaviter intret, ac mendacium, veritatis pietatíſque amæno liquore temperatum faciliùs mentem faſcinet, altiore impreſſione cor rapiat.

Superabundans omninò videtur hoc ratiocinium pro reſponſo ad præſens quæſitum. Addendum tamen eſt, ac ſolemniter proteſtandum contra falſum ſuppoſitum undique proclamatum, quaſi liber Reflexionum Moralium ſuis Lectoribus prægrandes generaverit pietatis motus. Labor ingens enatus, & in dies enaſcens in eripiendo hoc libro ex fidelium manibus, querelæ acutæ & ſeditioſæ in ſummum Pontificem, ac Chriſtianiſſimum Regem undique perſonantes, publica & ſcandaloſa rebellio plurimorum huic lectioni ſtudioſiſſimè addictorum teſtimonium perhibent ſatis convincens de prætenſæ pietatis libro hoc, quòd opera ejus ma-

(*a*) Art. II.

Digitized by Google

ligna ſint, quòd pietatem non foveat, ſed impietati faveat: *Ex fructibus eorum* (dicit Dominus (*a*) *cognoſcetis eos*; ex fructibus arbor dignoſcitur: ſi liber ſæpefatus eam circumferret pietatem, ac probitatem, quam ante ſe tubâ canunt Zelatores Quenelli, primus utique hujus pietatis effectus fuiſſet ſpiritus humilitatis, ac timoris Domini, ſpiritus Charitatis & Reverentiæ versùs Eccleſiam ejuſque deciſiones in cordibus fidelium excitatus; cùm verò experientia ſenſibile contrarium doceat, cùm nemo non videat, Quenellum uſque adhuc ſuis Lectoribus non niſi præſumptionem, ſeditionem, ac contumaciam inſpirâſſe, nónne exin conjiciendum, cujus ſit characteris liber iſte, nimirum omnium perniciofiſſimi in Eccleſia noſtris diebus?

Nequaquam, Amice ſuaviſſime, ne, quæſo, credas Quenellum Reflexivum talem eſſe, qualem tibi præventiones olim conceptæ dictaverant; non illius eſt characteris, non illis annumerandus libris, quibus nuntium dederunt plurimi, ut abirent poſt hunc trans Jordanem: Cave, Quenellum comparaveris cum Ludovico Granatenſi, Rodericio, Franciſco Saleſio, *per quos ſalus facta eſt in Iſraël* (*b*) Tametſi verum ſit, eum corda rapere funiculis apparentis devotionis, nec non illaqueantis eloquentiæ præſtigiis, tametſi ſuavi lenocinio primas titillet imaginationes ocius inſtillans unctionem ſenſibilem; hæc tamen unctio non niſi animalis eſt, inferiorem duntaxat animæ partem irrigans; ſuperiorem verò relinquens terram aridam, inviam, & inaquoſam, vera devotione ſterilem: non abſimilis eſt Quenellus libellis fabuloſis ficta heroum geſta & amores narrantibus, quos vulgò Romanos vocant, qui licèt tragicis ſuis eventibus legentium lachrymas fundant, non tamen lachrymantium veram compaſſionem, aut afflictionem cordis eliciunt.

Seu ut meliùs loquar: non incongruè Quenellum Reflexivum, alioſque hujus farinæ ſcriptores, corúmque libros compa-

(*a*) Matth. 7. v. 16.
(*b*) 1. Machab. 5. 62.

raveris Principi tenebrarum in Angelum lucis transfigurato, animaſque falſis apparitionibus, ac revelationibus deludenti: in principio quidem Spiritus mendacii ſuggerit motiones tenerrimæ ac vivaciſſimæ pietatis, nîl tandem pro fructu & effectu fallacis ſuæ viſitationis relinquens præter ſuperbiam & pertinaciam, quarum Pater eſt. Libri factionis Janſenianæ ad ſpeciem & apparentiam non niſi Sacro-Sancta ſpirant, eminentiſſimæ devotionis affectus accumulant; Auſtera reformatio morum, profunda annihilatio ſui ipſius, completa reſignatio in Dei manus & voluntatem, amor purus & defœcatus, omnis ſpei, aut timoris expers; hæc & alia ſunt quaſi elementa horum voluminum, ſunt quaſi lingua vernacula talium ſcriptorum. Verùm (*a*) *nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur* novarum opinionum, terræ mortaliter ſterili pluvias non dant, ſed promittunt; *arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ*, fidei ſcilicet & charitatis vitâ orbatæ, *eradicatæ* ex agro Eccleſiæ, à qua ſe ſeparant ſua infidelitate; arbores eradicatæ, inquam, quarum fructus vel non matureſcunt, vel amari & virulenti ſunt. Sic de libris Janſenizantium judices, imprimis de Quenelli paginis.

Supponamus tamen, non concedamus, Quenellum tibi tam utilem, & quidem ultrà quàm tibi perſuaſeras; ne idcircò dubites eum deſerere, ac cum horrore averſari poſt latum de eo Eccleſiæ judicium; ad hoc enim tenéris in conſcientia, huic judicio te ſubmittere obligaris ſub pæna peccati mortalis, & excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ. Memoriæ refricâſſe te velim id, quod forſan non ſemel in ſcriptis S. Thereſiæ legiſti; quod enim hîc loci dicimus, peculiariter ſpectat ad perſonas pietatem profeſſas, ac ſpecialiter lectionibus devotis incumbentes.

Huic Virgini ſpectatiſſimæ Sanctitatis nonnulli libri familiares erant, è quibus non ſpernendos collegerat fructus, ac inſigne retulerat adjutorium in via Domini. Hi libri, tametſi in ſe ipſis optimi, nihilominus interdicebantur à ſuperioribus Eccleſiaſticis ex prudenti metu, & præcautione, ne conſcientiis debi-

(*a*) Judæ v. 12.

lioribus plus damni, quàm emolumenti cauſarent: (*a*) abſque reſiſtentia ſe ſubjecerat juſſioni Eccleſiæ ſancta Thereſia; verùm mærore aflicta quodam die, quòd ſe fruſtratam videret lectione librorum ejus arbitratu tantopere utilium, ſponſo cæleſti, cujus frequenti & familiari colloquio dignabatur, planctus ſuos fiducialiter expoſuit: quid reſpondit ei Dominus? num illud, quod armigeri Quenelli ſuis devotis inſuſurrare ſolent, præpotentem & artificioſam quorundam conſpirationem cenſuras Romanas præoccupâſſe? hos libros damnatos non niſi bonitatem, diſciplinam & ſcientiam Sanctorum docere? Authoritate Doctorum, & Prælatorum inſignium firmatos eſſe? Spiritui ſancto reſiſtere, qui libros refellit pietatem ſpirantes? abſque dubio non dubitâſſet S. Thereſia, tales reſponſiones ex orco manare, linguam dæmonis eſſe. Verùm non ſic reſpondit Dominus, ſed, *ego tibi dabo librum bonum, non hoc te affligat.*

Simili tono ſemper reſpondebunt fideles Miniſtri Domini noſtri Jeſu Chriſti; non niſi Miniſtri Sathanæ aliter loqui poterunt. Liber Reflexionum Moralium, dices fortaſſe, mihi perquam utilis erat, ad pietatem, ad pænitentiam, ad compunctionem me provocabat: at ſic credis, & credendo deciperis; præventione tua propria excæcaris; ſed quidquid ſit, non tibi, Eccleſiæ credas, huic obedias; cæcâ hâc obedientiâ plus proficies, quàm univerſis mundi libris, *non hoc te affligat; Dominus tibi dabit bonum librum*, ſed qualem, inquis? illum ipſum, quem Dominus S. Thereſiæ porrexit, nimirum ſe ipſum, ſuamque adorandam perſonam, in qua ſunt *omnes* (*b*) *theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi:* En librum, quem Dominus tibi donabit in remunerationem obedientiæ (*c*) *librum ſcriptum intùs, & foris*, in quo centuplicato fænore reſtaurabitur, quidquid ædificationis ex Quenello haurire potuiſſes, ſi tantopere bonus fuiſſet, ac malus inventus eſt.

(*a*) In vita S. Thereſ. cap. 36.
(*b*) Ad Col. 2. 3.
(*c*) Apoc. 5. 1.

Tolle

Tolle, lege librum hunc diviniſſimum : quàm ſolidas in eo guſtabis delicias, & inſtructiones ! *Diſcite à me*, ſtatim tibi primo intuitu inſtillabit liber iſte, (*a*) *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: Mitis*, non arroganter diſputando cum legitimis tuis poteſtatibus, *humilis* non nimiùm præſumendo de tuis luminibus : (*b*) *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*; dicet hic liber; *eſto prudens*, non temerariè te exponendo periculis errorum legendo libros de hæreſi ſuſpectos; eſto *ſimplex*, ſine replicatione deciſionibus Eccleſiæ te ſubmittendo, maturè ruminare in hoc libro, quòd qui Eccleſiam non audierit, ſit habendus *velut Ethnicus, & Publicanus.* (*c*) Meditare ſæpiùs & attentiùs hæc oracula Veritatis æternæ, quæ ſcripta ſunt in libro hoc digito Omnipotentis in Sanguine Unigeniti Filii ejus Jeſu Chriſti; Non diu deſolatus langueſces ex privatione libri Reflexionum Moralium, tibi non minùs ac S. Thereſia de jactura tua gratulaberis.

QUÆSTIO QUARTA.

CUM EX COMMUNI OMNIUM aſſenſu multa reperiantur in libro Moralium Quenelli, quæ ſunt juſta, Sancta, & ædificabilia; nonne potuiſſet, ſervato corpore libri, illud tantùm corrigi, quòd deprehenſum eſt erroneum, & defectuoſum?

MUrmur, & querimoniæ, prout non leviter notat gravis quidam author, plurimùm ſerviunt hæreticis, quando ſe vident acriter exagitatos à Catholicis, ac ſeverè condemnatos ab Ec-

(*a*) Math. 11.
(*b*) Math. 16.
(*c*) Math. 18.

cleſia, cùm non ignorent (inquit Baſilius loquens de Eunomio per quam opportunè, & ad propoſitum) homini naturale, & quaſi innatum eſſe, illorum in ſe ſuſcipere cauſam, & patrocinium, quos videt vexatos perſecutionibus, eorúmque indolere infortuniis; idcircò replent univerſum orbem amaris planctibus contra durum, quo tractantur, modum, ut hâc verſutiâ ſimpliciores per viam mentitæ compaſſionis ad ſua caſtra invitent.

Tempus deplorabile, lugubri exclamat voce Prætenſus ſanctus Quenellus de profundis Hollandiæ, Propoſitione C. *Tempus deplorabile. quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem ejuſque diſcipulos, Tempus hoc advenit ..... Haberi, & tractari à Religionis miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ ferroq; viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea, quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.*

Quid ſibi vult Quenellus penetrante hac exclamatione? vult Lectorem flectere ad condolendum ſibi, ſuoque ſiniſtro Syderi, ſuo infortunio per rebellionem ſibi comparato, vult Lectorem benignum reddere, ac compaſſivum novis dogmatibus, eúmque vocare in compartem, & hæredem fortunæ ſuæ: En Crocodillum verſutiſſimum, non gemit, niſi ut devoret in paſſione & compaſſione ſocios.

Tale quoque eſt intentum eorum, qui Quenellum ſequuntur, idipſum intendunt in lamentationibus ſuis contra Conſtitutionem Quenelli paginis infeſtam. Si penes ipſos fides, hæc conſtitutio non eſt niſi effectus prædominantis ac cæcæ paſſionis, in ea non cogitatur, niſi de infamando Authore per fas aut nefas quocunque juſto aut injuſto pretio; in ea nec Charitas, nec juſtitia obſervatur; in ea abſque diſcrimine Zizania unà cum frumento eradicantur, & ſine reſpectu ad ea, quæ liber ad bonum, & ædifica-

Digitized by Google

tionem Chriſtiani orbis complectitur, tanquam ſummè deteſtabilis condemnatur.

Ut funditus cognoſcas, quàm iniquæ ſint hæ querelæ, attendas, obſecro, Eccleſiam non omnes libros æquali modo ac rigore reſcindere; quoſdam enim prohibet adjunctâ clauſulâ, *donec corrigantur*; quoſdam verò abſolutè damnat, ac proſcribit tanquam ex toto pravos. Primi ordinis ſunt illi libri, in quibus inconſideratim authoribus verè Orthodoxis, ac Eccleſiæ ſubmiſſis exciderunt nonnullæ Propoſitiones minùs exactæ, vel erroneæ præbentes anſam ſeductioni.

Secundi ordinis ſunt, in quibus Author frequentiùs hæreſis damnatus, vel de hæreſi ſuſpectus expreſsè tuetur ſyſtema quoddam hæreticum toti libro inſertum, totiúsque operis ſtructuram conficiens.

Liber Reflexionum Moralium abſque dubitatione hujus eſt characteris: opus perverſum ex radice, & omnibus ramis ejus, quódque non eſt elaboratum, ut ipſe fatetur Quenellus in ſuis litteris, niſi ad roborandam Janſenii doctrinam, & hæreſin. Dogmata exitioſa diſcipulorum larvatorum S. Auguſtini cenſuris Eccleſiæ infamia tanto ſtudio, tantáque affectatione ubique inſeruntur huic operi, ut vel tenuiſſimè imbuti de hujuſmodi quæſtionibus vix ſupplantari valeant: Nónne hac ex cauſa factio Janſenii adoptavit Quenellum cum ardore prorſus admirabili? nónne idcircò ejus tutelam in ſe recepit publico apparatu? nónne idcirco omnem movebat lapidem, ne damnaretur? unde & de præſenti videtur hæc tribus Janſeniana inſtar phrœnetici furere, ruptis vinculis inſultare ſummis ſedibus Quenellum damnantibus, eamque laxare inſolentiam, quam Spiritus rebellionis ſuppetere poteſt, & aſſolet Novatoribus.

Ingens numerus Propoſitionum ab Eccleſia damnatarum in libro Reflexionum moralium ſatis demonſtrat, eum abſolutè malignum eſſe; quódque præcipuè advertendum, non niſi pars Propoſitionum cenſuram merentium fuit extracta. Audiamus quid hoc

Digitized by Google

loco dicat Supremus Eccleſiæ Paſtor : *Caeterùm per expreſſam præfatarum propoſitionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus ; cùm præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ ut ſupra damnata fuerunt, conſimiles & affines, iiſdemque erroribus imbutas.* Sic loquitur ſummus Pontifex. Tribus Janſeniana ſemper recalcitrans non credet hoc ; continuò exclamabit, injuſtitia ! violentia ! Cùm verò eò uſque devenerit contumacia, ut vel judicium Epiſcopi particularis opponat ut judicio ſacræ Sedis Apoſtolicæ, ut vel Epiſcopus particularis infallibilior habeatur ipſo Pontifice, totóque corpore paſtorali cum ſuo capite, ideò hic ipſe Epiſcopus, de cujus authoritate ſe plurimùm prævalituros arbitrantur Quenelliſtæ, confundat, & convincat eos.

Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis, inquiunt aſſeclæ Quenelli, operam dabit juſtificandis reflexionibus moralibus ita eſt ; ſed ſub conditione, ut item ſupra notatum eſt, hanc juſtificationem in ſe ſuſcepit, ſi nimirum ad minimum ibi centum & viginti quaterniones inſerantur corrigendis erroribus præterea neceſſarium duxit in ſua præmonitione explicare ſenſum reliquorum locorum, in quibus aliqua difficultas moveri poſſet.

Unde etiam conſtat ex ipſo judicio hujus prætenſi Patroni Reflexionum moralium, Quenellum typis impreſſum ſcatere Janſeniſmo, ac abſolutè & ex adæquato malignum eſſe ; vix enim liber exitioſior eſſe poteſt, quàm ſi ultra centum & viginti prava contineat, in quibus error tam clarè patet, ut nullo titulo expurgari queat in favorem Authoris, prætereundo plura alia loca, quæ non obſtantibus cunctis his quaternionibus adhuc explicatione indigerent ; quis deinceps non attonitus hæreat intuitu temeritatis ac malæ fidei Janſenizantium, dum volunt contra ſacræ Sedis deciſiones prævalere ex Authoritate unius ſolius Epiſcopi particularis, & quidem ex Authoritate, quæ ſi res maturè conſideretur, non pro ſed contra Quenellum militat.

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

POTUIT NE LIBER REFLEXIOnum Moralium affici cenſuris tam violentis abſque præſcitu, quid Author pro ſui juſtificatione dicere voluerit? & nonne injuſtitiam in Cælum clamantem ſapit, condemnare inauditum?

NOva querela Quenelliſtarum iniquior præcedente: non ſolùm contra ſeverum Eccleſiæ judicium in Patrem Quenellum conqueruntur, ſed & contra modum procedendi, volentes in perſona Quenelli omnes leges & regulas juſtitiæ & charitatis Chriſtianæ violatas eſſe. Hanc quoque cantilenam flebilem inſonuit quondam famoſus Lutherus, prout annotat egregius Author libri de artificiis hæreticorum.

„Cùm enim, inquit Author ille, Univerſitas Lovannienſis, „& Colonienſis cenſuris affeciſſet falſa Lutheri dogmata, ſummè „conqueſtus eſt, in hoc ſervatas non eſſe leges, & præſcripta „Charitatis Chriſtianæ: potuiſſet, ajebat Lutherus, mecum agi „vel per viam juris, vel per viam charitatis; per viam juris pro„mulgando litteras, quibus fideles moneri debuiſſent hoc modo: „Cavete fratres mei, ne ſeducemini ſcriptis Lutheri; diſputavit „enim de materiis ſummè ſpinoſis, aggreſſus eſt vias nimis diffi„ciles, & ſubtiles, quas non omnes capiunt; revera enim, ſi „loca extant difficilia in ſacris paginis, quibus Dei Verbum con„tinetur, cur non pares occurrerent difficultates in ſcriptis homi„num: Alter modus, quo uti potuiſſent verſùs me, erat me ad„hortando juxta præceptum Jeſu Chriſti per litteras particulares,

„ & ſiquidem monſtrâſſem nonnullam pertinaciam, non tamen de „ me deſperare debuiſſent; ſunt enim duodecim horæ in die; imò „ ex adverſo admonere me debuiſſent, ut vel corrigerem vel ex„ plicarem mea ſcripta, vel tandem à contumacia recederem. Poſt„ quam verò me aggreſſi ſunt ſine timore Dei & hominum, audent „ publicare, eos Spiritûs Sancti motu in me ſurrexiſſe, quaſi verò „ Spiritus ſanctus illis aſſiſtat, qui contemnunt eum.„

Ecce Lutheri lamenta, & quàm amare conqueratur contra modum ſecum procedendi. Nónne videtur, Quenelli aſſeclas ad imitationem iſtius hæreſiarchæ has ipſas querelas, quaſi comodatò accepiſſe ad obturandas aures plebis, dum publicè dicunt, in negotio Quenelli infractas eſſe omnes regulas juſtitiæ & charitatis, eò quòd condemnatus fuerit non auditus. Querela prorſus iniqua, temeraria & inſenſata, non aliunde fluens niſi ex gutture hominis erroribus excæcati; ſi enim juſta foret hæc querela ac receptibilis, nonne ſequeretur exinde manifeſtè, Eccleſiam nunquam damnare poſſe librum poſt mortem Authoris? nónne ſequeretur inquam, Concilium œcumenicum Quintum atram exercuiſſe injuſtitiam damnando famoſum librum *de Principiis*, trecentis Annis poſt obitum Origenis ejus Authoris? quid ad hæc reponunt Quenelliſtæ querelis gravidi? hic nulla ſubſiſtit replicatio, aut reſponſio.

Obſerves igitur, Eccleſiam cenſurando librum propriè loquendo non damnare Authorem, ſed ipſum librum, vel potiùs opiniones erroneas, ac ſenſus pravos ſtatim ſe præſentantes menti legentis. Itaque cùm explicatio quantumvis favorabilis data vel danda Propoſitionibus cenſurâ dignis cognitionem & intellectum Lectoris crebriùs lateat, vel tranſcendat, præſertim ſi Lector ſit ſimplex, ignorans, ac tardæ indolis; hinc tales explicationes ad ſummum inſerviunt juſtificando Authori, non libro, utpote qui, liber non obſtantibus cunctis his explicationibus alienis ſemper in ſe ipſo manet malignus & exitioſus.

Abſque dubio Pius Quintus felicis memoriæ huic nixus principio damnavit generaliter omnes Propoſitiones Michaëlis Bay,

quanquam, ait in ſua bulla, *nonnulla aliquo pacto ſuſtineri poſſent.* Nulla igitur Authori fit injuria, dum ejus liber cenſurâ afficitur abſque præſcitu, quid pro ſe ſuaque doctrina afferat; tametſi enim ſenſum, quantùm velis, favorabilem ſuis Propoſitionibus induat, ſemper tamen in ſe ipſis & malæ & periculoſæ remanent, ergo & cenſurâ dignæ, non ſecus ac Æthiops albis indutus manet Æthiops.

Deinde cenſura libri nullam facit injuriam Authori, nec ullo modo eum traducit, quamdiu eſt, & fuit bonus Catholicus, ſuâque debitâ inſtructus humilitate, ſe ſubijciens cæcâ obedientiâ judicio Eccleſiæ.

Inſigne tam laudabilis ſubmiſſionis exemplum habemus in viro, qui inter Gallos magnum eruditionis lumen: Quid mali, quid dedecoris perpeſſa eſt reputatio tanti viri ex cenſura unius ſui operis? nunquid veri fideles eum exin minùs venerantur, minùs æſtimant? certè non: imò quis neſcit, humilitatem, quâ contra ſe ipſum judicium tulit eum gloriâ, & honore coronâſſe? cujus memoria in benedictione erit venturis ſæculis.

Scire cupis, quinam ſint, illi, qui per cenſuram ſuorum operum infamiâ notantur? ſunt minutiſſimi Pygmæi, ſi ita loqui permittas, qui credentes ſe eſſe aliquid magni & eminentis ſuper omne, quod eſt in Eccleſia, audent frontem fricare contra Petrum & Petram Romanam: ſunt illi, qui arbitrantes ſe ſolos tuliſſe clavem ſcientiæ præ omnibus Eccleſiæ Doctoribus, (ſubinde non erubeſcentibus integros conſtruere libros retractationum) ſeque ſolos plus infallibilitatis accepiſſe, quàm Sacra Sedes Apoſtolica, non verentur dicere incredibili audacia cum Quenello (*a*) per cenſuram, & condemnationem ſuarum Propoſitionum damnari plurima puncta doctrinæ Catholicæ. Hi ſunt, quos cenſura ſuorum operum confundit opprobrio ſempiterno, utpote percuſſos eodem Anathematis fulmine, quo percuſſi ſunt libri, quibus pertinaciter colligantur.

Cæterùm, quando Sectatores Quenelli ubique proclamant,

(*a*) Epiſt. de 5. Januar. ad Congreg. Cleri.

Eccleſiam condemnâſſe librum Reflexionum moralium nôn audito Authore, ſine dato loco, termino, aut tempore defenſionis, nónne videtur eos hæc narrare cuidam Peregrino in Iſraël, aut advenæ ex mundo Americano, rerum omnium, quæ hîc aguntur, penitus ignaro? nónne factum patet publicâ notorietate, quòd durante biennio examini hujus libri impenſo Aſſeclæ, & Agentes Quenelli nil intentatum reliquerint, nullo labori, nullis artibus pepercerint, ut impedirent ejus damnationem? quot memorialia, quot repræſentationes in hunc finem porrexerunt Congregationi huic negotio deſtinatæ, ut explicationes, ac ſenſus favorabiles affingerent Propoſitionibus cenſuratis? opera pene univerſa, quæ hodie contra ultimam Conſtitutionem in lucem prodeunt; ſunt meræ tranſcriptiones memoralium ſacræ Congregationis porrectorum, prout plures Qualificatores Romani in ſuis reſcriptis teſtati ſunt iis, qui hujuſmodi opera factioſorum Romam communicabant.

Sed quid tandem, ſi etiam cuncta hucuſque allata non ita ſe haberent? poteritne Quenellus benignis auribus audiri tanquam damnatus innocens & inauditus? finge tibi, ſi placet, hominem accuſatum de crimine peſſimo, capitali, quíque elapſus juſtitiæ manibus exceſſit, erupit, evaſit ad hoſtes; nunquid non Magiſtratus tametſi in extorrem & abſentem pergit proceſſus ſuos, judicat, damnat ſupplicium ſtatuit? qualis poſthæc amentia ejuſmodi transfugæ, ſi abſens condemnatus ejularet? judices damnâſſe ſanguinem innocentem, eò quòd damnaverint inauditum?

Talis eſt amentia Quenelli: accuſatus, & convictus de crimine peſſimo atque, & deteſtabili hæreſeos viam fugâ reperit, ſéque ſubtrahit legitimo ſuperiorum ſuorum judicio & juſtitiæ; in Hollandiam ad hoſtes Eccleſiæ tranſvolat; inde tanquam ex Aſilo ſibi opportuniſſimo, ex munimento ſecuriſſimo inundat Gallias torrente ſcriptorum ſuorum ſeditionem clamantium; dùmque debitâ cenſurâ feriuntur ſaltem ea ipſius ſcripta, quibus potiſſimum virus reliquorum omnium continetur; tunc enim verò Quenellus ad arma clamat, de injuſtitia queritur, ſe inauditum condemnari lamentatur

mentatur planctu Draconis & gemitu Strutionis in deſerto; cæci ſunt, ac ſpiritu mendacii penitus obtenebrati, qui flectuntur hâc voce querulâ, aut vel minimæ in Quenellum exercitatæ injuſtitiæ umbram ſibimet imprimunt. Si Quenellus eſt innocens, ſi verus & fidelis Eccleſiæ filius, eccur non ſe ſiſtit ſuperioribus, ut fidei ſuæ rationem reddat, ſéque eorum ſubmittat judicio? poteſtne merito dubitare, an benignè ſit recipiendus? optimè novit, Eccleſiam ſemper affectu tenerrimo ferri erga filios tametſi intolerabiliter ſeditioſos, nec aliud ab illis deſiderare, & quidem prægnantiſſimo deſiderio, niſi humilem ſubmiſſionem: quòd ſi verò pertinaciter adhærens perverſis ſententiis nolit venire, ſéque præſentare renuat, quid ergò aggravat, & ingeminat lamenta ſua, quaſi ſanguinem innocentem & inauditum condemnâſſent judices?

QUÆSTIO SEXTA.

NONNE QUENELLUS JUSTIFICARI poterit, quòd potior pars Propoſitionum damnatarum ſit de verbo ad verbum deſumptæ ex ſacris paginis, & ſanctis Patribus?

NUllum ex cunctis artificiis, quibus utuntur protectores Quenelli pro tuendo ejus libro contra Pontificem, eſt tantoperè ſeductorium ac iſtud, de quo jam quæritur: quemadmodum enim nihil eſt, quod fideles ſimpliciores minùs cognoſcant, & tamen magis venerentur, quàm ſacras Paginas, & ſanctos Eccleſiæ Patres; ita quoque nihil eſt, quod opportuniùs inſerviat hæreticis ad decipiendas animas.

Audiamus, quid dicant Quenelliſtæ ad hunc ſcopum in ſuis circulis, & conventiculis pro tutela libri reflexionum moralium contra Conſtitutionem *Unigenitus*. Quid cogitatis, inquiunt, de

ſtupenda Conſtitutione ? nónne attoniti eſtis , audiendo ex ea damnari veritates ſolidiſſimas, & inconteſtabiles Religionis ? num aliquando Roma magis authentica ſuæ fallibilitatis teſtimonia præbuit ? non Quenellum damnavit Papa ; damnavit ſacras paginas, SS. Patres, præſertim S. Auguſtinum ; horum Propoſitiones non Quenelli cenſurantur, cùm fermè omnes ſint de verbo ad verbum extractæ è ſacris paginis & ſanctis Patribus : videte, palpate, legite hæc ſcripta ſex-columnaria : nónne hi ſunt termini proprii ſcripturæ & Patrum.

Sermones ſeditioſi, & ſeductorii Novatorum præſentis ſæculi ! Quid verò hoc toto niſi actum agunt, id ipſum agentes, quod omnes eorum Prædeceſſores ? ut enim à ſacris paginis ordiamur ; nunquid vel unicus præcedentium hæreticorum non uſus eſt hoc clypeo, ut defenderet ſe contra cenſuras Eccleſiæ ; quiq; non pari impudentiâ ei in faciem exprobraverit, ſacrum Scripturæ textum damnari non ſuam doctrinam, textui omnibus numeris conformem ? *Pater Major me eſt.* Nónne hi termini formales ſonant id ipſum, ajebat Arius, quod ego ſentio de natura verbi ? *Ego & Pater unum ſumus.* Nunquid aliud unquam clariùs protuli, dicebat Sabellius, de identitate perſonarum divinarum ? *Quid mihi, & tibi Mulier ?* Nónne hoc loco Chriſtus, inquiebat Neſtorius, declarat expreſsè idem quod ego, nimirum Mariam non eſſe Matrem Dei ? *Verbum caro factum eſt.* Nónne, affirmabat Eutiches, hoc loco dilectus Chriſti diſcipulus mecum id ipſum ſentit de identitate naturarum in Verbo incarnato ? quid amplius loquar ? infinitus forem hîc afferendo hæreticos omnium temporum & ſæculorum, ſemper exprobrantes Eccleſiæ, quòd ſimul cum ipſorum ſectis ſacras paginas damnaverit : vel ipſa infamis multiplicantium ſecta ſibi arrogaverat hoc jus exprobrandi in faciem Eccleſiæ ſacras paginas, millies repetendo textum ſolemnem : *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

Quis dubitet, ab antiquis errorum miniſtris modernos Sectarios artem didiciſſe fabricandi ſibi clypeum ex ſacro codice, eúm-

que multifariam (*a*) corrumpendi in ſuam cæterorúmque perditionem.

Dicamus meliùs cum ſummo Pontifice : à Dæmone ipſo hoc didicerunt. *Antiqui ſcilicet*, inquit Sacerdos Magnus in ſua Conſtitutione , *à quo progeniti ſunt* , *mendacii parentis exemplo* , *ac Magiſterio edocti* , *nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam* , *quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia* , *ibi divinorum verborum prætendatur Authoritas.*

Hæc olim erat acerrima , ſed juſta exprobratio , quâ ſancti Patres invehebantur in hæreticos ſibi coævos continuò Verbum divinum contra Verbum divinum uſurpantes. „ Revera verba legis „ loqueris (*b*) exprobrat Auguſtinus Petiliano , ſed non cogitas , „ contra quem hæc verba uſurpes : Ita & diabolus verba ſcriptu- „ rarum protulit , non conſiderans , ad quem ea proferat ; Non „ mireris , inquit Ambroſius , (*c*) cùm videris hæreticum citare „ textus , & exempla ex ſacris ſcripturis deprompta ; nec tamen „ inde hic ipſe hæreticus occaſionem ſumat gloriandi : ipſe dæ- „ mon divinis his eloquiis utitur , non ut nos inſtruat , ſed decipiat.

„ Hæretici , inquit Vincentius Lyrinenſis , (*d*) utentes ſa- „ cris ſcripturis imitantur verſutias dæmonis eorum Magiſtri , ſat „ inſolenter Chriſtum aggredientis iiſdem armis ſanctiſſimis , quan- „ do dicit : *Mitte te deorſum* , *ſcriptum eſt enim* &c. Quid igitur non „ tentabit hic Pater mendacii contra homines , cùm verba legis „ aſſumpſerit contra ipſum , qui eſt Author legis ? tunc loquebatur „ Caput Capiti ; jam verò membra membris ; membra Dæmonis lo- „ quuntur ad membra Chriſti , hoc eſt hæretici ad Catholicos.

„ Examina , proſequitur Vincentius Lyrinenſis , modum dæ- „ monis Chriſtum tentantis in deſerto. Hac ipſa methodo utuntur „ hæretici , ut promoveant vel defendant errores ſuos. Si quis ipſos „ interrogaverit , unde probent doctrinas ſuas , ſtatim reſpondent :

(*a*)) 2. Petri 1. 16.
(*b*) Cont. litt. Petil. l. 2. c. 52.
(*c*) Lib. 4. in Luc. c. 4.
(*d*) Commonit. 637.

H 2

Digitized by Google

„ *Scriptum eſt enim*; ſtatim nos obruent ingenti cumulo exemplorum, „ textuum, authoritatum ex lege, pſalmis, Apoſtolis & Prophe- „ tis, quibus conantur inducere in errorem illos, qui infauſti „ auſcultant verba eorum. „

Ne ſis ex numero infauſtorum; non concedas aures diſcurſibus Novatorum ſeductoriis: quòd ſi ad tuam ſeductionem eodem utantur artificio, quo Dæmon tentavit Chriſtum in deſerto, protinus ea ipſa apprehendas arma, quibus Salvator amabilis inimicum fugavit & confudit; opponas ſcripturas ſcripturis, dicito cum Chriſto, *ſcriptum eſt enim*; (*a*) *quòd littera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Scriptum eſt enim, (*b*) *quòd omnis ſcriptura, aut prophetia propria interpretatione non fit.* Scriptum eſt enim, quòd ad ſacram Sedem Apoſtolicam, ac corpus Paſtorum judicium de ſenſu ſcripturarum pertineat, *quibus datum eſt noſſe myſteria regni Cælorum* (*c*) Si inſtar dæmonis hæretici obſtinatè pergant tentationibus ſuis, indue Zelum Domini, aſſume armaturam fidei, ut poſſis ſtare adverſùs Spiritum mendacii, ac dicito cum Chriſto tentato; (*d*) *vade retro me Sathana*: apage Miniſter Sathanæ; vel potiùs, ſi placet, utere Tertuliano, eiúſque verbis egregiis, quibus te voluit uti contra hæreticos ſcripturam citantes in patrocinium pertinaciæ.

(*e*) „ Qui eſtis vos in hac regione, quæ ad me pertinet? „ non novi vos; quale tibi jus ô Marcion, quòd venias ſcindere „ ligna in ſaltibus meis? quis tibi, Valentine, audaciam fecit ra- „ dices meas evertendi? & tu, Apelles, cur immutas meos li- „ mites? regio iſthæc ad me ſpectat, quam tam fidenter intratis; „ hæc eſt mea hæreditas, quam ſemper poſſedi ſive per me ipſum, „ ſive per Apoſtolos, quorum ſum hæres, & ſucceſſor. Ita eſt, „ proſequitur Tertulianus, hæredes ſumus Apoſtolorum, quòd

(*a*) 2. Cor. 3. 6.
(*b*) 2. Pet. 1. 20.
(*c*) Luc. 8. 10,
(*d*) Marc. 8. 33.
(*e*) Lib. de præſc. c. 37.

Digitized by Google

„ obſervemus ea , quæ juſſerunt in ſuo teſtamento , & quòd „ obediamus voluntati Eccleſiæ , ac S. Petri Principis Apoſtolo„ rum ; vos autem exhæreditàrunt , vos conſideràrunt tanquam „ alienos , eorúmque inimicos. „

Quòd hactenus diſſeruimus de ſcriptura Sancta ; id ipſum de textibus Patrum Eccleſiæ dicendum eſt ; horum authoritates accumulant Protectores Quenelli ſicut acervum tritici, ut ſuffocent ſemen Verbi Eccleſiæ , ac doctrinæ Catholicæ ; hæc eſt perantiqua hæreticorum induſtria , Authoritatem Eccleſiæ exarmare Authoritate Doctorum veterum : ipſi Eccleſiæ Patres non paucis teſtimoniis huic veritati ſuffragari poterunt.

S. Hieronimus (*a*) in verba Iſaiæ : ***Quomodo dicetis Pharaoni, filius ſapientium ſum ego, filius regum antiquorum***, dicit, hanc eſſe linguam „ arrogantem Novantium : Nos ſumus , ajunt, filii ſapientium, qui „ nobis per traditionem reliquerunt doctrinam Apoſtolicam ; nos ſu„ mus filii regum antiquorum ; ſed adjungit citatus S. Pater, haud „ difficulter videndum eſt , hos filios antiquorum pro Magiſtris ha„ buiſſe fatuos , & quòd Deus in punitionem ſuperbiæ miſcuerit in „ medio eorum ſpiritum vertiginis , eoſque dederit in ſenſus re„ probos. „

Non minùs eſt eloquens S. Gregorius in præſenti propoſito, ac D. Hieronimus. Præclarus hic Eccleſiæ Pater applicat quoque hæreticis verba Eliphas : (*b*) ***Senes, & antiqui ſunt in nobis , multò vetuſtiores, quàm Patres tui*** &c. „ Ita fabulantur hæretici omnes, inquit „ S. Gregorius (*c*) undique promulgant, nîl eos ſectari, niſi quod do„ cuêre Primi Patres : hæc dicendo capiunt ſimplices , & dum de„ ſpiciunt intolerabili ſuperbia eos, quorum deberent inſtructionem „ recipere, gloriantur ſe eſſe inſtructos ab antiquis Eccleſiæ Patribus. „

Quot actis & factis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ poſſem comprobare arrogantem affectationem hæreticorum in citandis innumeris

(*a*) In Iſaiæ c. 19.
(*b*) Job. cap. 15.
(*c*) In cap. 15. Job.

Patrum ſententiis ? verùm ne longiùs evagemur quæſitûm , quod propè nos eſt , notâſſe ſufficit , Wicleffum , Joannem Huſs , cæteróſque ſectarios noviſſimis ſæculis non minus citâſſe S. Patres, quàm illi primis temporibus ; quódque hoc loco ſingulari notâ dignum cenſetur , eſt , quòd certè totus acervus textuum , quo fœdus Quenellicum hodie ſe ſe exonerat , oneratque publicum , non ſit niſi rapina ex alieno horto & horreo veterum ſcilicet hæreticorum , ſimiles textus congregantium ad fallendos fideles ſibi coævos : Malè ſartum opus Miniſtri Teutonici paucis ab hinc diebus fabrefactum contra Conſtitutionem *Unigenitus* id ipſum probat : Hic recens Protector Quenelli (*a*) texit parallelam cujuslibet condemnatæ Propoſitionis cum ingenti numero locorum ſcripturæ & Patrum ; quod propemodum idem eſt , ac Hexaplæ , vel ſcripta ſex columnarum ſupra Conſtitutionem Unigenitus impreſſæ in Hollandia ; ut adeoquin ambiguum ſit decidere , utrùm hic Miniſter ſit exſcriptor Janſeniſtarum , vel utrum Janſeniſtæ ſint exſcriptores Miniſtri Lutherani ; de hoc ſolo non dubites , utramque factionem eodem ſpiritu inſufflari.

Fruſtra tamen hi Operarii iniquitatis opera ſua litteraria tot citationibus farciunt. Solo textu S. Auguſtini verus fidelis hanc eruditam pompam , tumidámque coacervationem diſgregat, *Evangelio non crederem , niſi me Eccleſia commoveret Authoritas* (*b*) In vanum laboratis hæretici ; juſſu veſtro loquantur ſacræ Paginæ , ſancti Patres pro cauſa Quenelli , quantùm arriſerit, exinde tamen Quenellus non minùs erit hæreticus. Vocate de cælo Angelum , ſi poteſtis , deſcendat ad nutum obtemperans , cauſam Quenelli in ſe ſuſcipiat ; fuerit Seraphin Angelus iſte , non credam , Anathema dicam huic Angelo cum Divo Paulo (*c*) ſi aliud mihi annuntiaverit Evangelium præter illud , quod annuntiat Eccleſia Catholica , Apoſtolica , Romana ; nunquam enim aliud credam ex

(*a*) Joannes Frixius Profeſſor Ulmæ.

(*b*) Cont. Epiſt. fund. c. 5.

(*c*) Ad Gal. 1. 8.

Scriptura, ex Patribus, ex revelationibus, niſi quod ipſa credit, quod ipſa credere jubet: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret Authoritas.* Hanc, Amice, anchoram de prora jacias, hîc ſiſte navim, quidquid ex pelago clamitent compilatores Scripturarum & Patrum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

NONNE POSSET JUSTIFICARI Quenellus ex propriis quibuſdam locis ſuarum Reflexionum, ubi videtur docere totum contrarium erroribus ipſi imputatis?

Hîc admiremur abſurdas & indecoras Novatorum contradictiones; jam enim negant, quod tenent; jam tenent, quod negant, determinati per fas & nefas accuſare caput Eccleſiæ de illuſione, errore & injuſtitiâ; non erubeſcunt ſibimet ipſis contradicere, ſe ipſos mendaces proſtituere: Jam exprobrant Papæ, quòd damnaverit doctrinam ſummè Orthodoxam damnando librum Quenelli, idque ſatagunt probare promiſcuâ turmâ textuum ſcripturæ, & Patrum; mox verò audacter defendunt, doctrinam à Papa damnatam in libro Quenelli non eſſe reperibilem in eodem libro, quodque contrarium dogmatizet in pluribus locis ejuſdem libri: Ubi hæret, obſecro, bona fides, vel potiùs ubi ſana ratio? ſi doctrina in Quenello à Papa damnata ſit Orthodoxa, cur illam negant? ſi illam negant, eccur ſuſtinent eam eſſe Orthodoxam?

Permittamus tantiſper Quenelliſtas in hoc circulo uſque ad vertiginem circumagi, ſeu potiùs concordemus eos ad invicem, dicendo, quòd Papa necdum recantaverit, quòd etiamdum pronuntiet doctrinam in ſuâ Conſtitutione damnatam eſſe doctrinam Quenelli, & quòd loca ad ejus juſtificationem citata ſint prorſus

inſufficientia: non hic intendo ſingillatim recitare ſingula loca illa; nimiùm à ſcopo declinarem, nec omnes caperent verbum iſtud; qui me jubet hanc ad te exarare Epiſtolam, optat, ut meæ inſtructiones cujuslibet capacitati inſerviant: Quapropter non niſi paucas ſuper illa loca formemus Reflexiones, & ſatis erit.

Obſerves ergò, dari expreſſiones ſuper Veritates fidei tam Catholicas, ut nullum ſenſum hæreticum patiantur, & viciſſim dari expreſſiones tam hæreticas, ut nullum admittant ſenſum Catholicum; dari tandem alias non ita Catholicas, quin non ſuſceptibiles ſint ſensûs hæretici, in exemplo. *Verbum eſt conſubſtantiale patri*; hæc Propoſitio eſt tam expreſsè Catholica, ut omnem excludat ſenſum hæreticum. Econtra *Verbum eſt pura creatura*: hæc expreſſio eſt tam completè hæretica, ut omnem ſenſum Catholicum averſetur. Verùm: *à principio Verbum eſt Deus*; hæc Propoſitio non ita eſt Catholica, ut omnem eliminet ſenſum hæreticum: nam Ariani haud multùm tergiverſarentur eam pro ſe uſurpando, ſubaudirent nimirum; *à principio Verbum erat Deus* nomine tenus duntaxat, & prout Moyſes in ſacra ſcriptura vocatur *Deus Pharaonis* (*a*); jam verò ſicut nemo unquam dixerit, Arianos eſſe excuſabiles ab hæreſi, quòd nonnunquam affectent pronuntiare, *Verbum eſt Deus*; ita pariter nemo unquam Quenellum expurgaverit, quòd in ſuis tractatibus erroneis quandoque utatur expreſſionibus, quæ ipſi cum Catholicis communes ſunt; hoc enim fit ut apud Arianos, in ſenſu hæretico.

Verè de viro hoc dixeris, quod olim Auguſtinus de Juliano, (*b*) quódque ſemper dictum eſt de hæreticis per varias expreſſiones æquivocas & captioſas cenſuris Eccleſiæ imponere conantibus: *Quæ veraciter, & Catholicè dicta ſunt, imò in divinis libris veraciter ſcripta ſunt, ab iſto Catholicè dicta non ſunt; quia non intentione Catholici peccatoris dicta ſunt.*

Quenellus vera & Catholica non verè & Catholicè dicit,

(*a*) Exodi 17.
(*b*) Lib. 2, de nupt. & concup. c. 4.

ne

ne quidem illud, quod terminis formalibus in ſacra Scriptura, & ſanctis Patribus exprimitur; non enim ea omnia dicit in ſenſu Catholico.

Si V. G. dicit: Mandata Dei non eſſe impoſſibilia (a); nos gratiæ reſiſtere; Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe etiam pro reprobis &c. hæc talia, & alia non pronuntiat in ſenſu Catholico, ſed Janſeniano, qui eſt, mandata Dei non eſſe impoſſibilia juſtis totali & abſoluta impoſſibilitate, ſed ſolùm partiali & relativâ; nos reſiſtere gratiæ per motus concupiſcibiles, cùm concupiſcentia ſemper recalcitret actioni & motioni gratiæ, non verò nos reſiſtere reſiſtentiâ voluntatis, quæ verè & propriè impediat effectum gratiæ; Chriſtum eſſe mortuum quoque reprobis, quibus multas gratias tranſeuntes meruerit, non verò mortuum eſſe, ut ipſis promereatur vitam æternam. In omnibus his Doctrina Quenelli non minùs periclitatur, non minùs eſt hæretica; etenim lubricos ſenſus ac infelices partus ingenii ſui Janſenizantis tam clarè & apertè enixus eſt in plurimis reflexionum ſuarum moralium deciſionibus, ut vel tardiſſimi cerebri homines rem deprehendant.

Quòd ſi dein alibi Quenello acciderit, vel ſubitò exciderit explicatio minùs æquivoca, non exinde innocentior cenſendus eſt; quid enim? ſufficitne ſemel Catholicè loqui, ut centies liceat plena authoritate favere hæreſi? vel eſtne illa expreſſio præſumenda ut verè Catholica, contra quam militat turba magna expreſſionum, quæ hæreſim ſapiunt, ac ſenſum genuinum authoris produnt? non ſanè: poſt aſſiduos conatus Quenelli inculcandi nimirum & ultra vigeſies repetendi eoſdem errores in omni occaſione opportuna, & importuna; nemo ſanæ mentis expreſſiones illas quantumlibet Catholicas aliter reſpexerit, quàm ut latebras ambiguas, quàm ut ſubterfugia ſtudioſâ vafritie excogitata ad deludendos judices, & inquiſitores doctrinæ ſuæ; ſeu potiùs quilibet eas reſpexerit tanquam contradictiones, lapſus linguæ & calami, tan-

(a) Vide Epiſt. 1. inſtruc.

quam ſubitaneas & invitas locutiones contra mentem & ſenſus interiores.

Frequens eſt, & nimis ordinaria hæc contradictio hæreticis: Enim verò, cùm nihil ſit veritate fortius, nil adeò indomitum, hinc ſæpe per medium tenebrarum tanquam ſubita lux aut coruſcatio erumpit veritas, ac contra mentem de ore excidit. Hoc ipſum eſt, quod Auguſtinus aliquando exprobraverat Manichæis: *Magiſter veſter*, inquit Auguſtinus (*a*) *violenta veritate compulſus, contra quam voluit aliam fingere naturam à Deo non creatam, nobiſcum Catholicis loqui debuit: ad confitendum verum de libero arbitrio plus valuit in eo natura humana, in qua eum Deus effecit, quàm fabula ſacrilega, quam ipſe ſibi effinxit.*

Quenello applicemus hæc Auguſtini oracula; ad confitendum verum de libero arbitrio plus valuit in eo natura humana, in qua eum Deus effecit, quàm fabula ſacrilega, quam ipſe ſibi effinxit. Senſus Chriſtiani, & dogmata Catholica, quibus à Matris ubere quaſi paſtus, & lactatus eſt, plus ſubinde in nonnullis ſuis Reflexionibus valuêre, quàm doctæ, & ſacrilegæ fabulæ, quibus pertinaciter ſe devoverat: propter quod magis inexcuſabilis, magiſq; facinoroſus eſt, quòd agnitæ veritati reſtiterit, ejuſque clamores validos, & imperioſos ſtimulos arietante fronte repercuſſerit, nihilq; eorum omiſerit, quæ ad ſuffocandam veritatem faciunt.

QUÆSTIO OCTAVA.

CONSTITUTIO UNIGENITUS nónne præjudicat Juri Epiſcoporum, ac libertati Eccleſiæ Gallicanæ?

AMice! conſtanter audivi dici, Janſeniſtas, ut ſplendidum nomen novæ ſuæ doctrinæ conciliarent, laborioſa affectatione ſibi

(*a*) Lib. 2. de act. cum felic. Manich. c. 3.

Digitized by Google

vendicare titulum Defenſorum Moralis puriſſimi, & auguſtiſſimæ Doctrinæ S. Auguſtini contra machinas, & impoſturas Moliniſtarum: verùm ignorabam, eos quoque condecorari velle ſpecioſo Nomine Defenſorum Juris Epiſcopalis, ac libertatis Eccleſiæ Gallicanæ contra machinationes Romanæ curiæ; nunquam, nî fallor, Clerus gallicanus talem protectionem expectâſſet ab illis, qui ejus authoritatem tam excelſo ſupercilio ſpernunt, non videtur Clerum Gallicanum his protectoribus magnopere propterea obligari.

Quis enim non videt, dum aſſeclæ Quenelli tanto calore clamant contra infractionem jurium Epiſcopalium, ac libertatum Gallicanæ Eccleſiæ per conſtitutionem Papalem, id clamoris non fieri ex Zelo ſincero pro tuendis juribus, & libertatibus, ſed ex præpoſtero Zelo, & ardore tuendæ doctrinæ per conſtitutionem conquaſſatæ, cùm ſint perſuaſi eorum ſectam malignam diu ſubſiſtere non poſſe, quamdiu corpus paſtorale Gallicum arcto vinculo cohæret cum capite; idcircò nullum lapidem non movent, nullis parcunt verſutiis, ut adumbrent authoritatem ſupremæ Cathedræ tanquam Epiſcopis præjudicioſam, & oneroſam; ut inſtillent, quantùm poſſibile eſt, ſuis auditoribus benignis eandem averſionem, eundemque contemptum, quibus ipſi tument in ſacram ſedem.

Diceres hîc, te coram intueri uxorem Job, quæ irritata malis, quibus Dominus ejus rem domeſticam afflixerat, conabatur maritum in conſortem ſuæ impatientiæ lucrari: ***Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?*** vellicabat virum mulier irata ac rebellis Numini: ***Benedic Deo, & morere*** (*a*) Quid? inquiunt Quenelliſtæ, ſuis intervallis ad Prælatos ſibi benevolos, quid? ergo ſemper permanebitis in inveterata veſtra ſimplicitate, ſine reſiſtentia vos ſubjugando Romanis placitis? ſempernè ſuſtinebitis deſpoticum Papæ imperium in veſtra capita, utque vos privet jure doctrinas judicandi, erroreſque damnandi, qui naſcuntur in veſtris diœceſibus? ***Benedic Domino, & morere***: Animosè in faciem tandem reſiſtite injuſtis attentationibus, audacter renuntiate huic Conſtitutioni tam enormiter

(*a*) Job. cap. 2.

Digitized by Google

infringenti jura veſtra, & libertates; aut ſi eam recipere placet, id fiat cum reſtrictione, illiſque exceptionibus & explicationibus, quæ veſtram denotent authoritatem & independentiam.

Quid verò reponunt Epiſcopi larvatis his Zelatoribus jurium & libertatum Gallicanæ Eccleſiæ? id ipſum, quod Job reſpondit uxori ſuæ: *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es*; vos loquimini inſtar amentiſſimorum ex hæreticis, & ſchiſmaticis: nos novimus juſtiſſimas ſacræ ſedis intentiones; ſcimus nunquam prætendiſſe Pontificem nos privare juribus & libertatibus, quibus fruimur; nunquam ejus Conſtitutio minimum intulit præjudicium Gallis; nimis de hoc convicti ſumus, & tametſi id neſciremus, non tamen id diſcere vellemus ex inimicis declaratis ſupremi Paſtoris, qui eó uſque inſaniunt, ut arma gerant contra Conſtitutionem Papalem etſi receptam ab univerſa Eccleſia: *quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es.*

Abſit, Sanctitatem ſuam intendiſſe Epiſcopos privare ſuo jure doctrinas judicandi, & enaſcentes in propriis diœceſibus errores damnandi, ſummoperè potiùs deſideràſſet Pontifex, ut Zelantium Catholicorum clamores validi contra Quenellum neo-reflexivum in principio perſonantes excitàſſent attentionem & vigilantiam omnium Paſtorum, utque poſt ſerium examen ac plenam recognitionem cauſæ ſæpeſatum librum proſcripſiſſent ex ſuis diœceſibus; non hodie doleret ſanctiſſimus Pater, nec deploraret tot filios prodigos errantes in regione longinqua: poſtquam verò reperti ſunt Epiſcopi, qui latens venenum non advertentes, ſed approbantes illud loco cenſuræ ſuis diœceſanis communicabant, aliis interea ad rem attentioribus Quenellum vel damnantibus, vel ſedi Apoſtolicæ denuntiantibus: Nónne tunc debuit ſummus Pontifex ſuam interponere authoritatem, reuniendo corpus Paſtorale per vinculum concordiæ ejuſdem fidei? quid in hoc paſſu præjudicii accidit libertatibus Gallicanis?

In quo enim tandem conſiſtunt hæ libertates? num fortè in

eo, quòd Galli non teneantur recognoſcere authoritatem ſacræ Sedis Apoſtolicæ per totam Eccleſiam recognitæ ? num in eo, quòd impunè liceat contemnere, cavillari, proſcindere ejus decreta & Conſtitutiones in rebus fidei & morum, tametſi veſtitæ ſint debitis formalitatibus ? num in eo, quòd pendeat ex arbitrio cujuſcunque ſe ſeparare à communione Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt, & fuit centrum unitatis ? num fortaſſis in eo, quòd liberum ſit Eccleſiæ Gallicanæ præſcribere leges ſummo Pontifici, eique indigitare, quo ſenſu Propoſitiones denuntiatæ cenſurari debeant ? avertat Deus, ne unquam talis libertas affectetur in Galliis.

Libertates Eccleſiæ Gallicanæ conſiſtunt in hoc, quòd liceat uti uſibus & conſuetudinibus huc uſque conſervatis & uſitatis juxta regulas antiqui juris communis nos gubernandi. *Libertas Gallicana*, inquiunt noſtri Doctores, *eſt uſus antiqui juris communis* : ita quidem, ut virtute hujus uſûs auctorati & ſæpius confirmati à ſacra Sede Apoſtolica, recenter data decreta *diſciplinam* concernentia, non duntaxat à Papis, verùm etiam à conciliis generalibus emanantia, non majoris ſint roboris & authoritatis inter nos, quàm ipſis tribuatur ab Eccleſia Gallicana per liberam & voluntariam acceptationem.

Quis non advertit ex ſtatim poſito ſiſtemate libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, Conſtitutionem Clementinam *unigenitus* non ſolùm his libertatibus nîl derogare, ſed eas efficaciter roborare, ac confirmare, eò quòd Papa in toto negotio non quæſierit niſi conforme antiquis Canonibus, antiquis Regni uſibus & conſuetudinibus. An enim unquam dubitatum eſt inter Gallos, cognitionem cauſarum majorum, præſertim fidem concernentium, ſpectare de jure ad Sedem Apoſtolicam, ſive ante ſive poſt judicium Epiſcoporum abſque ullo jurium Epiſcopalium præjudicio ? an non eſt uſus regni antiquiſſimus recurrendi ad judicium Papæ in difficultatibus maximè ſpinoſis circa materiam fidei & morum emergentibus ? hi uſus & jura ſtylo tam nitido extant in Canonibus, in hiſtoriis, ut nemo præſumpſerit contradicere, niſi penitus ſit

peregrinus in Iſraël ac inſtar tabulæ raſæ in rebus Eccleſiæ.

Rerum periti inter Quenelliſtas de his non dubitant; qui tamen ſunt tam malæ fidei, ut ſe ſimulent ignorantes: cùm enim ſe reſolverint quibuſcunque impenſis & armis impetere authoritatem ſibi nimis gravem, ideò non pertimeſcunt authoritati & veritati cognitæ bellum movere, non ceſſantes obtenebrare meridiem evidentem, ut ſaltem dubiam reddant æquitatem ſuæ condemnationis: ad diſſipandas has tenebras paucis afferam vetuſtiſſima monumenta juris & uſuum, de quibus quæſtio.

In promptu foret Epiſtola famoſa Martyrum Lugdunenſium ad Papam Eleutherium per S. Irenæum tunc non niſi presbyterum exarata, quâ inſignes Sancti Martyres ſupplicabant Papæ, ut reſtitueretur concordia & tranquillitas in Eccleſiis per errores Montani, Alcibiadis, & Theodori conturbatis. *Eleutherio Epiſcopo Romano; quem vehementer rogabant, ut pax, & concordia in Eccleſiis conſtitueretur*: poſſem citare inſuper omnes Epiſtolas Papales uſque ad Siricium in decreto Gratiani inſertas, quas etiam uterque Bitovius Petrus & Franciſcus, tametſi fuerint in hiſce verſatiſſimi & eruditiſſimi, nunquam revocârunt in dubium non obſtantibus Centuriatorum cryſibus optimè notis utrique: ne verò quid nimis extendatur præſens Epiſtola, idcircò ea duntaxat afferemus, quæ ſunt prorſus omnibus indubitata, ſatiſque erit ſaltem præcipua adduxiſſe monumenta, ſive ex collectione Conciliorum Franciæ, ſive ex Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ, ſive ex decretalibus juris Canonici, tomis irrefragabilibus maximeque receptis inter Gallos: Quot, quæſo, extant ibi Brevia & Epiſtolæ Paparum, quibus reſpondetur conſultationibus Epiſcoporum ex Galliis Romam recurrentium? ſtatim reperiemus.

Anno 404. literas Innocentii I. qui reſpondet quindecim quæſtionibus à Victricio Epiſcopo Rothomagenſe propoſitis.

Anno 405. Epiſtolam ejuſdem Pontificis ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum pro reſponſo ad ſeptem quæſita, de quibus conſultabatur à dicto Epiſcopo. Idem Innocentius Primus in Epiſtola ad Decentium Epiſcopum de Eugubio Anno 416. dat rationem notâ

dignam hujus recurſûs ad ſacram Sedem, & obligationis indiſpenſabilis ſe ejus deciſionibus ſubmittendi; ſic enim ſcribit: *Quod à principe Apoſtolorum Petro Romana Eccleſia traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere obſervari; præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Affricam atque Siciliam, inſulaſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſiam, niſi eos, quos S. Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt ſacerdotes.* Cod. can. cap. 23.

Anno 421. Papa Bonifacius I. ſcribit Hilario Epiſcopo Narbonenſi ſuper querelas ſibi factas contra Epiſcopum Patroclum.

Anno 428. Cæleſtinus I. Succeſſor Bonifacii ſcribit Epiſcopis Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis ſuper undecim articulis ſuæ ſanctitati exhibitis.

Anno 442. S. Leo reſpondet novendecim quæſtionibus à Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi porrectis per Hermetem ejus Archi-Diaconum, quem idem Epiſcopus ad Papam legaverat. Numerantur adhuc plures aliæ literæ Epiſcoporum Galliæ ad mox dictum S. Pontificem unà cum ejuſdem reſponſis ad eoſdem Epiſcopos: Inter alias apprimè notatur Epiſtola Synodalis quadraginta quatuor Epiſcoporum Galliæ ad S. Leonem, quæ eſt ex maximè Authenticis probationibus Unionis Eccleſiæ Gallicanæ cum ſummo Pontifice, nec non profundæ ſubmiſſionis ſemper uſitatæ erga ſacram Sedem, ejuſque deciſiones.

Anno 516. Avitus Epiſcopus Viennenſis ſcribit Hormiſdæ Pontifici: formalia illius Epiſtolæ ſunt notatu digna: *Securus*, inquit, *non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ devotione polliceas, omnes veſtram ſuper ſtatu fidei captare ſententiam.* Concil. Gall. tom. 1. p. 190.

Anno 534. Papa Joannes II. plures expedivit Epiſtolas ad Cæſarium Arelatenſem, alioſque Epiſcopos Franciæ pro conſtruendo proceſſu contra Contumelioſum Epiſcopum Reienſem.

Anno 747. Epiſcopi Gallicani conſultant Papam Zachariam circa viginti ſeptem articulos de diſciplina, cum conſenſu Pipini Magiſtri Palatii, quibus Papa reſpondet nonâ ſuâ Epiſtolâ.

Digitized by Google

Anno 754. Papa Stephanus ſecundus reſpondet quoque novendecim quæſtionibus Epiſcoporum Galliæ.

Anno 787. Papa Adrianus primus præſentat Carolo Magno Imperatori, & Galliarum Regi collectionem omnium canonum factam à Dyoniſio, cognomento *Parvus*, quæ eſt ipſa, quâ Galli utuntur.

Anno 862. Nicolaus Primus reſpondet quæſtionibus ab Adone Epiſcopo Viennenſi propoſitis.

Anno 902. Joannes IX. rurſum reſpondet articulis, ſuper quibus ab Herivæo Archi-Epiſcopo Rhemenſi conſultabatur.

Anno 1172. Alexander III. reſpondet quæſtionibus Epiſcopi Bellovacenſis c. 5. de pœnitentiis.

Anno 1180. Idem Pontifex reſpondet literis Epiſcopi Ambianenſis de validitate matrimonii c. 2. de frigidis & cap. 3. de divortiis. Et fermè eodem tempore Idem Alexander III. reſpondet quæs tionibus ſibi propoſitis circa idem objectum ab Epiſcopo Bellovacenſi, qui tunc erat Philippus filius Roberti Ebroicenſis, ac fratris Ludovici Regis, cognomento *Junior*: c. 2. de cland. deſpons. c. 9. de teſtib. c. 11. de regular. & c. 9. *qui ſunt filii legitimi.*

Anno 1210. Doctiſſimus Papa Innocentius reſpondet quæſtionibus Archi-Epiſcopi Arelatenſis cap. 2. de baptiſmo, ubi deciditur, *majores Eccleſiæ cauſas præſertim articulos fidei ad Petri ſedem referendas*; quid clarius? quid expreſſius? verùm quæramus in ipſis libertatum titulis huic veritati manifeſta ſuffragia, quibus, ſi velimus inniti, nihil magis deciſivum ad hoc propoſitum reperitur. Ex antiquis titulis libertatum Eccleſiæ Gallicanæ præcipuus eſt Sanctio Pragmatica, erecta poſt Concilium Baſileenſe 7. Julii An. 1438. Signata á Rege Carolo VII. à Delphino, Principibus, & Prælatis regni, ac verificata in Concilio Pariſienſe, 13. ejuſdem menſis: hæc ſanctio Pragmatica loquens de cauſis per Epiſcopos judicandis excipit cauſas majores *exceptis majoribus in jure expreſſè enumeratis, & electionum Eccleſiarum Cathedralium, & monaſteriorum cauſis; quas cauſas immediatè ſubjecto ad ſedem Apoſtolicam devolvit.* de cauſ. in part. tract. Idem Conſilium, ſeu ut vocant Parlamentum

rum Pariſienſe omni occaſione ſe declarans Protectorem noſtrarum libertatum, in edicto de An. 1461. in probationibus de libertate Eccleſiæ Gallicanæ c. 36. num. 21. ſic pronuntiat: *Cautum eſt, ut ordinarii tanquam veri Paſtores, cognitione, & juriſdictione gauderent in ſuas oves, exceptis cauſis majoribus reſervatis à dicto Concilio Baſileenſi.*

Concordata inter Papam Leonem decimum & Regem Franciſcum Primum pariter exprimunt exceptionem *cauſarum majorum*, quando loquuntur de authoritate & juriſdictione ordinariorum, his formalibus: *omnes, & ſingulæ cauſa, exceptis majoribus in jure expreſſè denominatis, apud illos judices in partibus, qui de jure aut conſuetudine præſcripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & finiri debeant.* Tit. 10. de cauſis. Tandem Clerus Gallicanus recurrens ad Innocentium X. per viam relationis Anno 1649. ſuper negotio quinque propoſitionum declarat, & patenter fatetur in ſua Epiſtola, quæ incipit; *Majores Eccleſiæ cauſas*, cognitionem cauſarum majorum pertinere ad Sedem Apoſtolicam juxta antiquum regni uſum: quænam ſunt autem cauſæ illæ majores, præſertim fidem concernentes? hoc eſt quod jam operæ pretium ducitur enucleatiùs explicari.

Doctiſſimus Gerſon Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis, & ſtrenuiſſimus Propugnator libertatum Galliæ rem dilucidè explicat dicendo, diſtinguendum eſſe inter varias ſpecies doctrinarum: „aliæ quæ enim, ait, ſunt doctrinæ palam hæreticæ apud omnes: aliæ „dubiæ ſimplicibus, ſed manifeſtæ ſapientibus: tertiæ veluti neu„træ, habentes pro ſe Doctores cum rationibus ad utramque partem „probabilibus: nec in una tantùm diœceſi, vel in paucis, ſed apud „omnes chriſtianos, aut longè plurimos. Eſt ergo veritas, quòd „in primis, & ſecundis Auctoritas inferiorum prælatorum ſe ex„tendit ad ſuos tantummodo. In tertiis verò nequaquam; quoniam „meritò dicuntur majores cauſæ fidei; propter difficultatem deci„ſionis, cum periculo ſcandali: ideò ſunt ad ſedem Eccleſiæ, vel „ad ſedentem in ea referendæ, juxta illud, ſi quid ambiguum vel „difficile &c. tract. de exam. doct. conſid. 3.

Tali principio poſito nonne evidenter patet, negotium Quenelli hujus eſſe characteris? de qua re enim hîc agitur? de libro Aſcetico univerſim per Gallias diffuſo, omniumque manibus trito; de libro, qui ſuos reperiit Patronos Zelantiſſimos per omnes diœceſes totius regni, de libro tandem, qui fuit commendatus, approbatus, & extremè defenſatus à pluribus Epiſcopis: an unquam prægnantior aut ponderoſior cauſa fuit, in quam ſummus Pontifex plus juris habuerit pronuntiandi ſententiam? nónne de craſſiſſimâ ignorantia, vel peſſima fide meritò arguitur, qui dicere præſumit, judicium ſolenne ſacræ ſedis eſſe injuſtam attentationem in jura Epiſcoporum & libertates Eccleſiæ Gallicanæ?

Verùm ne diutius his rationibus inhæreamus, quæro ex te, amice, quis melius poterit eſſe inſtructus in jure Epiſcoporum, & libertate Eccleſiæ Gallicanæ, quis attentior eas conſervandi, quàm ipſi Epiſcopi librum Quenelli denuntiantes ſummo Pontifici? quis inſtructior, quàm Rex noſter Chriſtianiſſimus tam inſtanter ſolicitans Papam, ejuſque decciſionem deſuper poſtulans? Quis inſtructior & attentior, quàm Conſilium, ſeu Parlamentum Pariſienſe acceptans Conſtitutionem Papalem? quis tandem inſtructior, & attentior ac Congregatio Cleri dictæ Conſtitutioni ſe ſe ſubmittens abſque reſtrictione? cui ſit major danda fides pugillo rebellium ac ſeditioſorum, an verò ingenti numero perſonarum illuſtrium, ac ſpectatæ authoritatis? hoc totum remitto tuo judicio, compertæ tuæ integritati & æquitati, non mediocriter tibi ſuffraganti.

Digitized by Google

QUÆSTIO NONA.

FUITNE NECESSARIUM RECIpere Conſtitutionem Papalem purè & ſimpliciter ? quid inconvenientiæ interceſſiſſet eam acceptando relativè ad explicationes donandas ab Epiſcopis ſeorſim ſumptis vel ſaltem concilialiter congregatis ?

ÆGrè fero, quòd me aſtringas ad reſpondendum hujuſcemodi quæſtionibus : plus conveniret, ſi te ſimpliciter ſubjiceres Conſtitutioni S. Sedis Apoſtolicæ tibi manifeſtatæ per organum & inſtrumentum Epiſcoporum, quàm cùm curjosè ſcrutaris, in qua forma Epiſcopi teneantur recipere conſtitutionem tibi intimandam: cùm verò aſſeclæ Quenelli quaquaverſum circumferant flammas litium & diſcordiæ, nec vereantur communicare paſſim omnibus, etiam fæminis ſimpliciſſimis, negotia Religionis extremè ſpinoſa & intricata, cùm audeant blaſphemare modum agendi Epiſcoporum purè & ſimpliciter Conſtitutionem Pontificiam recipientium; idcircò neceſſe eſt te informari de rationibus Epiſcopos ad hoc inducentibus; ſic enim ſanabuntur, vel præcavebuntur malignæ impreſſiones fortaſsè ex diſcurſibus ſeductivis in tuo intellectu ſenſim & inſenſibiliter generandæ.

Antequam tamen ulteriùs progrediamur, opportunum erit, quædam hîc obſervanda tradere, majoris forſitan momenti, quàm primo intuitu credidiſſes.

Obſerves igitur primò, terminum *acceptatio pura & ſimplex*, eſſe terminum æquivocum diverſos ſenſus præſeferentem, quo nonnulla ingenia inquieta facilè abutuntur ad deſtruendum, vel

infirmandum, quidquid ſolidi & maximè inſtructivi pro re nata dici poſſet: vel enim per illam acceptationem puram & ſimplicem intelligitur acceptatio *ſervilis*, quâ Epiſcopi renunciantes ſuis quantumvis luminoſis cognitionibus tenerentur ſe ſubmittere judicio Papali abſque ulla replicatione, nec eſſent niſi ſimplices executores talis judicii Pontificii: vel intelligitur acceptatio *acquieſcentiæ*, quâ Epiſcopi de æquitate conſtitutionis Apoſtolicæ convicti eam recipiunt ſine ulla reſtrictione, aut qualicunque limitatione.

Obſerves II. Terminum *explicatio* pariter ſumi poſſe ſub differenti ſignificatione; vel enim agitur de explicatione *inſtructiva*, quâ Epiſcopi ſuis ſubditis exponunt genuinum ac verum ſenſum Conſtitutionis omnem ejus juſtitiam & æquitatem depingentes, ac propoſitionum in Conſtitutione damnatarum latens venenum detegentes: vel agitur de explicatione *reſtrictiva, aut limitativa*, quâ Epiſcopi fixum quendam & determinatum ſenſum aſſignant juxta eorum arbitrariam imaginationem, in terminis Conſtitutionis & Propoſitionibus damnatis reconditum, in quo volunt & propoſitiones & Conſtitutionem intelligi.

Non eſt hic quæſtio de priore illa acceptatione pura & ſimplice, de acceptatione, inquam, cæca & *ſervili*, per quam Epiſcopi evaderent ſimplices executores decretorum ſummi Pontificis: Quilibet noverit, qualem oporteat eſſe concordiam, & unionem Corporis Paſtoralis cum ſuo Capite; ſed eſt quæſtio de altera ſpecie acceptationis puræ & ſimplicis abſque reſtrictione, aut limitatione, cum qua indubitatum eſt Conſtitutionem eſſe acceptam à Clero; nec etiam hîc quæritur de explicatione inſtructiva; nemo enim unquam in dubium traxit, Epiſcopum recipiendo Conſtitutionem poſſe, ſi velit & opportunum judicaverit, imò teneri quandoque in conſcientia explicare ſuo gregi verum ejus ſenſum in præcautelam contra artificia Novatorum, non rarò reprobis ſuis interpretationibus etiam clariſſimas, ac maximè intelligibiles deciſiones Eccleſiæ obſcurantium; ſed quæritur de explicatione reſtrictiva ſeu limitativa, per quam termini in Conſtitutione comprehenſi ex-

plicantur ad placitum in ſenſu extraneo ſive particulari, extra quem ſenſum interpretes illi prætendunt, Conſtitutionem eſſe nullius roboris.

Hoc poſito jam perpendamus rationes, quæ induxerunt Epiſcopos noſtros ad acceptandam Conſtitutionem *unigenitus* purè & ſimpliciter, hoc eſt ſine reſtrictione & independenter ab omni explicatione limitativa.

Prima igitur cauſa & ratio fundatur in veteri uſu Eccleſiæ præſertim Gallicanæ, quæ nunquam vidit, aut experta eſt Conſtitutiones dogmaticas ſacræ Sedis aliter fuiſſe receptas; adeòque cùm ſit res ſummi momenti, ne unquam vel minimum innovetur in materia Religionis, & ut omnis novitas in hiſce materiis dogmaticis non ſolùm æſtimetur ſummè pernicioſa, ſed & peſſimi odoris, idcircó judicabant, non debere vel latum unguem diſcedi ab hoc uſu perantiquo, recipiendam eſſe Conſtitutionem abſque dependentia explicationis limitativæ aut reſtrictivæ; quæ aliàs neceſſaria non erat, cùm Conſtitutio ſit tam nitida & deciſiva, ut nemo clariorem meritò deſideraverit.

Equidem percurrantur hiſtoriæ omnium ſæculorum, examinentur veteres Canones, ac univerſum corpus juris, an unquam deprehendatur vel minutiſſimum veſtigium hujus recentis methodi recipiendi decreta Conciliorum, aut Bullarum dogmaticarum ſummi Pontificis? ne tamen longiùs evagemur ad comprobandam adeò propinquam veritatem: quot, quæſo, decreta à celebratione Tridentini, quot Conſtitutiones, quot Bullæ à ſede Apoſtolica emanatæ, contra errores noviſſimis ſæculis enaſcentes? an unquam tentatum, ne dicam attentatum eſt, ut poſtularetur explicatio Bullarum, aut decretorum? an unquam audita eſt hæc Propoſitio, *Bullæ recipiendæ ſunt dependenter à reſtrictionibus, & limitationibus ad arbitrium, aut verò ſimile apponendis?* nequidem Janſeniſtæ maximè animoſi contra Bullas Papales unquam tale quid prætendebant, abſque dubio perſuaſi hujuſcemodi attentationem protinus ab univerſo orbe explodendam tanquam auſum temerarium, & inauditum.

Huic rationi, quæ ad propoſitam difficultatem non niſi extrinſeca eſt, jungamus aliam magis intrinſecam & eſſentialem; dicendo, quòd ſi permiſſum foret Epiſcopis Particularibus recipere decreta Conciliorum, vel Bullas Paparum (nam eſt unum & idem circa decreta Conciliorum & Bullas Pontificum, ſuppoſito quòd Bullæ ſint acceptatæ per conſenſum expreſſum, vel tacitum cæterorum Epiſcoporum) ſi, inquam, Epiſcopis permiſſum foret decreta vel Bullas recipere dependenter ab explicationibus reſtrictivis, aut limitativis juxta proprium eorum judicium addendis, ſequerentur inde tria inconvenientia altè conſideranda, & ad ſubverſionem totius Religionis tendentia.

I. Sequeretur Eccleſiam nunquam fore in ſtatu ullam Propoſitionem hæreticam cum fructu & ſucceſſu condemnandi. Eccur iſtud? quia facile contingeret, ut explicatio reſtrictiva aut limitativa non niſi à cujuslibet particulari opinione & conceptu dependens eſſet contraria menti & intentioni Eccleſiæ, quam habuit in cenſura alicujus Propoſitionis; adeò quidem, ut virtute hujus explicationis arbitrariæ condemnatio Propoſitionum cenſurâ affectarum æquè poſſet cadere in ſenſum Catholicum ab Eccleſiâ intentum, quàm in ſenſum ab Eccleſiâ damnatum, & ſic ponerentur extra teli jactum Propoſitiones maximæ falſitatis & impietatis.

II. Sequeretur fidem poſſe eſſe diverſam in diverſis Eccleſiis Catholicis, quod tam abſurdum, quàm impium eſt. Enimverò cùm datæ explicationes, ut mox dicebam, non ſint niſi arbitrariæ, ac dependentes à ſententia, & opinione particulari ſingulorum Epiſcoporum, frequenter accideret, eas eſſe inter ſe diſcordes ac differentes: adeòque cùm fideles cujuslibet diœceſis ſe aſtringerent ſenſui, ac menti particulari ſui Paſtoris, quælibet quoque diœceſis ſectaretur ſuos particulares fidei articulos; & ſic, quod de fide tenendum in una, tanquam hæreſis abjiciendum foret in altera diœceſi: tunc ſciſſuræ, & bella audirentur omninò inter Orthodoxos, illáque reſuſcitarentur inter nos jurgia, quæ Paulus exprobravit Corinthiis: quilibet noſtrûm diceret ad proximum

ſuum : (*a*) *Ego quidem ſum Pauli ; ego verò Appollo : ego autèm Cepha , ego verò Chriſti*, ego ſum ex hac diœceſi ; ſic meus Epiſcopus Bullam explicat ; ego verò ſum ex alia diœceſi , aliter meus Ordinarius Bullam intelligit : in mediis contradictionum fluctibus quò tandem deveniret Eccleſiæ unitas ? nunquid diviſus eſt Chriſtus ? an lacerata ejus tunica inconſutilis deſuper contexta per totum ? non ſcindamus eam.

III. Sequeretur nullam fore regulam vivam fidei noſtræ ; vel enim viva hæc regula conſiſteret in Conſtitutionibus ſummorum Pontificum , vel in mandatis particularibus Epiſcoporum jus ſibi arrogantium Conſtitutiones explicandi , earumque ſenſum determinandi ? non in Conſtitutionibus tametſi receptis à corpore Paſtorali ; nam in prætenſione quorundam Epiſcoporum reluctantium Conſtitutiones nullius forent roboris & Authoritatis , niſi dependenter ab explicationibus : nec etiam in Epiſcoporum mandatis , nemo enim unquam dixerit, Mandata plurium Epiſcoporum ne quidem omnium totius regni , aut imperii conſtituere infallibilem credendi regulam ; nullam ergo haberemus vivam regulam fidei , adeóque eſſemus proſtituti Spiritui privato & particulari hæreticorum. & conſequenter expoſiti periculo ineluctabili prolabendi inſtar cæcorum in foveas errorum maximè palpabilium : hæ ſunt regulæ monſtruoſæ , & terribiles , enaſcentes ex illo modo agendi, & acceptandi , quem tantoperè rationabilem tibi ſuadet Quenellina factio.

Dices : nónne Epiſcopi illam olim ſynodum componentes ante receptionem Conſtitutionis Clementinæ potuiſſent eam reſtringere ac limitare ad ſenſum , in quo credebant eam eſſe acceptabilem ? certè non : tanti Præſules provido lumine illuſtrati erant ne ſe ipſos deciperent : prævideruntenim abomniabiles conſequentias ex praxi inaudita hactenus in Eccleſia oriundas: conſequentias , inquam , eas ipſas , de quibus ſtatim diſſeruimus.

Quippè quòd evidens ſit , judicium omnium Epiſcoporum

(*a*) I. Ad Cor. I.

integri alicujus regni in quocunque demum numero nunquàm ſufficere pro regula infallibili fidei, ſi ſit independens à capite & cætero corpore paſtorali, cujus unam duntaxat partem efficiunt : adde quód ſi per impoſſibile eorum judicium & explicatio formaret regulam credendi infallibilem, exin ſequeretur, quodlibet regnum pro ſe habere poſſe ſuos articulos fidei particulares, Eccleſiæ Romanæ aliiſque regnorum exterorum Eccleſiis contrarios, poſtquam Eccleſiæ illæ extraneæ purè & ſimpliciter Conſtitutionem Pontificiam acceptaviſſent ? Hæc cùm non ignores, Amice, occlude aures ſeditioſis diſcurſibus, & econtra os & labia aperias ad laudandum Altiſſimum, quòd tantum negotium curis ſolemnibus Congregationis tam Orthodoxæ conſiderit, ejuſque illuſtriſſimæ prudentiæ reſervaverit.

QUÆSTIO DECIMA.

SI VERUM EST, UT PRÆTENDITUR, quòd inter Propoſitiones damnatas nonnulla earum ſint ambigua & æquivoca, ſuſceptibiles diverſorum ſenſuum, ſi etiam ſenſus damnatus in Conſtitutione non ſemper eſt primus ille ſenſus ſe præſentans intellectui, an non ſaltem liceat petere explicationem à Summo Pontifice, priuſquam te ſubjicias ejus Conſtitutioni ?

AMice, non te latet tritum illud Philoſophorum adagium : *ſuppoſito falſo ſequitur falſum*; ex principio abſurdo non niſi abſurda ſequela enaſcitur : nullibi magis quàm hoc loco procedit dictum axioma. Te appello, amice, quis homo ſana ratione prædi-

ditus,

ditus, qui re abſque præventione ponderatâ poſſit bona fide ſibi dictare, Vicarium Jeſu Chriſti in terris requiſitum, ut ſuum judicium ferat de ſenſu alicujus Propoſitionis, non judicare niſi de ſenſu alieno, de quo non conſulitur.

Circa hoc unum ex duobus eſt neceſſarium: vel quòd Papa non cognoverit verum & naturalem ſenſum ſtatim intellectui obvium tam ex Propoſitionibus ſeparatim quàm ex toto volumine, unde ſunt extractæ: vel ſi cognovit talem ſenſum, quòd eum voluntariè declinaverit, ut pronuntiaret de ſenſu abſcondito non adeò obvio intellectui: Dicere primum, Papam non cognoviſſe ſenſum verum & naturalem intellectui obvium, eſt idem ac dicere Papam, Cardinales, omneſque Doctores ad examinandum Quenelli librum deſtinatos, ac per biennium huic labori inſudantes fuiſſe primos inter Bardos, & ſtupidos mortales: dicere verò genuinum & naturalem ſenſum fuiſſe cognitum, ſed ab eo libenter declinatum ad ſenſum abſconditum & alienum, eſt idem, ac Papam arguere de peccato effrontiſſimæ fallaciæ, & abominandæ malitiæ: utrobique patitur, & periclitatur ratio, æquitas, pietas, & debitus reſpectus in Patrem omnium fidelium.

Verùm non ſufficit dixiſſe falſiſſimum eſſe, ſenſum damnatum in Propoſitionibus Quenelli non eſſe ſenſum ſtatim ſe præſentantem intellectui legentis; oportet fateri, & addere, prorſus impoſſibile eſſe in præſenti propoſito, ut Papa damnaverit alium ſenſum niſi obvium ſenſui & intellectui; quare hoc? quia impoſſibile eſt Eccleſiam paſcere ſuos filios erroribus & mendaciis: ſi enim Pontifex damnaret per Bullam à majore parte corporis paſtoralis receptam nonnullas Propoſitiones, quarum ſenſus genuinus & naturalis ſonat veritatem fidei, ſimpliciores fideles utpote incapaces perſcrutandi ſenſum occultum in his Propoſitionibus condemnatum, prona ſua credulitate veritatem fidei tanquam falſitatem intuerentur; & hoc eò faciliùs, quód firmiter perſuaſi teneant, ab Eccleſia nunquam damnari Propoſitionem, niſi in ſuo ſenſu proprio, naturali ac proximè obvio; in tali igitur caſu Eccleſia

Digitized by Google

doceret mendacia loco veritatis, errores promoveret in thronum, ac vera fidei dogmata inde dejiceret: ſequelæ execreabiles! quomodo obſcurari valeat mentis oculus, ut hæc non videat? aut quomodo hæc videat, ut tamen obſcuratus permaneat.

Sed ad altiora pergat hoc ratiocinium: ſupponamus per hypotheſin impoſſibilem, dicamúſque verum eſſe, quod à vero eſt remotiſſimum, videlicèt ſenſum Propoſitionum ab Eccleſia damnatarum non ſemper eſſe illum, qui ſe primus exhibet intellectui; nec dum tamen inde oriretur, nos gaudere jure petendi ab Eccleſia explicationem ante ſubmiſſionem; quod ut meliùs capias, comparatione utimur. Quæro proin, putáſne intelligis quæ legis in ſacris paginis? comprehendìſne ſenſum in iis reconditum? nónne tibi ſæpius accidit, quòd ille ipſe ſenſus ſit reprobus & erroneus in quibuſdam locis, qui primus tibi occurrit ſéque confeſtim præſentat intellectui.

Exemplo ſint ſequentes textus. *Tactus dolore cordis intrinſecus. Gen. c. 6. Indurabo cor Pharaonis. Exod. c. 4. Deſcendit Dominus, ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam Gen. c. 11. Qui non odit Patrem ſuum, aut Matrem ſuam, non eſt me dignus.* Luc. c. 14. Nihil ominus non obſtante obſcuritate textuum allatorum, ac centum aliorum à claritate remotiorum, in quibus nec tu, nec ego, nec quiſquam alius quidquam intelligit; éſtne aliquis noſtrûm, qui non teneatur eorum authoritati ſe ſubmittere independenter ab omni explicatione.

Repones forſitan hanc intercedere differentiam inter oracula ſacræ ſcripturæ, & deciſiones Eccleſiæ, quòd ſcriptura ex ſe ipſa ſit valdè obſcura in pluribus locis; cùm econtra deciſiones Eccleſiæ utpote interpretes Scripturarum debeant eſſe ex ſe claræ & intelligibiles.

Ad hoc reſpondeo I. Similitudinem allatam non cadere in obſcuritatem, aut claritatem Scripturæ, vel Eccleſiæ decidentis, ſed in Authoritatem utriuſque; in authoritatem, inquam, quæ utrobíque à nobis exigit ſubmiſſionem æqualiter cæcam, & com-

pletam. Reſpondeo II. Quòd, ſi occurrant in Scripturis textus admodum obſcuri, viciſſim reperiantur alii clariſſimi: pariter quamvis pleræque deciſiones Eccleſiæ ſint clariſſimæ & ſummè intelligibiles, dantur tamen nonnullæ perquam obſcuræ Perſonis ſimplicioribus, quorum ingens numerus peregrinus eſt in quæſtionibus Theologicis, de quibus ſermo: itaque allata comparatio ex nulla parte claudicat, ſemperque verum manet, quòd ſicut fidelis cujuſcunque characteris, aut conditionis tenetur ſe ſubjicere authoritati ſacræ Scripturæ ſive claræ, ſive obſcuræ, ſive attingat ſenſum occultum quorundam textuum, ſive non attingat; ſic pariter obligatur ad ſubmiſſionem præſtandam deciſionibus Eccleſiæ independenter ab omni explanatione.

Enim verò velle aſtringere Eccleſiam ad dandam Explicationem ante præſtitam ſubmiſſionem ejus deciſionibus, & judiciis, quid eſt aliud, quàm velle religionem ſuſque deque vertere, ac fidei deſtruere fundamenta? in rebus naturalibus non credimus perſuaſoribus, niſi in quantum priùs cognoſcimus credenda ex clariſſimis teſtimoniis, non ſic in rebus divinis ac ſupernaturalibus fidem concernentibus; nihil in iis comprehendimus, niſi quantum credimus; vel potiùs, ut Auguſtinus loquitur (*a*) *Credimus, ut cognoſcamus, non cognoſcimus, ut credamus.*

Si non credimus Eccleſiæ, niſi quantum comprehendimus, vel quantum ipſa nos credere jubet per explicationes intellectum captivantes, noſtriſque conceptibus ſe ſe conformantes, non jam Eccleſiæ credimus, ſed nobiſmet ipſis, non jam volumus opiniones noſtras eſſe conformes Eccleſiæ judiciis, ſed Eccleſiæ judicia eſſe conformia noſtris opinionibus: fruſtra quis dixerit, ſe paratum, ac diſpoſitum credere explicationibus, quas Eccleſia dandas bonum judicaverit: haud ſincerè loquitur; qui ſic loquitur; ſi ſincera foret iſthæc loquela ſtatim ante exactionem explicationis inciperet ſic loquens debitam ſubmiſſionem & corde meditari, &

(*a*) De verb. innoc. c. 350.

Digitized by Google

ore profiteri, & opere exequi; non enim explicationes petitæ plus authoritatis continent, quàm ipſa ſimplex deciſio: unde ſi pertinaciter explicationem petis ante ſubmiſſionem, loquela tua manifeſtum te facit, quòd non minùs explicationibus datis, quàm ipſi deciſioni ſis recalcitraturus, ſin minùs conformes ſint tuis conceptibus, ac ideis prædominantibus.

Igitur ſubjectus eſto ante omnia *purè, & ſimpliciter* Conſtitutioni ſupremi Pontificis: poſtea verò ſi labores cum fundamento in aliquibus difficultatibus, pete humiliter eas tibi explicari; vel potiùs captivum redde intellectum in obſequium fidei, ſubmitte cervices *purè*, & ſimpliciter Conſtitutioni, & cognoſces eam non indigere ulla explicatione: ſine hac ſubmiſſione pura, & ſimplice data explicatio tibi parebit magis tenebroſa, quam ipſa Conſtitutio; ſic errabis de explicatione in explicationem, téque intricabis tanquam in labyrintho laboribus, & difficultatibus multis, unde nunquam te erues.

Econtra humilis ſubmiſſio nullam penitus creat intricantiam, nullas difficultates: omnia tibi pellucida, ac intelligibilia apparebunt. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*; forſan enim nôſſe cupis, cur tam lento oculo ſenſum erroneum damnatarum Popoſitionum perſpicias? hoc inde venit, quòd eas non intuearis vultu Catholico, nec inſtructus reperiaris ſpiritu veræ ſubmiſſionis versùs Eccleſiæ deciſiones: hoc inde provenit, quòd forſan præventus nonnullis caliginoſis opinionibus certas fidei veritates pro erroribus, & viciſſim errores pro veritatibus ſis amplexus, ſimilis homini ad plenam meridiem cæcutienti, eò quòd acie laboret.

In exemplo: quomodo unquam deprehendes ſenſum erroneum primæ Propoſitionis Quenellinæ? *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia* &c. Si prævié dictâſſes tuo intellectui, operationes infidelium, & peccatorum eſſe mera peccata? liberum hominis arbitrium non duntaxat debilitatum,

ſed funditus deſtructum eſſe per peccatum primi peccatoris ? quomodo inſuper intelliges ſenſum erroneum ſecundæ , aliarùmque æquè ſonantium Propoſitionum ? *Jeſu Chriſti gratia , principium efficax boni cujuſcunque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum , abſque illa non ſolùm nihil fit* &c. Si ſis antecedenter præoccupatus , quòd in ſtatu naturæ corruptæ nulla detur alia gratia , niſi efficax , cui nunquam reſiſtitur ? idem loquor de cæteris damnatis Propoſitionibus , quas ſingillatim adducendo nauſeam parerem , ac tempus perderem.

Sananda ſunt itaque præjudicia tenebroſa , lumen , quod in te eſt obnubilantia , per praxes puræ & ſinceræ fidei , plenam & planam ſubmiſſionem omnibus Eccleſiæ deciſionibus; ſic ſenſus erroneus damnatarum Propoſitionum non te effugiet : quantumvis tenuiter , & ſuperficialiter tinctus cognitione rerum , de quibus quæſtio , mox quaſi manibus palpabis deprehenſum errorem ; ſenſus ille damnatus & damnabilis protinus ad oculos intellectûs tui tranſiliet eriſque ipſemet ſtupore plenus , te hujuſque lumine vacuum , ac cæcitate repletum extitiſſe. Quòd ſi non ſis eo inſignitus charactere , nec in ea conſtitutus ſituatione , ut ſufficienter inſtructus compareas circa quæſtiones agitatas ; immola deciſionibus Eccleſiæ cum gaudio caligantes oculos , debilia tua lumina in ſacrificium laudis ; recordare nihil magis adverſari & Religioni, quam colis , & rationi , quâ polles , quàm audire homines particulares , tametſi tibi pii & docti videantur , in præjudicium Summi Paſtoris , Vicarii Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Digitized by Google

QUÆSTIO UNDECIMA.

POSSUNTNE NOVATORES juſtificare, vel Authorare ſuam rebellionem in ſacram Sedem, quòd nonnulli Epiſcoporum diſtulerint ſe ſubſcribere contra exemplum aliorum, Conſtitutioni Clementinæ Unigenitus?

NIhil in orbe majus, nihil veneratione, reſpectúque dignius dignitate Epiſcoporum, nihil quoque opportunius illuſioni fidelium, quàm horum nomen & authoritas: ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, lumen mundi, ſal terræ; de ipſis ſcriptum eſt, *qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quòd ſi verò hi ſucceſſores Apoſtolorum fiant falſi Apoſtoli, ſi lumen extinguatur, ſi ſal infatuetur, illíque, quos Dominus audire jubet tanquam ſe ipſum, dogmatizent, & auctoritate ſua errores fulciant, quis evadet laqueos ſeductionis.

Ne dubites hanc fuiſſe rationem, cur hæretici omnium temporum magna affectatione quæſiêrint proficere ex nomine & authoritate Epiſcoporum, ut ſecuriùs ſpargerent Zizania doctrinæ ſuæ, utque eam, quantùm poſſibile, à cenſuris Eccleſiæ vindicarent: ſi poſt induſtrias quàm maximè indignas, ſi poſt adulationes infamiâ plenas aucupandæ quorundam Religioni impenſas, tandem nonnullis ſuis literariis mercibus Epiſcoporum ſignaturam, & cautionem procurârunt; tunc enim verò trophæa erigunt, jam de plenè parta victoria triumphant, ſibíque adulantur, deinceps nulli Catholico Doctori vel modeſtiſſimam licere contradictionem: cum autem non raró contingat eos falli in delineationibus ſuis mentalibus, ex tunc cæteras ſuas verſutias in concilium vo-

cant, ac primò recurrunt ad artificium communiſſimum ſibi arrogando approbationem, quam non habent, ac publicando ſub debili quavis apparentia, plures Epiſcopos in ſuam tranſiiſſe ſententiam, ſuis manum dediſſe opinionibus.

Amice, rem non exaggero: nil dico, quod non promptè pluribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis comprobavero; ex omnibus tamen ad nutum citandis unico contenti ſimus exemplo, ob occulos verſanti conjuncturæ mirabiliter opportuno. Pelagium in medium ſtatuimus, cujus errores moderni hæretici vix videntur alio ex motivo perſequi, niſi ut domeſticas ejus verſutias proſequantur,

Hic hæreſiarcha verſipellis, ut compararet ſibi clypeum ex authoritate Epiſcopali contra ipſos Epiſcopos dogmata ſua profligantes, omnia tentavit, ut quoſdam eorum mitigaret pro cauſa ſua. Quid non machinabatur? quid non moliebatur, ut molem, & machinam promoveret intenti ſui? auſus eſt ipſi inſidiari Auguſtino per Epiſtolam adulatoriam; auſus eſt ſubreptitiam venari appròbationem ab Epiſcopis Paleſtinæ Dioſpoli congregatis: non ſucceſſit hoc attentatum, nec tamen ceſſabat Pelagius in orbe gloriari de approbatione Epiſcoporum, quaſi actu obtentâ; hinc eſt, quòd triumphet in quadam ſua Epiſtola à S. Auguſtino citata, ubi hæreſiarcha glorioſus inſultat Catholicis, iiſque tanquam cuneos impenetrabiles opponit nomina quatuordecim Epiſcoporum, quos volebat, nolint, velint, ſuis erroribus ſubſcripſiſſe.

„In manibus noſtris, inquit Auguſtinus, (*a*) tenuimus „quandam Epiſtolam, quæ dicitur Pelagii ad presbyterum ami„cum ſuum, qui multa ſuavitate eum hortabatur, ut caveret, ne „quiſquam ejus occaſione ſe ab Eccleſia ſepararet. Inter infinita, „quæ Pelagius reponebat, quæque hic reiterare inutile foret, ſunt, „inquit, Epiſcopi quatuordecim, qui approbârunt hanc Propoſitio„nem, quâ defendimus, hominem poſſe faciliter vivere ſine pec„cato, & ſervare mandata Dei ex adjutorio propriæ ſuæ volun-

(*a*) Lib. de geſt. Pelagii c. 30.

„ tatis; & hoc quidem ſatis diſſipavit cohortem eorum, qui vole-„ bant ſe nobis opponere.

Quid hic tibi videtur ? nunquid crederes Pelagium loqui ex ore modernorum hæreticorum, vel potiùs modernos hæreticos callere linguam Pelagii, utpote qui pari temeritate de pari numero Epiſcoporum ſibi gratulantur, qui inſtant in cubilibus, & prædicant in tectis tot Epiſcopos, eaſdem, quas tenent, opiniones ſibi deſpondiſſe, eò quòd non confeſtim cæteris conſenſerint in modo acceptandi Conſtitutionem *Unigenitus*; qui tandem ſub paris authoritatis prætextu Catholicis inſultant, Eccleſiæ anathemata explodentes.

Sed, quæſo, mecum tantisper conſidera, quales ſint Epiſcopi, de quorum authoritate tam audaciter triumphant Novatores, ſub quorum alis, & umbrâ protecti reſiſtunt intrepida fronte in faciem Papæ, Patriſque communis maledictionem, quaſi in tuto poſiti, tam animosè contemnunt; ſunt illi ipſi Epiſcopi, qui omni tempore, & occaſione perverſam Novatorum doctrinam anathemate percuſſerāt; ſunt illi ipſimet, qui mandatis ſuis expreſſis condemnaverant librum Quenelli, ejuſque lectionem potiſſimum interdixerant ſub pæna Excomunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ; ſunt illi ipſimet, qui in mandatis ſuis Epiſcopalibus apertis terminis declarârunt, ſemper ſe inſurrecturos omni robore, & authoritate à Deo ſibi conceſſa in Janſeniſmum elongando à ſuis Diœceſibus, quid quid ejus innovationem, aut farinam ſaperet, ſunt illi, inquam, ipſimet, quos adverſarii gloriantur Quenello, & Janſenio favere, quorum mentita authoritate palliati ſacræ Sedis authoritatem ex-authorare tentant. Quanta temeritas ! auſim dicere ? qualis impudentia.

Supponamus tamen hanc gloriationem Novatorum eſſe tam veram ac falſa eſt; ſupponamus hos quatuordecim Epiſcopos reipsâ ex parte Quenelli ſtetiſſe, nec ſincerè ejus librum, ejúſque doctrinam condemnâſſe; plus ultrà, ſupponamus imò, hos Epiſcopos apertâ ſciſſurâ & revolutione in Conſtitutionem Clementi-

nam

Digitized by Google

nam inſurrexiſſe: hoc toto ſuppoſito, non conceſſo, quid inde conſequitur? quod prærogativum inde lucrantur Novatores, ut authoritatem induant ſuæ rebellioni contra Eccleſiâm? certè non alium ex- in titulum cohoneſtandæ ſuæ ſeditioni acquirunt, ac Lutherani, & Calviniſtæ, ſi fortè viginti Epiſcopi noluiſſent ſubſcribere decretis Concilii Tridentini utriuſque hæreſis doctrinam condemnantis.

Quis enim neſcit omnis ævi perverſiſſimos hæreticos in ſuis caſtris numerâſſe quoſdam Epiſcopos? Ariani, Sabelliani, Neſtoriani, Euthichenſes, Monothelitæ, Pelagiani, Semi-Pelagiani nónne omnes iſti haud modicam phalangem Epiſcoporum primæ diſtinctionis quaſi in fronte ſui exercitûs collocabant? quid interim profuit ipſis tanta authoritas? num tutos conſtituit contra Eccleſiam Domini Exercituum? quin imò multiplicavit Anathemata, armavit triſulco fulmine Pontifices, & Concilia contra inſenſatos.

„Quid? opportunè quærit Tertulianus (*a*) ſi Epiſcopus à „fide appoſtatat, num idcircò dicendum, ejus hæreſin verita„tem induiſſe? ſiccine de fide ex perſonis eſt judicandum? nónne „magis ex fide judicandæ perſonæ ſunt? „ quis unquam dixerit, tot Patres in Concilio Nicæno Arium defendentes cauſam ejus reddidiſſe meliorem, ejuſque blaſphemias contra Chriſti divinitatem ex patrocinio Epiſcoporum evaſiſſe Orthodoxas? Abſit; id ipſum ſentias de libro & doctrina Quenelli: approbatio quorundam Epiſcoporum particularium cauſam Quenelli nunquam meliorem reddet, nunquam Orthodoxam, nunquam tutam à cenſuris Eccleſiæ ſolemniter eam per Conſtitutionem *Unigenitus* ut blaſphemam & hæreticam condemnantis.

Manifeſta Veritas eſt non ſolùm Catholicis, ſed & ipſi Quenello, cui in hoc libenter aliquam authoritatem concedimus, Conſtitutionem dogmaticam Supremi Pontificis in Eccleſia receptam acceptatione formali vel tacita Paſtorum Eccleſiæ præſidentium eſſe veram & infallibilem regulam fidei, tantæque Authoritatis, ac generale Concilium ſolemniſſimum; eò quòd tunc cenſeatur lo-

(*a*) Cit. Epiſt. ad Epiſc.

qui ipſa Eccleſia per organum ſupremi Capitis; ſicut ergò Concilium aliquod œcumenicum nihil amitteret Authoritatis, quamvis nonnulli Epiſcopi recuſarent ſubſcriptionem; ita Conſtitutiones Pontificiæ nil deperdunt Authoritatis, etiamſi numerus ingens Epiſcoporum abſolutè renueret eas acceptare, quamdiu videlicet numerus reluctantium inferior eſſet numero ſubſcribentium.

Jam verò Bulla Clementina *Unigenitus*, Quenello infauſta, recepta eſt in tota Eccleſia per acceptationem tacitam omnium Epiſcoporum in diverſis imperiis, qui licèt optimè de ea inſtructi non tamen contradixerunt; hæc eadem Bulla inſuper recepta eſt per acceptationem expreſſam, & formalem à plus-quàm centum Epiſcopis Gallicanis judicio Pontificis applaudentibus, ergò manifeſtè patet, ejus Authoritatem ex oppoſitione quorundam Epiſcoporum non invalidari, eoſque omnes, qui ex contumacia in contumeliam Bullæ tam authenticæ pergunt legendo & ſequendo Quenellum, eſſe de facto hæreticos, & verè excommunicatos.

Scio equidem, eique, quod ſcio, crebris gemitibus in amaritudine cordis coram Deo indolui, Novatores, hujus argumenti pondere preſſos, temerario auſu undique promulgâſſe, acceptationem Bullæ Clementinæ eſſe effectum præpotentis conſpirationis, tamque violentæ authoritatis, cui nemo ſine vexa audeat in faciem reſiſtere: reſponſio cæca & inſenſata ſectarii deſperati & in arena hærentis; quid ultra reſpondeat? ea-propter phrenetico ſimilis invehitur in omne, quod orbi Catholico eſt ſacro-ſanctum.

Quid aliud in ſui tutelam ultimam & deſperatam proferebant hæretici omnium temporum, quando eorum phantaſmatibus opponebatur authoritas Pontificum, Conciliorum, Epiſcoporum? ullúſne unquam faſſus eſt ſe legitimè condemnatum? nónnne in medio fulminum & Anathematum Eccleſiæ perpetuò vociferabantur contra ſubreptiones, injuſtitias, conſpirationes, violentias? quid ad hæc Catholici? id ipſum, quod tibi hoc ſæculo reſpondendum: Eccleſia, oportet dicere, non gubernatur à ſpiritu conſpirationis, ſed Veritatis; nec poteſtates mundi, nec po-

Digitized by Google

teſtates tenebrarum harum, nec portæ inferi prævalebunt adversùs eam, ut errori conſentiat: accuſare hanc Sponſam Chriſti veluti circumventam machinationibus hominum, aut proditoriam Veritatis ex metu, reſpectu panico, idem eſt ac Chriſtum, qui Veritas eſt, arguere de mendacio, quòd promiſſis non ſteterit ei aſſiſtendo, & per conſequens eſt ſe ipſum reum facere terribilis blaſphemiæ.

Finiamus prolixam Epiſtolam: puto, nî fallor, abundè me reſpondiſſe quæſitis tuis hucuſque factis, & deinceps faciendis: non tamen finiamus eam, quoad uſque fidem tuam confirmaverim ſolidâ quâdam, & efficaci conſideratione.

Igitur attentiore mentis acie conſiderare te velim pretium inæſtimabile gratiæ, quâ te Dominus vocavit ad Religionem Chriſtianam, Catholicam; gratia & talentum, quod non contulit tot hominum millionibus, fideliùs fortè cum eo negotiaturis utroque noſtrûm; gratia & talentum non nobis comparatum corruptibili auro & argento, ſed pretio magno divini ſanguinis, de quo rationem exiget rigoroſam in die iræ, in die vindictæ noviſſimæ. Quanta ingratitudo, quale infortunium, ſi ex vano recalcitrandi pruritu pedibus calcamus gratiam adeò pretioſam, excutiendo ſuave jugum fidei, rumpendo ſacra vincula obedientiæ, & dicendo, non ſerviam, ſegregando nos ab Eccleſia, in quâ Deus ſpeciali ſua bonitate nos naſci & nutriri voluit.

Quæ verò eſt hæc Eccleſia? laudes Altiſſimo, quòd eam noſcas, & audias, de qua confidenter fateris cum Apoſtolo (a) *Scio, cui credidi, & certus ſum*, quòd nec me fallere, nec falli queat. Hæc Eccleſia planè non conſiſtit in turba illa & tribu malignantium, ſeditioſo conatu librum & Authorem hæreticum contra legitimas poteſtates protegentium: hæc Eccleſia nec conſiſtit in Eccleſia quadam particulari cujuſcunque regni aut diœceſis, ſed eſt Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana; cæteræ Eccleſiæ ab hac ſegregatæ non ſunt veræ Eccleſiæ, ſed infelices Synagogæ Sathanæ.

(a) 2. ad Tim. 1. 12.

Digitized by Google

Huic igitur Romanæ Eccleſiæ oportet inviolabiliter conglutinari perfecta conformitate, profunda ſubmiſſione, plena cohærentia cum ejus ſenſu, deciſionibus, & oraculis. Hæc eſt Eccleſia, quæ ut divus loquitur Iræneus, traditiones ab Apoſtolis derivatas ſemper conſervavit. Hæc eſt Eccleſia, in qua, teſte Petro Chryſologo, vivit uſque in hodiernam diem S. Petrus Apoſtolus, eíque præſidet in ſede & cathedra propria, unde Veritatem docet ad omnes gentes, quæ eam deſiderant: hæc eſt Eccleſia, cujus fides, teſte Bernardo, eſt inalterabilis. Eccleſia, quæ teſtante Hieronymo, eſt archa Noë, extra quam nulla ſalus, ſed triſte naufragium: Eccleſia, cujus deciſiones, teſtante Auguſtino, ſunt oracula omnes controverſias dirimentia: hæc eſt tandem Eccleſia, cujus ſententiis, ſuffragante docto Ivone Carnutenſe, nemo poteſt contraire ſine macula hæreſeos.

Hæreticis itaque non Orthodoxis relinquamus infauſtum exercitium Authoritatem Eccleſiæ debellandi ſub inani libertatis prætextu; hos permittamus inter ſe digladiari incerto conflictu de diverſo ſenſu Propoſitionum, quas illa damnat: Dum loquitur Mater Eccleſia, Orthodoxi taceant. Non jam diſputare, ſed obedire juvat: in faciem exprobrent Novatores, quamdiu libet, ſimplicitatem noſtræ Religionis, cæcam ſubmiſſionem: in his gloriamur tanquam in Domino, & cum Paulo *libenter*, tanquam in infirmitatibus noſtris, ut inhabitet in nobis virtus Chriſti ſuæque Eccleſiæ.

Ita Amice, in his gloriemur, qualitas *Romano Catholici* ſit gloria noſtra: Auguſta qualitas, quæ ſola nos diſtinguit à ſectariis. Vivamus, & moriamur cum qualitate iſta, ne, cùm Dominus ad judicandum venerit, noſque falsò gloriari voluerimus ex qualitate mentita Catholici, dicat iratus; *Neſcio vos: diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, cum omnibus illis, qui, cùm noluerint agnoſcere Eccleſiam meam Romanam pro Matre, nunquam me in ſempiternum habebunt pro Patre.

Sum veſter ex corde, &c.

EPISTOLA QUINTA.

In quâ præmittuntur ſcitu neceſſaria de ſyſtemate operis Anti-Hexaplon, unácum collectione quorundam textuum ex S. Scripturâ, Conciliis & SS. Patribus, quos Author ſex Columnarum malâ fide ex Latino in Gallicum idioma tranſtulit.

AMICE.

CÚm nondum ceſſaverim laborare ſcribendo; neque tu quieſcis complura ex me ſciſcitando; igitur in ultimis tuis ſuaviſſimis petis â me primo, quo Motore evaginaverim calamum (ut blandè jocaris) contra famoſum Authorem ſex columnarum? quæris, quis ille Author, quem placet Hexapliſtam vocitare? ſecundò nôſſe deſideras, quâ incedam methodo, quo utar ſyſtemate, elucubrando opus meum contra dictum Hexapliſtam? premis & urges videre ſummarium hujus laboris apologetici, cui præfigo titulum, *Anti-Hexapla, ſive ſcripta ſex columnarum contra &c.* Tertiò te incredulum fateris, & niſi videris & palpaveris, nunquam te crediturum ſpondes, Authorem ſex columnarum tot crimina falſi

commiſiſſe tranſponendo ſacram ſcripturam , Concilia & SS. Patres in vernaculam noſtram : Ad quæſita & dubia reſpondeo imprimis , quòd ex univerſis voluminibus , contra Janſenianam hæreſim à die Nativitatis ejus hucuſque elaboratis , fortè pauca ſint opera majoris momenti & neceſſitatis , quàm illud , cujus ſecundæ editioni actu inſudo ; hîc enim expeditur reſponſio ad Authorem temerarium , qui attrectat publico auſu & impetu Conſtitutionem ſummè authenticam , qualis in Eccleſiâ Dei à pluribus ſæculis vix comparuit , eamque aggreditur libro , quo perniciosiorem hæreſis nunquam genuit.

Non eſt liber ille Hexaplaſticus ex minutis manualibus undique diſperſis , quibus Novatores claſſica canunt contra prætenſos Veritatis inimicos , & laxones , ut vocant , ſeu corruptores puriſſimæ moralitatis ; ſed eſt collectio vaſta omnium , quæ rebelles Eccleſiæ hucuſque ſcriptis & dictis ſeductioni fidelium concinnabant , quæque jam centies damnata ſunt : in eo fit compilatio omnium , quæ defenſioni ſui Coriphæi ſerviunt , ibi fit conglomeratio fallax eruditionum , rationum apparentium , recriminationum doloſarum , invectivarum mordacium , declamationum ad diviſionem animæ penetrantium.

Ibi incedit Author præſumptuoſus undique circumſeptus ingenti agmine textuum Scripturæ & Patrum quaſi muro inexpugnabili , audacter provocat authoritatem Eccleſiæ , inſultat Romano Pontifici totique Corpori Paſtorali , ſummas Tiaras apertè accuſat de partialitate & injuſtitiâ , timiditate & præventione , & quidem ſonitu tam deſpotico , ut vel ſolidiſſimos in ſtuporem raperet.

Ad clamorem Viri hujus ſpurij , inſtar gigantis Goliath exprobrantis phalangas Iſrael Dei viventis , quis fidelis Iſraelita , cujus non fuerint commota viſcera ? quis non ſenſit ſtimulos æmulationis Dei , de quibus Apoſtolus ? (*a*) quis non votum vovit Domino , ut videret humiliatum ſuperbum , ac limpidiſſimo lapide ſolidæ cujuſdam reſponſionis proſtratum in faciem ſuam ſuper terram ? impatienter plurimi præſtolabantur ſolidam reſponſionem :

(*a*) 2. Cor. 11. 2.

jam nonnulli intellectu conceperant ideas ſuas, quid reſpondendum, nec tamen parturiebant; uſquedum pietate gravis & Zelo gravidus Præſul (a) enixus eſt fœtum ſuum, qui apud pleroſque timidos vel debiles in abortum ceſſerat. Tanti Epiſcopi & ſuffultus Zelo, & animatus exemplo quis non ſibi ingens aliquid promitteret de ædificatione fidelium, & emolumento Eccleſiæ, ſi ſcribat, ſi reſpondeat? jam nôſti, quo motore & contra quem aggreſſus ſim opus illud. Nunc de ſyſtemate.

Quod priuſquàm exponam, neceſſe eſt præmittere ſyſtema Authoris Hexaplarum, id eſt ſex Columnarum, cui me é veſtigio conformare ſtudui: non enim credideram, multos meorum operum Lectores fore domeſticos in libro Authoris Hexaplarum: Catholici non niſi libris Catholicis ad fidei tutelam pertinentibus familiares ſunt; nôrunt inſuper, interdictam eſſe ſub pœna Excommunicationis majoris, ipſo facto incurrendæ, lectionem librorum hæreticalium Eccleſiam impugnantium, abſque ſpeciali licentiâ; nôrunt, ne quidem ipſis, quibus hæc lectio permiſſa eſt, licere in conſcientia libros hæreticos legere ex ſpiritu curioſitatis, ſed duntaxat ex animo impugnandi, quod legitur.

Statim incipit author ſex columnarum Præfatione hiſtorica, in qua ſuo modo & placito refert, quidquid circa Reflexiones Quenellinas contigit ab ortu operis uſque ad occaſum ejus per ultimam condemnationem: Nunquam viſa eſt hiſtoria infidelior; non hiſtoria, ſed ut propriè loquar, textura texentium mendacia; in qua Author ne quidem id perſæpe aſſequitur, quod eſt veroſimile; aſſimilatus eſt Scriptori talium librorum, quos Romanos, ſeu Amatorios vocant, ſub vero quodam ac hiſtorico, vel ficto ſchemate fabuloſum ludentes Cupidinem; ſic & iſte ſub veritatis imagine orbem ludit recitando vera cum fabulis, inæquali fide, ſed æquali audacia.

Putaveram primitus, me aliquid ingens in Patriæ ſalutem fa-

(a) Epiſcopus Graſſienſis.

ctarum, ſi ſtatim mendacem præfationem refutatione diluerem; ſed præſcriptum brevitatis diſſuaſit, ne longior eſſem enucleatiùs hærendo in limine operis. Viſum eſt, talem laborem illis relinquendum, qui, cùm rebus geſtis circa reflexiones morales novi teſtamenti P. Quenelli viciniores ſint, majore quoque ſucceſſu rem de propinquo expedient. Igitur ſatis erit, unicum memoratæ præfationis locum tetigiſſe, aculeatiùs me provocantem; ex quo tanquam ex ungue leonem noſces in conjecturam cæteræ præfationis. Locus ille concernit eminentiſſimum noſtrum Cardinalem Caſſinum, qui, ſi mendaci Hexapliſtæ credideris, ſe projecit ad Pedes Pontificis, ſupplex, ne Conſtitutio *Unigenitus* publicaretur.

Res tanti momenti requirebat utique teſtimonium irrefragabile, cui nemo contradixerit. Sed quod illud? quomodo fictum hoc factum Caſſini probat Author ſex columnarum? audi, & obſtupeſce: *Ipſemet Cardinalis Caſſinus*, inquit Hexapliſta, *ad Papæ pedes provolutus, prout fertur, & prætenditur, obteſtabatur, ne publicari permitteret Conſtitutionem:* egregia probatio: authenticum teſtimonium: *prout fertur, & prætenditur.* Licetne imponere Perſonæ tam eminentis characteris in re tanti momenti ex vago quodam, & incerto *fertur & prætenditur?* ſiccine ſit permiſſum, Eminentiſſimam Perſonam, abſque fundamento in re, declamare obſtinatum ſectatorem, & Protectorem libri omnium peſſimi, ac per orbem ſpargere ſolemni mendacio, Cardinalem Caſſinum ſe omni poſſibili conatu oppoſuiſſe judicio Pontificis? judicio, inquam, tot inſtantijs ex ore Pontificis efflagitato à zelantiſſimis orthodoxis, & poſtliminiò ſub ter inſigni applauſu paſtorum & ovium per totam Eccleſiam reſonante? quis meritò intitulaverit tale attentatum? cùjus naturæ eſt? an audacia? an temeritas? an dementia? judica amice, quod juſtum eſt:

Quapropter nihil faciliùs Eminentiſſimo Cardinali Caſſino, quàm lavare inter innocentes manus ſuas, ſéque purgare excutiendo

pulverem tam ſordidæ calumniæ ; ipſe de ſe loquatur ; ætatem habet ; quod & dignatur in epiſtola ſua ad digniſſimum Epiſcopum Graſſienſem , motûs mei litterarij primum Motorem : *Quàm ego optimè ſentiam* , ſcribit Caſſinus , *de ſanctiſſima illa Conſtitutione , novit ſummus Pontifex , quid homines contra Veritatem effutiant , non curo ; qui enim judicat me , Dominus eſt : ante illius Conſtitutionis publicationem nullum mihi de illa negotium fuit ; probis quippe , & doctiſſimis viris , ex quorum numero ego eſſe non poteram , fuerat commiſſum examen : poſt illius publicationem tanquam fidei dogmati in ſinceritate ſpiritûs adhæſi , adeò , ut pro illius tuitione & ſanguinem fundere , & vitam profundere ſim paratus.*

Huic epiſtolæ jungi poterit , quod altèfatus Cardinalis de eodem propoſito ſcripſit ad Reverendiſſimum P. Michaëlem Angelum à Raguſâ , totius ordinis Capucinorum Miniſtrum Generalem , ubi proteſtatur „ quòd ſemper perſuaſus fuerit de Conſtitutione tan„ quam maximè neceſſaria Eccleſiæ , & quòd loco proſternationis ad „ pedes ſuæ Sanctitatis pro impediendâ ejus publicatione , potiùs „ ſe proſtraviſſet pro ejus promotione. „ Quid magis deciſivum de mente Cardinalis ? nemo deinceps dubitaverit de cætera mala fide Hexapliſtæ , audentis ſine fundamento , ſine imagine Veritatis , quaſque falſitates tactiles propalare. Sed redeamus ad ſyſtema , quod Author & Faber mendacij æmulatus eſt in ſuo opere , ut ſcias poſtea , quo pede progrediar.

Author Hexaplarum dividit opus ſuum in ſex columnas.

Prima columna non eſt niſi ſimplex tranſcriptio centùm unius propoſitionum damnatarum , idiomate latino poſita.

Secunda continet textum gallicum earundem propoſitionum ex Quenello deſumptum : ſpernendi laboris eſt , nulliuſque induſtriæ, erigere hujuſmodi columnas ; nec pluris conſtant , quàm vacuæ illæ

columnæ extantes in Hexaplis, ac ultra tertiam voluminis partem occupantes.

Tertia columna ea complectitur, quæ Author gratis vocat judicium ſcripturæ, & Patrum, quod judicium vult oppoſitum judicio Papæ: Hæc eſt columna, cui Hexapliſta videtur fidentiſſimè inniti; & reverà columna eſt omnium maximè nutans inſtar baculi arundinei, ſed tamen impoſturis ſuis fallaciſſima. Cùm enim pauci Lectorum velint & poſſint occupari examinandis textibus citatis, an fideles ſint: cùm inſuper appareant rari nantes in gurgite vaſto, & quidem pauciores prioribus, qui ſat illuminati attingant genuinos Scripturæ & Patrum ſenſus, idcircò difficile eſt, non excæcari apparente conformitate propoſitionum Quenelli cum ſententiis S. Scripturæ ſanctorúmque Patrum. Verumtamen re propiùs conſiderata, imò vel obiter perpenſa, facile fraudem deteges: mox enim deprehendes, potiorem textuum cumulum nîl penitus probare, fortiſſimos ad ſpeciem textus eſſe truncatos, falſificatos, nullúmque eorum eſſe, qui non ab Impoſtore ſumatur in ſenſu & à Scriptura & à Patribus alieno: ita, ut cum veritate dixeris, totum hunc apparatum ſcripturarum & Patrum non pertinere niſi ad luxum, ad illuſionem, ad phantaſmata ociùs diſparentia, cùm propiùs acceſſeris.

Quarta columna accipit notas & reflexiones Authoris ſuper materias diverſas in Conſtitutione tractatas; neque iſta ſolidior eſt præcedente: in hac enim columna Author Hexaplaſticus nihil niſi actum agit; repetit videlicet à diſcipulis Janſenij jam toties repetitum, & oppoſitum Eccleſiæ deciſionibus, & ad quod Catholici jam toties reſponderunt. Conſtanter ibi reperies eadem ratiocinia iiſdem fraudibus prægnantia, quibus farciuntur opera Janſeniſtarum: ibi habebis obvias eaſdem temeritates, ſupponentes pro fidei veritate quod pendet ex Theologorum arbitrariâ velitatione, & placito problematico; occurret eadem affectatio probandi, quod nemo dubitat, quod nemo quæſtioni ſubjicit.

Quinta columna comprehendit juſtificationem ipſius Quenelli,

hoc eſt; AuthorHexaplarum deſudat in expurgando Quenello ab omnibus ipſi imputatis erroribus per alia Reflexionum loca, in quibus videtur Quenellus dogmatizare contrarium. Hæc columna non niſi laxandis Epiſcoporum inſtructionibus paſtoralibus erecta, rurſum eſt tædioſa recantillatio ſuavitarum demulcentium, ambagum captioſarum, æquivocationum artibus abundantium, quibus rebelles utuntur jam ab annis ſeptuaginta, ut Eccleſiæ ludant deciſiones & Lectoris modicùm illuſtrati obſcura lumina.

Sexta denique columna capit doctrinam Caſuiſtarum relaxati moralis, quæ penes Janſenianos ex adverſo eſt Doctrinæ Patrum & Quenelli. Hæc columna in fronte gerit characterem beſtiæ, temeritatis, inquam, indignationem fidelium omnium excitantis. Ibi Hexapliſta non erubeſcit imputare ſupremo Pontifici errores omnium pinguiſſimos; ſi enim verum ſit, quod vult Author iſte fanaticus, nempe laxorum Caſuiſtarum ſententias immediatè peti per propoſitiones Quenelli, neceſſariò ſequitur, Papam nequiviſſe damnare hunc, quin indirectè approbaverit illos eorúmque prætenſas laxitates. Calumnia inſolens, ſed non inſolita hæreticis; calumnia non ſolùm indigna Chriſtianis, ſed & eos dedecens, quibus ſolus naturæ ſtimulus probitatem ſuadet; eſt enim meridie clariùs, ſive probas ſive pravas Caſuiſtarum opiniones, quæ afferuntur ab Authore ſex columnarum, nunquam minimam habuiſſe relationem cum materijs in Conſtitutione recitatis. Ad Evertendam hanc machinam, ſeu turrim Babilonicam, contra Authoritatem Eccleſiæ erectam, ſtruxi Analyſim cujuslibet propoſitionis principalis, in ſex Paragraphos disgregatam.

In primo paragrapho explicatur ſenſus proprius & naturalis Quenellinæ propoſitionis, & ut melius percipiatur ejus ſenſus erroneus, diverſo charactere apponuntur quædam verba rem patentiùs exprimentia: in exemplo. *Quid ſupereſt anima (a) quæ Deum & ejus gratiam perdidit, niſi &c.* hæc propoſitio ſic exprimitur

(a) Propoſ. 1.

Digitized by Google

alijs terminis. *Nihil* ſupereſt animæ, quæ **Deum & gratiam *habitualem per peccatum*** perdidit, niſi peccatum &c. poſt hæc breviter, & præciſé ponitur ſtarus quæſtionis, qui verſatur inter Carholicos & hæreticos; Monſtratur Quenellum ſuâ propoſitione ſibi deſpondere ſenſum hæreticum repudiato Catholico: Ad probationem hujus facti graviſſimi uror duplici regulâ per Eccleſiam præſcriprâ pro ferendo judicio circa ſenſum damnatum quinque propoſitionum Janſenij. 1. Examino grammaticaliter terminos propoſitionem componentes, arque oſtendo, ſenſum erroneum, qui ipſi adſcribitur, eſſe ejus ſenſum proprium & naturalem. 2. Demonſtro, quòd ſenſus iſte erroneus neceſſariò ſequatur ex principijs, quæ Quenellus alibi ſtatuit, & quòd hic ſenſus ſit eſſentialiter connexus cum ejus ſyſtemate. Cùm verò Apologiſta ſex Columnaris meritò credatur alter ipſemet Quenellus, idcircò frequentiùs adhibeo formalia ipſiusmet Apologiſtæ, ut ex ipſo ore Patroni clientem de errore convincam. Tandem oſtendo plenam inſufcientiam omnium illatorum pro causâ Quenelli.

In ſecundo paragrapho ad oculum repræſento conformitatem ſensús Quenelli cum ſenſu hæreticorum, noviſſimis his ſæculis tumultuantium, citando plura loca Sectariorum ijſdem terminis, vel ſaltem eodem ſenſu contexta, quo propoſitiones cenſuratæ Quenelli conſtruuntur.

In tertio paragrapho probatur Veritas Catholica, propoſitioni damnatæ oppoſita, per ſolidam quandam, præcisé & nitidè expreſſam rationem, præſertim verò per plures Scripturæ, & Patrum textus, quos & fideliùs citatos & maturiùs ſelectos reperies, quàm Author Hexaplarum ſuas Authoritates in tertia Columna contra judicium Summi Pontificis intulit.

In quarto paragrapho ſuccinctè reſpondetur principalioribus locis Scripturæ, & Patrum, ab Hexapliſta in gratiam Quenelli allatis; dico, principalioribus: Cùm enim poriores textus nihil probent, nec ad rem pertineant, hinc neque merentur minimam attentionem.

Digitized by Google

In quinto paragrapho applicantur ſingulis propoſitionibus earum qualificationes evidentiùs ipſis convenientes, abſque prætenſione tamen excludendi juſtas & maturas applicationes aliorum Theologorum pleniùs illuſtratorum.

Scitur, quàm ſit difficile circa hoc ferre abſolutum & præciſum judicium; cùm verò plures perſonæ ex pietate laudabiles deſideraverint inſtrui circa faciendam applicationem cenſurarum, quæ feruntur contra propoſitiones Quenellinas, recuſari haud potuit juſta petitio, cui ſatisfit pandendo quidem ſententiam meam, quæ tamen libenter ſubiicitur non ſolùm Eccleſiæ, verùm etiam aliorum Theologorum judicio meliori.

Tandem in ſexto paragrapho eruuntur varij & diverſi errores propoſitionum damnatarum: paucæ enim ſunt, quæ ultra errorem capitalem & præcipuum, ſtatim intellectui obvium, non alios errores captioſo nexu involvant, quos etiam tibi revelari non modicùm intereſt, ut exin determinatiùs judices, & quàm venenatæ ſint hæ propoſitiones, & quàm meritò condemnatæ.

Omnino videbatur fuſius requiri volumen, multóque conſiderabilius, ut dignè expleantur tam vaſta propoſita, potiùs tamen ſummulam, quàm opus perfectum contra modernas tenebras luci dare decrevi, quòd multa paucis expediri valeant; huic brevitati quàm maximè ſtudui, perſuaſus, Theologum debere brevem eſſe & præciſum: neque enim, ut complaceas tardioribus ingenijs nihil penetrantibus niſi per excurſus, & ambages ſuperfluas, fatiganda eſt prudens attentio peritorum. Spero tamen, non me permiſſurum elabi, quæ neceſſaria ſunt, & ſi quid perderes, quòd ſtudioſè brevis ſim, id me compenſaturum, quòd clarus & explicitus ſim, quantùm licet in rebus adeò ſpinoſis, & implicatis. Habes, quæ petiiſti ex me de ſyſtemate libri, hactenus tibi non niſi ex rumore cogniti.

Cæterùm ſi in decurſu occurrant nonnulla nimiam fortaſſis vivacitatem ſpirantia, quæque delicato tuo guſtui non ſapiant,

Digitized by Google

quæſo, conſiderari velim, vel modicæ Religionis æmulum difficulter moderare juſtam ſuam indignationem, præſertim, ſi advertat, Eccleſiæ deciſiones lacerari tot indignis artibus, tot captioſis fraudulentijs, tot æquivocationibus viliſſimis, imò tot falſitatibus apertiſſimis, de quo ultimo haud ægrè te convincam ſuccinctâ collectione textuum ex Scripturâ, Concilijs, ac SS. Patribus excerptorum, quos Author ſex Columnarum depravatâ verſione in gallicam linguam transpoſuit: non diu hæſitabis incredulus; & videbis & palpabis oculorum, manuúmque ſuffragio, quàm verus fuerim, arguens falſum interpretem, Authorem ſex Columnarum de peccato & crimine falſi: tibi alijſque opportunum cenſui, ſi in præſente Epiſtola, utpote præliminari & prolegomenicâ ad ſequens opuſculum Anti-Hexaplaſticum, colligerem partem ſaltem falſificationum, quas Author ſex Columnarum in ſuâ verſione gallicâ attentavit; ex his quippe prudens coniicies, quid firmamenti tribuendum ſit copioſis illis citationibus ab Authore Hexaplarum in tertiâ ſuâ Columna coacervatis: exinde patebit, cujus ſpiritûs ſint levantes hodie capita ſua tam ferociter adverſùs Conſtitutionem *Unigenitus*; nimirum ſpiritûs vertiginis, mendacij & impoſturæ. Tandem videbitur ex hac collectione corruptionum perpetuâ infamiâ indelebilis & execrabilis character Reformatorum currentis ſæculi, qui dum incerto clamore vociferantur contra Laxones, ut vocant, morum, contra molimina æquivocantium Moliniſtarum, non verentur interea mundum ludere impoſturis deſperatiſſimis, de quibus ad oculum confundantur & convincuntur.

Potuiſſet quidem augeri hæc collectio pluribus ejuſmodi textibus æquè corruptis. Verùm ſufficiant afferenda exempla ad convincendum Authorem Hexaplarum de malâ fide & crimine falſi, ut vel in limine noſcas, quàm anceps ſit cauſa, quæ præſidium in mendacio quærit. Hæc eſt reflexio, quam quivis prudens Lector protinùs ſibi formabis. Supereſt tamen alia con-

ſideratio; quæ non te ſubterfugiat; nempe Authorem Hexapl: omnesque ejus aſſeclas vel eſſe vel æmulari conſummatos Lutheranos, & Calviniſtas, quòd tam audenter violenti ſint in Patres Eccleſiæ, nec deſiſtant ſacrata eorum eloquia certatim corrumpere, donec illa coincidant cum corruptis ſectariorum opinionibus. Quid enim verò prodeſſet Novatoribus hujuſmodi falſificatio, niſi venenum in corde foverent, quod ex ore & calamo Patrum extorquere conantur? de quo pleniùs informaberis in Anti-Hexaplis, nec forſitan improbabis, quòd ampliore conatu ibidem probaverim infamam conformitatem Janſenizantium cum declaratis hæreticis, aperto Marte Romano-Catholicæ Eccleſiæ inſultantibus.

Collectio Quorundam

Textuum

Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, qui corrupti ſunt ab Authore ſex Columnarum.

Ex Scriptura.

Gen: 8. 21. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ.*

Traductio Gallica Authoris Hexaplarum, ſeu ſex Columnarum. pag. 134. Senſus hominis & *omnes* cogitationes cordis ejus prona ſunt in malum ab adoleſcentiâ ſuâ.

Traductio Gallica Fidelis. Senſus & cogitatio cordis humani prona ſunt ad malum ab adoleſcentiâ ſuâ.

Reflexio. Quare adjungit Hexapliſta vocabulum *omnes*; quod non eſt in textu? nonne idcircò, ut inſinuaret, naturam

Digitized by Google

humanam per peccatum totaliter deſtructam eſſe ? & quòd nec ſenſum , nec motum , nec minimam quamcunque cogitationem & propenſionem habeat ad bonum & honeſtum virtutis ?

Job 33. 13. *Ipſe enim ſolus eſt , & nemo avertere poteſt cogitationem ejus : & anima ejus quodcunque voluit , hoc fecit.*

Traduct. Hexapl. pag. 200. Nemo avertere poteſt cogitationem ejus : & ipſe facit omnia *abſolutè* , quæ vult.

Traduct. Fidel. Ipſe ſolus eſt Deus , & nemo poteſt avertere cogitationem ejus : & ipſe fecit omnia , quæ voluit.

Reflexio. Non fortuitò ſed ſtudioſè hîc apponitur terminus *abſolutè* , nam terminus *Omne* ſufficienter exprimit omnipotentiam Dei , quia omnia , quæcunque voluit , fecit in cœlo & in terrâ. Hic textus idcircò taliter corruptus eſt , ut crederetur , quòd voluntas Dei omnibus eventibus & accidentibus, ab eâ pendentibus , injungat *abſolutam* neceſſitatem.

Eccleſiaſt. 3. 1. *Filij ſapientiæ Eccleſia Juſtorum , & natio illorum Obedientia & Dilectio.*

Traduct. Hexapl. pag. 70. Filij Sapientiæ formant cœtum Juſtorum , & natio , quam illi componunt , *non eſt niſi* obedientia & amor.

Traduct. Fidel. Filij Sapientiæ ſunt cætus Juſtorum , & natio , quam illi componunt , eſt obedientia & amor.

Reflexio. An non dantur aliæ virtutes in Juſtis præter obedientiam & amorem ? an Fides , humilitas , ſpes , patientia &c. non ſunt virtutes diſtinctæ ab obedientiâ & amore ? ut evincatur contrarium , ideò Spiritus S. hîc jubetur ab adverſarijs dicere , in juſtis *non dari niſi* obedientiam & amorem.

1. Cor. 3. 7. *Neque qui plantat eſt aliquid , neque qui rigat ; ſed qui incrementum dat Deus.*

Digitized by Google

Traduct. Hexapl. pag. 184. Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed *omnia* à Deo proveniunt, qui dat incrementum.

Traduct. Fidel. Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus, *conſiderari debet.*

Reſp. Si *omnia* à Deo proveniant, quæ facimus in bonis operibus; tunc liberum arbitrium nihil ibi contribuit. Hic eſt error ille, qui hâc falſificatione inſinuatur.

1. Cor. 16. 14. *Omnia veſtra in charitate fiant.*

Traduct. Hexapl. pag. 70. Charitas ſit *principium* omnium, quæ facitis.

Traduct. Fidel. Omnes veſtræ actiones fiant in charitate.

Reſp. Multum diſcriminis eſt inter facere ſuas actiones in Charitate, & illas facere per *principium* charitatis. Juſti exercent ſuas actiones in *Charitate*, vel cum charitate, quando eorum actiones ſunt bonæ in ſeipſis, verùm non ſemper ſuas actiones exercent per *principium* charitatis. Illi ſolùm, qui putant vitioſum eſſe, quidquid non fit ex impulſu actuali charitatis, taliter tranſponunt hunc textum.

Galat. 3. 19. *Quid ergò Lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt.*

Traduct. Hexapl. pag. 152. Lex conſtituta eſt, *ut faciat prævaricatores.*

Traduct. Fidel. Ad quid ergò ſervit Lex? *propter crimina* poſita eſt.

Reſp. Quis poſſit audire abſque horrore; legem fuiſſe poſitam, ut faciat prævaricatores? ſed quid curant homines, erroribus ſuis mancipati, blaſphemias, perjuria, ſacrilegia?

Ex Concilijs, & Eccleſiæ Precibus.

Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt.*

Traduct. Hexapl. pag. 288. Diſponit ſe quis ad gratiam juſtificationis, quando excitatus, & adjutus per auxilium gratiæ, *recipit* fidem ex prædicatione.

Traduct. Fidel. Diſponunt ſe ad juſtitiam, quando excitati & adjuti divinâ gratiâ *concipiunt* fidem ex prædicatione, *& quando liberè ſe movent in Deum, credentes vera eſſe, quæ revelavit & promiſit.*

Reſl. Dum Concilium dicit, infideles diſponi ad juſtificationem, concipientes fidem, vult per hoc nos inſtruere, dari initia fidei & converſionis: prout fit, ait Auguſtinus, in conceptione fœtûs, qui non ſtatim perfectè eſt formatus in ſinu matris. Verùm Author Hexapl., qui ad imitationem Baij & Quenelli nullam admittit fidem præter perfectam & animatam per charitatem, conſultum duxit, immutare terminum *concipientes* in terminum *recipit*, ut redderet Concilium complex ſuorum errorum. Nihil dico de infidelitate, quâ reticet & mutilat ſequentia verba: *liberè moventur in Deum*; quamvis eſſentialiter ſint annexa præcedentibus. Satis omnibus conſtat, quantam intuliſſet vim præcipuo ſuo errori circa gratiam neceſſitantem, adjungendo hæc verba.

Conc. Aquisgran. c. 37. *Judicare autem dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia vel gratiam ſequuntur. Unde rectè per prophetam dicitur: mortificabant animas, quæ non moriuntur: & vivificabant animas, quæ*

Digitized by Google

non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum à ſupplicio abſolvere conatur.

Traduct. Hexapl. pag. 378. Non eſt poſſibile, ut paſtor judicet cum æquitate, quandò in ſuis juſtitijs ſequitur paſſiones ſuas privatas. *Et tunc ſæpe contingit*, quod annotatur in prophetâ Ezechiele. *Percutiunt animas morte, quæ non ceſſant eſſe viventes poſt eorum Anathemata: & dant vitam alijs, quæ non ceſſant exinde eſſe ſepultæ in morte.*

Traduct. Fidel. Illi, qui ſequuntur in ſuis judicijs odium aut affectum ſuum privatum, nequeunt judicare ſubditos ſuos cum æquitate. Unde perquàm opportunè per prophetam dicitur. *Mori faciebant animas, quæ non moriuntur. Et vivificabant animas, quæ non vivunt.* Nam ille, qui condemnat juſtum, *facit eum mori, qui non moritur*; & ille, qui nititur liberare reum à ſupplicio, vivificat eum, qui non debet vivere.

Reſp. Sic transponere textum, modo tam evidenter contrario ſenſui & verbis Concilij, quid eſt aliud, quàm ludere ſimplicitatem Lectoris imperiti? ubinam in toto hoc textu vel veſtigium extat de animabns illis, *quæ non ceſſant eſſe viventes poſt lata paſtorum Anathemata?* nonne in allato textu videtur contrarium? nimirum, quòd Anathemata in ſuo ſenſu mori faciant illos, qui adhuc plenè viventes ſunt? *non morientem mortificat.* Quid inſuper dicam de additione verborum; quæ non habentur in textu? *tunc ſæpe contingit:* ridicula affectatio; nam ſic inducitur Concilium loquens iiſdem terminis, quibus loquebatur Quenelli propoſitio.

Conc. Rhem. de Evch. n. 11. *Sacrum autem faciens clarâ diſtinctâque voce ita pronuntiet, ut ab aſſiſtentibus, ſaltémque à miniſtris altaris poſſit intelligi.*

Traduct. Hexapl. pag. 362. Sacerdos Miſſam celebrans curam gerat pronuntiandi *Verba Sacrificii* modo claro & diſtincto, ita ut poſſint intelligi ab *omnibus* aſſiſtentibus.

Traduct. Fidel. Qui celebrat Miſſam, pronuntiet tam clarè & tam diſtinctè, ut poſſit intelligi ab aſſiſtentibus, *vel ſaltem ab his, qui ad altare ſerviunt.*

Reſp. Quænam ſunt illa verba ſacrificii? ſunt nòn modò verba Canonis in Miſſali, ſed ipſa verba ſacramentalia: ſunt, inquam, ſacratiſſima illa verba, de quibus Author Hexapl. audacter aſſeverat, Concilium velle, ut ea pronuntientur tam altâ voce, *ut poſſint intelligi ab omnibus aſſiſtentibus*; Verùm ô infelix aſtutia Traductoris! quòd Concilium ne quidèm verbulo meminerit *de verbis ſacrificii.* Intentio & voluntas Concilii eſt, ut tantùm ea pronuntientur clarâ & diſtinctâ voce, quæ juxta ritum Eccleſiæ Romanæ ſolent, & debent ita pronuntiari: neque etiam prætendit Concilium, quòd abſolutè ſit neceſſarium, ut *omnes* aſſiſtentes intelligant ſacrificantem; dummodo ſaltem intelligatur à *Miniſtris altaris*; quæ verba Author Hexapl. non illibenter, ſed infideliter voluit reticere.

Orat. Dom. 14. poſt Pentec. *Cuſtodi Domine, quæſumus, Eccleſiam tuam propitiatione perpetuâ: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis abſtrahatur à noxiis, & ad ſalutaria dirigatur.*

Traduct. Hexapl. pag. 188. Conſerva, quæſumus, Domine, Eccleſiam tuam continuâ aſſiſtentiâ miſericordiæ tuæ; & quia homo eſt *tam debilis*, ut labatur *omni quocunque greſſu*, niſi eum ſuffulcias: divinum tuum auxilium eum abſtrahat ab omni, quod ei nocere poteſt, & dirigat ad omne, quod poteſt congruere ad ejus ſalutem.

Traduct. Fidel. Conſerva, quæſumus Domine, Eccleſiam tuam continuâ aſſiſtentiâ miſericordiæ tuæ; & quia ſine te homo mortalis *labitur in peccatum;* divinum tuum auxilium &c.

Reſt. Hic Author Hexapl. inducit Eccleſiam loquentem contra ſeipſam, ſuperaddendo huic orationi hæc verba; *homo eſt tam debilis, ut labantur omni quocunque greſſu*: quod idem eſt, ac dicere, hominem ſine gratiâ nihil aliud poſſe, quàm peccare: amicus error Quenelli.

Orat. Dom. 5. poſt Paſcha. *Deus, à quo bona cuncta procedunt; largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus.*

Traduct. Hexapl. pag. 164. ô Deus, qui es auctor omnium bonorum; tibi offerimus humiles preces noſtras, ut tibi placeat nobis inſpirare ſanctas cogitationes, *& facere, ut eas poſtea exequamur* per gubernationem gratiæ tuæ.

Traduct. Fidel. ô Deus, qui es Auctor omnium bonorum; concede nobis, quod petimus; ut habeamus ſanctas cogitationes per auxilium inſpirationum tuarum; & ut eas exerceamus per gubernationem gratiæ tuæ.

Reſt. Palpabile eſt Artificium Authoris Hexapl.; vult hic inſinuare, quòd Eccleſia à Deo non aliam poſtulet gratiam, quàm efficacem, *quæ nos faciat exequi* bonas cogitationes, quas habemus; non enim aliam admittit gratiam, quàm iſtam. Similis huic falſificatio videnda eſt in ejus translatione textûs Concilij Arauſicani pag. 166.

Ex ſanctis Patribus.

Ex S. Clemente I. Papâ.

Epiſt. ad Corinth. *Omnes humili animo eratis, in nullo inani gloriationi dediti, aliorum jugo ſubjecti potiùs, quàm vobis alios ſubjicientes, & dantes potiùs, quàm accipientes, Dei viatico contenti, & verbo ejus diligenter attendentes, quod in intima viſcera reconditum ſervabatis.*

Traduct. Hexapl. pag. 6. Legiſtis, chari mei fratres, ſcripturas ſanctas, & in ipſis benè inſtructi eſtis. Applicâſtis vos cum ſolicitudine ad meditationem verbi divini.

Traduct. Fidel. Eratis omnes humiles ſpiritu, in nullâ re ullam vanam gloriam quærentes, potiùs cogitantes, vos ſubmittere aliorum poteſtati, quàm alios ſubmittere veſtræ poteſtati, dantes potiùs quàm accipientes, contenti viatico Dei, & ejus verbum diligenter meditantes, quod conſervabatis in corde veſtro abſconditum.

Reſp. Ut poſſis ex hoc teſtimonio S. Clementis eruere teſtimonium efficax & convincens, Lectionem Scripturæ ſacræ debere indifferenter concedi omnibus hominibus, neceſſe eſt, te ejuſdem farinæ & doctrinæ eſſe cum Authore ſex Columnarum: Unde enim id extorquebis? fortè ex eo, quòd S. Clemens dicat, fideles Corinthios diligènter attendere verbo Dei? quis verò non intelligit & videt, nos poſſe meditari verbum Dei, & illi attendere ſufficienter, dummodò audiamus ejus annuntiationem, abſque neceſſariâ ejus lectione?

Digitized by Google

Ex S. Clemente Alexandrino.

Lib. 7. Stromat. *Has ego dico virtutes eſſe Sacrificium Deo gratum & acceptum ; cor à ſuperbiâ & faſtu alienum cum rectâ ſcientiâ, dicente ſcripturâ, eſſe holocauſtum....* Et poſt 18. pag. *hanc ergò altitudinem minimè aſſequuntur, qui non ſequuntur Deum eos ducentem : ducit autem per ſcripturas divinitùs inſpiratas.*

Traduct. Hexapl. pag. 6. Sacrificium Chriſtiani ſunt *preces, Laudes Dei, & lectio librorum ſanctorum. Lapſus timendus eſt & expectandus*, quando quis Deum non ſequitur, qui nos ducit per ſcripturas divinitùs inſpiratas.

Traduct. Fidel. Cor alienum à faſtu & ſuperbiâ illuminatum verâ illuſtratione eſt ſecundùm S. Scripturæ teſtimonium Deo gratum Sacrificium. . . . . & poſt 18. pag. *illi non perveniunt ad hanc perfectionem*, qui Deum non ſequuntur, qui ipſos ducit ; & ipſe nos ducit per Scripturas divinitùs inſpiratas.

Reſp. Non S. Clemens Alexandrinus, ſed Author ſex Columnarum, utpote novus Doctor Eccleſiæ, dicit, quòd lectio S. Scripturæ ſit tam neceſſaria quàm preces, & quòd ſine hac lectione timendus & *expectandus ſit lapſus.* S. Clemens econtrà dicit ſolummodò, quòd Deus nos ducat per Scripturas divinitùs inſpiratas ; Verùmtamen multò adhuc ſecuriùs nos ducit, cùm audimus prædicari ejus verbum, quàm cùm illud in Biblijs legimus.

Lib. 3. Pædag. c. 11. *Quod ruminat autem proprium juſtitiæ nutrimentum, nempe verbum, quod extrinſecùs quidem ingreditur per Cathecheſim, quemadmodum nutri-*

mentum ; ex cogitatione autem tanquam à ventre ad rationalem reminiſcentiam intrinſecùs revocatur. Ruminat autem juſtus ſpirituale nutrimentum , cùm verbum habet in ore. . . . at non omnes , inquit , *philoſophamur ; nunquid ergò nec omnes vitam proſequimur ? . . . . litteras ,* inquit , *non didici , ſed ſi non didiciſti legere , non eſt , quod de auditu te poſſis excuſare , quoniam is nequit doceri. Fides autem non ſapientum ſecundùm mundum , ſed eorum , qui ſecundùm Deum ſunt ſapientes , eſt poſſeſſio : illa autem abſque litteris diſcitur.*

Traduct. Hexapl. pag. 16. Verùm , *inquies ,* non omnes ſumus capaces hujus Philoſophiæ : non ergò omnes capaces ſumus perveniendi ad vitam æternam. . . . Verùm , *inquies inſuper ,* legere non didici. Si neſcias legere , non poteris te excuſare , quin audias id , quod tibi legetur.

Traduct. Fidel. Ille , qui ruminat verum juſtitiæ nutrimentum , nimirum verbum Dei , quod extrinſecùs intrat veluti nutrimentum materiale *per inſtructionem vel prædicationem* , per reflexionem revocat interiùs in intellectu reminiſcentiam hujus verbi , quod recipit ; jam verò juſtus ruminat hoc nutrimentum ſpirituale , quando retinet verbum Dei in intellectu ſuo . . . . Verùm , *inquies* , non omnes capaces ſumus hujus philoſophiæ : non ergò omnes capaces ſumus perveniendi ad vitam æternam . . . . . legere non didici , *inquies inſuper ;* Verùm ſi legere non didiciſti , non poteris te excuſare , quin audias verbum Dei *vel in Cathecheſi vel in Concione* , non enim neceſſe eſt ad hæc , ut ſis litteratus ; *Fides enim non eſt donum , quod ſit proprium ſolis ſapientibus hujus ſæ-*

culi, ſed illis, qui ſecundùm Deum ſapientes ſunt; & hæ fides diſcitur ſine auxilio humanarum litterarum.

Reſl. Vix proprijs oculis fides adhibetur, cùm videtur hujuſmodi falſificatio infamis; nec facilè comprehenditur, quomodò poſſit inveniri homo in mundo tam effrons, ut non pertimeſcat in ſuum favorem citare loca & textus apertè ſibi contrarios, quibus condemnatur in terminis adeò claris & formalibus.

Ex S. Hilario.

In Pſalm. 54. *Deſpiciuntur orationes leves, inutiles ſæculi curis anxiæ, & rerum corporalium deſideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ igitur deſpicabiles ſunt orationes, Dei dignatione non dignæ, de quibus per Iſaiam Prophetam ait: cùm extenderitis manus veſtras ad me, avertam oculos meos à vobis: & cauſam deſpiciendæ orationis continuò ſubjecit: manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt; ubi ergò operatio iniquitatis extabit, ibi deſpicitur oratio deprecantis.*

Traduct. Hexapl. pag. 58. Dominus nunquam audit preces, quæ ad ipſum fiunt ſine attentione, quas comitatur diffidentia, quæ redduntur diſtractæ per affectus ad res temporales & implicationes ſæculi, & quæ non ſunt ſolidatæ per praxim bonorum operum. Omnes hujuſcemodi preces nullius ſunt pretii coram Domino, eáſque horrore averſatur. Ipſemet Dominus nos de hoc certos reddit ex ore ſui prophetæ. *Cùm extenderitis manus veſtras ad me pro implorando adjutorio meo per preces veſtras*, dicebat propheta Iſaias ad populum

Judæorum Authoritate Dei ; *avertam oculos meos à vobis.* Et quæ eſt cauſa hujus indignationis ? ipſe Deus nos deſuper inſtruit : *quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Itaque quicunque non ceſſat committere crimen , ille *ſperare non debet* , quòd ſit exaudiendus à Domino.

Traduct. Fidel. Dominus deſpicit orationes factas cum *levitate* , cùm ab ipſo petuntur res inutiles , & quæ procedunt de corde anxiato curis hujus ſæculi , & implicato deſiderijs rerum temporalium , & quæ ſunt ſine bonis operibus ; hujuſmodi preces ſunt *deſpicabiles* , & *indignæ exaudiri* , de his dicit Dominus per prophetam Iſaiam. *Cum extenderitis manus veſtras ad me , avertam oculos meos à vobis* , & ſtatim dat cauſam , cur deſpiciat has preces , ac ſubjungit. *Manus veſtræ ſunt plenæ ſanguinis.* Itaque Dominus deſpicit , vel nihilo habet preces illius , qui non ceſſat committere iniquitatem.

Reſp. In hoc textu debitâ fidelitate ſic traducto nihil extat , quòd non ſit valde conforme deciſionibus Eccleſiæ , quis enim Catholicorum non concedit , hujuſmodi preces nullius eſſe pretij coram Deo , & non mereri , ut exaudiantur ? Verùm Author ſex Columnarum necdum hiſcè contentus , vult inſuper , quòd Dominus has preces *horrore averſetur* , & quòd conſequenter ſint nova peccata ; quod S. Hilarius nec dixit, nec unquam cogitavit.

Ex S. Ambroſio.

Omnes vocantur ad Eccleſiam , ut omnes redimantur à Chriſto : Qui æger eſt medium invenit , qui ſanus ,

ſapientiam acquirit, captivus Redemptorem, liber Remuneratorem. Omnes ædificat ſcriptura divina; in eâ invenit unuſquiſque, quo aut vulnera ſua curet, aut merita confirmet.

Traduct. Hexapl. pag. 16. *Scriptura utilis eſt toti mundo.* Qui ſanus eſt, acquirit in eâ ſapientiam, ipſa præſentat captivo Redemptorem, qui eum liberat, illi verò, qui liber eſt, præſentat Deum, qui eum remuneratur: ipſa inſtruit; & ipſa ædificat omnis generis perſonas; & quilibet in eâ reperit, unde vel ſanet ſua vulnera, vel ſe roboret in virtute, ſibique procuret nova merita.

Traduct. Fidel. Omnes homines ſunt vocati ad Eccleſiam, ut omnes ſint redempti à Chriſto; qui ægrotat, in eâ invenit medicinam, qui ſanus eſt, acquirit ſapientiam, qui captivus eſt, reperit Redemptorem, qui liber eſt, reperit Deum, qui ipſum remuneratur. Scriptura Sacra ædificat omnes homines: quilibet in eâ invenit, unde vel ſanet ſua vulnera, aut confirmet ſua merita.

Reſp. Author Hexapl. libenter diſſimulavit prima verba hujus textûs, quæ tam formaliter aſtruunt voluntatem Dei ſalvandi omnes homines. Eorum loco conſultiùs duxit, hæc verba ſubſtituere, *Scriptura utilis eſt toti mundo &c.* quæ tamen verba prorſus nihil contra nos. Fatemur enim cum Adverſarijs, Scripturam eſſe utilem omnis generis perſonis, quando ita diſpoſitæ ſunt, ut poſſint eam vel legere, vel intelligere.

In cap. 11. Lucæ Lib. 7. *Breviter autem vitia eorum multa perſtringit, qui vultum fructuum decimis conferendis omne ſtudium intendant ſuum, nec ullum futuri judicij metum, nec aliquam Dei habeant charitatem, cùm opera ſine fide vana ſint: prætereunt enim judicium & charitatem Dei: Judi-*

cium ideò, quia non omnia, quæ agunt, in judicium referunt: charitatem ideò, quia non ex affectu Deum diligunt.

Traduct. Hexapl. pag. 116. Opera hominum vana ſunt & inutilia ſine fide, quia *non ſunt conformia* nec *legi* Dei, nec charitati. Non *legi Dei*, quia homines *agunt non eam conſulendo*, nec charitati, quia *nullam habent.*

Traduct. Fidel. Breviter diſcribit eorum vitia, qui omnem ſuam ſolicitudinem ponunt in eo, ut exactè ſolvant decimas omnium, quos poſſident, fructuum, *& qui non habent ullum timorem futuri judicij, nec ullam charitatem Dei,* quia opera ſine fide vana ſunt & inutilia. *Derelinquunt enim judicium* & *charitatem Dei : Judicium*, quia non regulant omnes ſuas actiones ſuper hoc judicium : *Charitatem*, quia non amant Deum ex corde & affectu.

Reſp. In quo dictionario invenit Author ſex Columnarum, quòd *præterire* ſignificet *non eſſe conforme*, & quòd *judicium Dei* ſignificet *legem Dei ?* nimirum in dictionario Janſenianorum, qui ſcripturas & SS. Patres inducunt loquentes ad placitum, vel in dictionario malé verſatorum, & ignorantium aſſeclarum Janſenij. Doctus enim & verſatus Janſeniſta, cui vel modicum pudoris aut ſani ſensûs ſupereſt, utique S. Ambroſium induxiſſet loquentem conſectaneè. Profectò ſi S. Doctor prætendiſſet, opera infidelium *non eſſe conformia Legi Dei*, nunquid contentus fuiſſet dicendo, ea eſſe vana & inutilia? an non rectà dixiſſet, eſſe vitia & peccata? Verumtamen non in hoc ſolo conſiſtit falſificatio textûs iſtius : principaliter & præcipuè in eo conſiſtit, quòd Author ſex Columnarum verbum *prætereunt* retulerit ad opera ſine fide; quamvis evidenter referatur, & ſpectet ad Scribas & Phariſæos, qui exactiſſimi in ſolvendis decimis non habebant nec timorem futuri judicij, nec charitatem Dei.

Ex S. Chryſoſtomo.

Hom. 19. in Epiſt. ad Hebr. *Ex dilectione quippe bona opera fiunt. Magnum quippe bonum eſt ipſa congregatio; ipſa namque reddit charitatem ferventiorem, & ex eâ cuncta optima generantur: nihil namque bonum eſt, quod non per charitatem fit.*

Traduct. Hexapl. pag. 72. Charitas reddit opera noſtra bona, & *nullum eorum eſt bonum*, niſi quod fit ex charitate.

Traduct. Fidel. Fiunt opera bona ex charitate; congregatio enim eſt jam ingens bonum, quoniam charitatem reddit ferventiorem, & omnis generis bona ex eâ naſcuntur. *Nullum quippe eſt bonum, quod non faciat charitas.*

Reſp. S. Chryſoſtomus hoc loco hortatur fideles, ut ad invicem conveniant in congregationibus, quæ in Eccleſiâ tenentur, propter ingens bonum inde enaſcens; quoniam, inquit, charitas, utpote radix omnium bonorum inde fit ferventior: ex quo manifeſtè patet, S. Doctorem de nullâ re minùs cogitare, quàm de Doctrinâ, quæ vult, nullum dari bonum, niſi quod fit ex charitate: ſic enim ſentiendo debuiſſet dicere: *Nihil namque bonum eſt, quàm quod per charitatem fit.* Itaque falſificatio textûs conſiſtit in hoc, quòd verſor ſubtraxerit particulam negativam, ex quo totus ſenſus invertitur.

Hom. 3. in cap. 1. ad Epheſ. *Eſt longè mirabiliùs, perſuaſiſſe animis, quàm ſuſcitâſſe mortuum.... Chriſtus dixit mortuo, Lazare, veni foras, & ſtatim obedijt. Petrus dixit Tabithæ, ſurge, & non contradixit..... in credendo autem non ita fit. Sed audi eum rurſus dicentem: quoties volui, congregare filios tuos, & noluiſti?... Eſt enim multò difficiliùs humanis rationibus perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam. Cauſa eſt autem, quoniam*

ipſe vult nos noſtrâ ſponte fieri bonos. Sic meritò dixit, ſupereminet magnitudo virtutis in nos, qui credidimus.

Traduct. Hexapl. pag. 204. Multò difficiliùs eſt perſuadere libero arbitrio, ut credat, quàm formare naturam: quapropter S. Paulus admiratur virtutem ſupereminentem, quam Deus exercuit in nos, qui credidimus.

Traduct. Fidel. Prodigium eſt multò admirabilius perſuadere animis, quàm ſuſcitare mortuum. Chriſtus dicit ad mortuum; Lazare veni foras, & ſtatim obedit. Petrus dicit ad Tabitham, ſurge, & ipſa nullam fecit reſiſtentiam. *Non ſic res ſe habet circa aſſenſum, quem praſtamus fidei.* Audi quippe, quid adhuc Chriſtus dicat: quoties volui congregare filios tuos & noluiſti? multò difficiliùs eſt perſuadere libero arbitrio per rationes humanas, quàm formare naturam. *Ratio hujus eſt, quòd Deus velit nos fieri bonos ex noſtro beneplacito, & pleno aſſenſu.* Quapropter Apoſtolus dicit, quòd virtus, quæ operata eſt in nos, qui credidimus, ſit ſupereminens.

Reſl. Potéſtne reperiri textus in omnibus SS. Patribus magis convincens ad probandam noſtræ voluntatis renitentiam cum operatione gratiæ? interea Author Hexapl. non erubuit aſſumere hunc textum pro causâ Quenelli, firmandiſque ejus propoſitionibus, quibus operationem gratiæ comparat cum operatione Omnipotentiæ Dei, producentis creaturas ex nihilo, mortuóſque reſuſcitantis. Quem, putas, meretur titulum hujuſmodi actio infamis & peſſimæ fidei? eſtnè petulantia? an impudentia?

Ex S. Hieronymo.

In hæc verba. 1. Cor. c. 10. *Sivè ergò manducatis, ſive bibitis &c. Nec nihil magis agendum eſt Chriſtiano, quàm ut in omni opere ejus Dei gloria prædicetur, nec aliquid faciat, unde Chriſti doctrina poſſit in aliquo reprehendi.*

Traduct. Hexapl. pag. 68. Chriſtiano nihil magis debet cordi eſſe, quàm cura, omnes ſuas actiones *ad Deum referendi.*

Traduct. Fidel. Chriſtiano nihil magis debet cordi eſſe, *quàm facere ita, ut Deus glorificetur in omnibus actionibus ſuis*; & ut nihil faciat, ex quo poſſit ſumi occaſio reprehendendi doctrinam Chriſti.

Reſp. Valde amicum eſt mendacium illi, qui ita conatur hunc textum transferre. Quid enim officit deciſionibus Eccleſiæ, ſi S. Hieronymus dicat, Chriſtiano nihil magis agendum eſſe, quàm ut omnes ſuas actiones ad Deum referat? an ergò Eccleſia Romana unquam docuit, aut docet adhuc doctrinam contrariam?

Ex S. Auguſtino.

Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18. *Quanquàm voluntas, mirum eſt, ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit.*

Traduct. Hexapl. pag. 40. *Impoſſibile eſt*, ut voluntas hominis maneat ita diſpoſita, ut nec bona, nec mala ſit.

Traduct. Fidel. Quamvis difficile ſit, ut voluntas poſſit manere in medio, ita, ut nec bona, nec mala ſit.

Reſp. Ipsâ meridie evidentius patet, terminum, *mirum eſt*, non ſignificare impoſſibilitatem abſolutam, ſed tantùm grandem difficultatem, & conſequenter hunc textum omninò repugnare ſyſtemati Janſenianorum volentium, nullum prorſus dari medium inter charitatem ſupernaturalem, & malam cupiditatem.

Lib. 4. cont. Julian. cap. 3. *Per hunc amorem Creatoris benè quisque utitur etiam creaturis: ſine hoc amore Creatoris nullis quisquam benè utitur creaturis.*

Traduct. Hexapl. pag. 42. Non benè utimur creaturis *niſi* per charitatem, & quicunque hanc virtutem non habet, *non poteſt aliter, quàm facere malum uſum creaturarum.*

Digitized by Google

Traduct. Fidel. Per amorem Creatoris quilibet benè utitur *etiam ipſis* creaturis ; & ſine hoc amore Creatoris nemo *benè utitur ullâ creaturâ.*

Reſl. Nemo unquam dubitavit, nos benè uti omnibus, etiam ipſis creaturis per charitatem ; verumtamen S. Auguſtino imputatur error craſſiſſimus, quando citatur, quaſi dicens, nos non benè uti creaturis *niſi* per charitatem ; eſt quippe de fide, quòd benè poſſimus uti creaturis per fidem, timorem, ſpem, ac cæteras virtutes. Neque etiam dubitatur, ſine charitate neminem benè uti creaturis, ſi per verbulum *benè* intelligatur bonum meritorium vitæ æternæ. Sed eſt hæreſis, ſi dicas, ſine charitate hominem non poſſe aliter, quàm facere malum uſum creaturarum ; nam inde ſequeretur, quòd peccator, qui non habet charitatem, nihil aliud poſſit agere, quàm peccare : quod S. Auguſtinus nunquam docuit. Deinde eſt adhuc alia falſificatio, quando terminus *amor Creatoris* mutatur in terminum *charitas.* Non enim omnis amor Creatoris eſt vera & ſupernaturalis charitas, prout intelligit Author Hexapl.

Lib. de grat. Chriſti. cap. 26. *Omninò nihil boni ſine illâ charitate, quod ad pietatem pertinet, verámque juſtitiam, fieri poteſt.*

Traduct. Hexapl. pag. 46. Nullum bonum fieri poteſt ſine charitate, quod dirigat ad veram pietatem, & *perducat* ad veram juſtitiam.

Traduct. Fidel. Sine charitate nullum poteſt fieri bonum, quod *pertineat* ad veram pietatem & ad veram juſtitiam.

Reflexio. Non ſufficit Authori ſex Columnarum, falſificâſſe S Auguſtinum, vult ipſum inſuper loqui riſu digna ; Verum eſt, quòd charitas nos poſſit perducere ad majorem charitatem, id eſt, ad majorem juſtitiam : ſed riſu dignum eſt dicere, quòd charitas, vel opus per charitatem factum nos *perducat* ad veram juſtitiam, ipſamet enim charitas eſt illa vera juſtitiâ & vera pietas, nec aliquid aliud, niſi quod fit per charitatem & cum charitate,

Digitized by Google

pertinet ad hanc veram juſtitiam & pietatem. Igitur falſificatio conſiſtit in ſubſtitutione verbi *perducit* pro verbo *pertinet.*

In 18. Pſal. Serm. 2. *Propter hoc vitium* (*ſuperbia*) *dedignantur colla ſubdere jugo Chriſti, obligati arctius jugo peccati; non enim ſervire non eis continget. Nam nolunt ſervire, ſed eis expedit ſervire. Nolendo ſervire nihil aliud agunt, quàm ut bono Domino non ſerviant, non eſt, omninò non ſerviant. Quia qui noluerit ſervire charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati.*

Traduct. Hexapl. Qui non agit ex motivo charitatis, neceſſe eſt, ut *agat ex cupiditate.*

Traduct. Fidel. Propter hoc vitium (ſuperbiæ) impij recuſant ſe ſubmittere jugo Chriſti, cùm ſint anguſtiùs alligati jugo peccati: nolint, velint, oportet, ut cuipiam ſerviant, nunquam enim ipſis continget, ut nemini omninò ſervire debeant; nolendo ſervire Deo non ſeſe expediunt ab omni ſervitute. Non aliud agunt, quàm non ſervire bono Domino. Nam ille, qui renuit ſervire charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati.

Reflexio. Falſificatio palpabilis eſt. Nihil hoc loco minùs tangitur, quàm *motivum*, quod quis ſibi proponit in ſuis actionibus particularibus; ſed tantùm hîc agitur de ſtatu ſive gratiæ ſive diſgratiæ vel peccati, in quo quis verſatur, ſe ſubmittendo aut jugo Chriſti, aut diaboli. Inter duos hos ſtatus nullum intercedit medium. Hoc ſolùm eſt, quòd S. Auguſtinus dicere voluit, & reipsâ dixit præſenti textu; nec aliud intendebat, niſi repetere, quod Chriſtus aſſeruit in Evangelio: *qui peccat, ſervus eſt peccati*, vel ſubjacet peccato.

Enchyrid. ad Laur. cap. 8. *Jam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt.*

Traduct. Hexapl. pag. 62. Quid nunc dicam de amore Dei? ſine quo *non poteſt dici, dari veram fidem.*

Traduct. Fidel. Quid jam dicam de amore? ſine quo *fides eſt inutilis.*

Reſt. Tametſi fides ſine charitate ſit fides mortua, non tamen ex eo ceſſat eſſe fides vera, quæ nos ſuo modo unit cum Chriſto; prout loquitur D. Thomas; quare falſificatio inſignis eſt, Auguſtinum ducere in teſtem, nullam dari *fidem veram* ſine amore Dei.

In Pſalm. 51. num. 12. *In occulto eſt radix: fructus videri poſſunt; radix videri non poteſt. Radix noſtra charitas noſtra; fructûs noſtri opera noſtra. Opus eſt, ut opera tua de charitate procedant; tunc eſt radix tua in terrâ viventium.*

Traduct. Hexapl. pag. 70. Pietas noſtra in hac vitâ debet habere radicem; & hæc radix eſt charitas; fructus qui inde naſcuntur, ſunt opera noſtra; & oportet, ut *omnia* producta ſint ex charitate.

Traduct. Fidel. Radix eſt occulta. Fructûs poſſunt videri, non tamen poteſt videri radix: *noſtra charitas eſt radix*: noſtri fructûs ſunt noſtra opera. Oportet, ut opera noſtra procedant ex charitate, & *tunc noſtra radix eſt in terrâ viventium.*

Reſt. Hoc eſt: ſecundùm Authorem ſex Columnarum nulla datur ſpecies pietatis aut virtutis, quæ non habeat ſuam radicem in charitate, & per conſequens nec fides, nec ſpes, nec humilitas ſunt virtutes aut Dei dona ſine charitate, ſed vera vitia: eccur iſtud? quoniam oportet, inquit, ut *omnia* opera noſtra producantur ex charitate. Verum eſt, quòd ſic dicat S. Auguſtinus, ſed addit aliquid, quod Author Hexaplarum judicat non addendum, ſed præſcindendum. Nimirum, *tunc eſt radix tua in terrâ viventium:* ex quo evidenter monſtratur, ſenſum S. Patris eſſe, quòd oporteat opera noſtra produci ex charitate, ad hoc, ut ſint meritoria vitæ æternæ.

In Pſalm. 77. num. 10. *Poterat enim putari lex operum, quaſi ſufficere ad juſtificationem, cùm ea, quæ non ex corde*

Digitized by Google

faciunt, & tamen faciunt, ac per hoc quaſi videntur ambulare in lege Dei, ſed nolunt ambulare non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri poteſt, quod formidine fit pœna, non dilectione juſtitiæ.

Traduct. Hexapl. pag. 78. Quod fit ex formidine pœnæ, & non ex amore juſtitiæ, non fit ex corde ullo modo.

Traduct. Fidel. Potuiſſet credi, quòd lex operum ſufficeret ad juſtificationem, quando illud, quod exteriùs jubetur, adimpletum eſt ab his, *qui tali modo ſunt diſpoſiti, ut id, quod faciunt, non ex corde faciant.* Inde provenit, quòd videantur ambulare viam Domini, *ſed nolunt eam ambulare*, quia non in eâ ambulant ex bono corde: quod enim fit ex formidine pœnæ, & non ex amore juſtitiæ, nullo modo poteſt fieri ex corde.

Reſp. Satis advertitur ab unoquoque, falſificationem hujus textûs in eo conſiſtere, quod Author Hexapl. id totum omiſerit, quod immediatè præcedit textum à ſe citatum, ex quo clarè oſtenditur, S. Auguſtinum loqui duntaxat hoc loco de timore *ſerviliter* ſervili, cum quo ſtat voluntas peccandi; non antem de timore ſimpliciter ſervili, qui excludit voluntatem peccandi.

Serm. 170. in verb. Apoſt. c. 9. *Interrogo ergò te, quiſquis vis judicare, & vide, ſi tunc non facis malè, quando potes facere, & ab homine non puniri; tunc times Deum. Nemo eſt ibi, niſi tu & ille, cui facis malum, & Deus, qui ambos videt. Vide, ibi time. Parum eſt, quod dico: vide, ibi time malum: ibi ama bonum. Nam etiamſi timore gehennæ non facis malum, eſt quidem in te fides, quia credis, futurum eſſe judicium. Gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ.*

Traduct. Hexapl. pag. 79. & 80. Jam qui teipſum vis judicare, viſne ſcire, quid debeas cogitare de tuo timore? vide, utrum non committas malum, quando illud potes committere ſine timore punitionis ab hominibus infligendæ; profectò ſi ſis in tali

diſpoſitione, tunc times Deum; & hic timor bonus eſt .... oportet, ut benè convincaris de hac veritate; nimirum ſi ſola formido inferni te impedit à faciendo malo, tunc es adhuc *valde remotus à juſtitiâ.* Imò tibi dicam, quòd ſi non abſtineas committere malum, niſi quia times puniri in inferno, reverà fides reperitur in te; per hoc enim monſtras, quòd certé credas judicium Dei, & laudari debes, quòd talem fidem habeas; verùm neque poſſum reticere, quòd multùm timeam, propter fundum malitiæ & corruptionis, quam hujusmodi fides ſemper in te relinquit.

Traduct. Fidel. Quæro ex te, qui te ipſum vis judicare de tuo timore. Vide utrum non facias malum, quando potes id facere ſine timore, puniri ab hominibus: tunc times Deum: non ibi eſt niſi tu & ille, cui facis malum, & Deus, qui videt utrumque: Cave ſis, time: Parum eſt hoc dicere: *time malum, quod Deus tibi minatur:* ama bonum, quod tibi præcipit; quamvis enim non facias malum ex timore gehennæ, *necdum tamen perfectus es.* Audeo dicere, quòd, ſi non facias malum ex timore inferni, reverà fides ſit in te; quia credis futurum judicium; applaudo fidei tuæ; verùmtamen timeo pro te propter malitiam tuam.

Reſl. Quando S. Auguſtinus dicit, quòd necdum ſimus perfecti, etiamſi non faciamus malum ex timore inferni, clarè oſtendit, quòd ſit aliquid boni, tametſi imperfectum, abſtinere à malo ex motivo talis formidinis. Ut igitur evitaret hanc difficultatem Author Hexapl.; idcircò loco verborum, *necdum es perfectus*, ſubſtituit iſta, *Adhuc valde es remotus à juſtitiâ.* Ex eâdem ratione præterivit verba illa, quibus S. Doctor nos hortatur, *ut timeamus malum, quod Deus minatur.* Quamvis hic timor ſit ſolummodò exiguum bonum. *Parum eſt, quod dico*; eo ipſo tamen, quòd ſit parvum bonum, eſt aliquod bonum.

Lib. 1. ad Bonif. cont. Ep. Pelag. *Aliud eſt enim voluntate benè faciendi benefacere, alind autem ad malefaciendum ſic*

Digitized by Google

voluntate inclinari, ut etiam faceret, ſi hoc poſſet impunè permitti. Nam ſic profectò in ipsâ intus voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat.

Traduct. Hexapl. pag. 82. Profectò ille reus eſt in corde, qui non abſtinet à peccato, niſi ex timore ſupplicij, & non ex rectitudine ſuorum deſideriorum.

Traduct. Fidel. Differentia datur inter facere bonum ex affectione voluntatis erga virtutem, & inter *habere voluntatem taliter propenſam ad malum, ut committeretur id malum, dummodo cenſeretur, impunè id fieri poſſe.* Certè enim in tali diſpoſitione, qui à peccato abſtinet non voluntariè, ſed ex formidine pœnæ, ille ex fundo cordis ſui peccat.

Reſp. Quando ſic mutilantur eloquia SS. Patrum, difficile non eſt, ipſorum adducere teſtimonia in patrocinium cujuſcunque erroris craſſiſſimi.

In Pſalm. 149. n. 14. *Quare ergo vincula ferrea, & non vincula aurea? ferrea ſunt, quamdiu timent; ament; & aurea erunt.... Timor eſt vinculum ferreum; & tamen niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergò á vinculis ferreis; finitur ad torquem aureum.*

Traduct. Hexapl. pag. 88. Mandata Dei ſunt illi, qui timet, vincula ferrea, *quæ ipſum opprimunt.* Illi verò, qui amat, ſunt torques magni pretij, & ornamentum pretioſum.

Traduct. Fidel. Cur igitur ſunt vincula ferrea, & non vincula ex auro? ſunt ex ferro, quamdiu timent homines mandata habentes. Ament; & hæc mandata erunt ex auro.... Timor eſt vinculum ex ferro. Et interim, ſi *homo non incipiat honorare Deum ex timore, non perveniet ad amorem.* Initium ſapientiæ timor Domini: homo inchoat per vincula ferrea, & finit per torquem aureum.

Reſ. En iterum falſificationem intollerabilem, juſtæ indignationis motus excitantem: fortè vix locus extat in toto S. Auguſtino, manifeſtiùs exprimens, aut evidentiùs decidens bonitatem & utilitatem timoris gehennæ, etiam quatenus timor ille ſeparatus eſt à charitate. Et tamen Author Hexapl. audaci fronte præſumit hoc textu contra nos prævalere; quid eſt hoc, niſi inſtar araneæ ex optimis floribus ſugere virus ſuum?

Enchyrid cap. 118. n. 31. *Cùm in altiſſimis ignorantiæ tenebris nullâ reſiſtente ratione ſecundùm carnem vivitur, hæc ſunt prima hominis. Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, ſi nondum divinitùs adjuvat Spiritus, ſecundùm legem volens vincitur, & ſciens peccat, peccatóque ſubditus ſervit.*

Traduct. Hexapl. pag. 92. Primus hominis ſtatus eſt, quando, ſepulto adhuc intellectu ſub tenebris profundæ ignorantiæ, vivit ſecundùm paſſiones carnis, non eis reſiſtendo: Secundus ſtatus eſt, quando cognito peccato per adjutorium legis, necdum tamen adjutus per gratiam Spiritûs ſancti, inutiliter vult vivere ſecundùm ſacras regulas à lege præſcriptas, & peccat, *cognoſcendo peccatum, & volendo ei reſiſtere.*

Traduct. Fidel. Primus ſtatus hominis eſt, quando ſepultus profundæ ignorantiæ tenebris ſeſe tradit ſine reſiſtentiâ paſſionibus carnis. Secundus ſtatus eſt, quando cognito peccato per legem, necdum tamen adjutus per gratiam Spiritûs ſancti, *& deſiderans vivere juxta regulas à lege præſcriptas*, ſuperatur, *peccat cum cognitione*, & fit mancipium peccati.

Reſ. Omnes Doctores Catholici nôrunt, quòd peccator habituatus, qui diu gratiæ reſtitit, quandoque reperiatur in ſtatu adeò deplorabili, ut non obſtantibus cunctis ejus bonis deſiderijs nequeat, ſaltem moraliter loquendo, peccatum vincere, cujus ſe mancipium voluntariè effecit. Verùm Authori Hexapl. ejusque commilitonibus

hæc licentia reſervata eſt, inſtruendi fideles, quòd cognitio peccati & voluntas ei reſiſtendi ſint vera peccata; de quo nihil unquam invenitur in S. Auguſtino.

Ser. 3. ſuper Agar & Iſmael. *Teſtamentum vetus propriè ad Judæos pertinet. Etenim carnalia beneficia promittebantur, quia ſpiritualibus non capiebantur.*

Traduct. Hexapl. pag. 106. Antiquum teſtamentum propriè ad Judæos ſpectat; *non habebant niſi* promiſſionem bonorum carnalium, quia *non erant capaces bonorum ſpiritualium.*

Traduct. Fidel. Antiquum teſtamentum propriè ſpectat ad Judæos, ipſis enim *promittebantur bona carnalia*, quia non *tangebantur ex promiſſione ſpiritualium.*

Reſp. Si Judæi non habebant niſi promiſſionem bonorum carnalium, ergò vocati non erant ad vitam æternam: ſi non erant capaces bonorum ſpiritualium, ergò ipſis impoſſibile erat ſalvari, aut ſalutem ſuam operari: hanc tremendam blaſphemiam non veretur Hexapliſta imputare S. Auguſtino.

Lib. de nat. & grat. c. 57. *Sub lege eſt enim, qui timore ſupplicij, quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi; in ipſâ enim voluntate reus eſt, quâ mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe, quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè deſiderat: in quantum quisque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege &c.*

Traduct. Hexapl. pag. 108. Ille ſub lege eſt (tametſi baptizatus) qui ſentit, quòd ab actione peccati non abſtineat niſi ex timore ſupplicij, & non ex amore juſtitiæ .... à proportione cùm quis à ſpiritu ductus &c.

Traduct. Fidel. Ille ſub lege eſt, qui ſentit, ſe non abſtinere ab actione peccati niſi ex timore ſupplicij, & non ex amore

juſtitiæ; *cum nondum ſit liber, nec remotus à voluntate peccandi.* Eſt enim reus in voluntate, *quâ vellet, ſi poſſibile foret, ut id* quod pertimeſcit, non eſſet, ad liberè faciendum id, *quod ſecretò deſiderat.*

Reſt. Annon patet manifeſtè, quòd Author Hexapl. non alio ex fine detruncaverit hæc ultima verba, niſi ut S. Auguſtinum jubeat dicere, quod non dicit, nimirum, quòd omnis timor pœnarum ſine vero Dei amore ſit peccaminoſus.

Lib. 13. de Trin. c. 19. *Illi autem præcipui gentium philoſophi, qui, invisibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicere potuerint, tamen quia ſine Mediatore, id eſt, ſine Homine Chriſto philoſophati ſunt, quem nec venturum prophetis, nec veniſſe Apoſtolis crediderunt, veritatem detinuerunt, ſicut de illis dictum eſt, in iniquitate.*

Traduct. Hexapl. pag. 148. Philoſophi gentiles, de quibus S. Paulus nobis dicit, quòd potuerint cognoſcere inviſibiles Dei perfectiones, quæ factæ ſunt viſibiles poſt creationem mundi, per cognitionem, quam de illis præbent creaturæ, *omnes* detinuerunt veritatem in injuſtitiâ; quia Mediator hominum Jeſus Chriſtus, Homo-Deus *non fuit principium Scientiæ & Philoſophiæ eorum.*

Traduct. Fidel. Præcipui philoſophi gentiles, qui potuerunt perfectiones Dei inviſibiles cognoſcere ex creaturis, detinuerunt, ut ait S. Paulus, veritatem in injuſtitiâ; quia ratiocinati ſunt ſine Mediatore Chriſto Deo-Homine, quem non crediderunt debere venire ſecundùm oracula prophetarum, aut veniſſe, prout ipſis annuntiabatur ab Apoſtolis.

Reſt. S. Auguſtinus non dicit, Philoſophos detinuiſſe veritatem in injuſtitiâ, eò quòd Chriſtus non fuerit principium ſcientiæ eorum; ſed eò, quòd nolentes in Chriſtum credere, ſine ipſo philoſophati ſint: ergò præcisè eorum infidelitati voluntariæ attribuit crimen illud, quòd detinuerint veritatem in injuſtitiâ, & non eorum cogni-

tionibus naturalibus, quæ ipſis, dummodò voluiſſent, potuiſſent eſſe perquàm utiles, prout fuerunt quibuſdam alijs; eſt enim congruum, ut etiam notes, S. Doctorem non dicere, prout eum falſificat Hexpl. quòd *omnes* philoſophi detinuerint veritatem in injuſtitiâ, ſed nonnulli ex principalioribus, nempe: *illi præcipui &c.*

Lib. 2. cont. adverſ. leg. & prophet. cap. 11. *Ipſe enim eſt prophetarum Deus, qui mandata ſancta, & juſta & bona, ſuperbis tamen, non de ipſius gratiâ, ſed de ſuâ virtute fidentibus, non quibus viverent, ſed quibus morerentur, ut convincerentur, dedit.*

Traduct. Hexapl. pag. 154. Mandata (quæ ſunt gratia æterna) non erant, *ut facerent vivere Judæos, ſed ut eos mori facerent.*

Traduct. Fidel. Deus Prophetarum eſt, qui dedit mandata *ſancta, juſta & bona, quæ tamen erant incapacia vitam donandi ſuperbis, & ijs, qui magis confidebant in proprijs ſuis viribus, quàm in gratiâ,* ſed capacia, faciendi eos mori; ut convincerentur de ſuâ infirmitate.

Reſp. Mandata Dei erant bona & utilia Judæis, ſed funeſta ſuperbis; hæc eſt veritas Catholica, quam voluit hoc loco affirmare S. Auguſtinus, non autem abominandam blaſphemiam Janſenianorum, aſſerentium, quòd legis & præceptorum verus finis ſit, ut faciat prævaricatores.

In Pſalm. 106. n. 5. *Exclamat & in hâc ad Dominum: Liberat Deus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operatione æquitatis.*

Traduct. Hexapl. pag. 174. & 176. In hoc ſtatu clamat ad Dominum, & Dominus ipſum liberat, *reddens ei bonum poſſibile.*

Traduct. Fidel. In hoc ſtatu clamat ad Dominum, & Dominus ipſum liberat à neceſſitatibus ejus, rumpit vincula, *quæ reddunt ipſi bonum difficile;* eumque ſtatuit in praxi ejusdem boni.

Reſt. Vocabulum *neceſſitas* in S. Auguſtino ſumitur ordinariè pro ſimplici *difficultate*; non autem pro abſolutâ neceſſitate. Quod convincenter probatur ex præſenti textu. Hinc author Hexapl. præcavebat, ne eum fideliter tranſponeret in vernaculam.

Lib. 13. Conf. cap. 17. *Et animas ſitientes tibi .... occulto & dulci fonte irrigas, ut & terra det fructum ſuum. & dat fructum ſuum, & te jubente Domino ſuo anima noſtra germinat opera miſericordiæ ſecundùm genus ſuum.*

Traduct. Hexapl. pag. 184. *&* 186. Irrigas terram animarum noſtrarum rore cœleſti, dulci & inviſibili, ut fructus ſuos afferat. Neque etiam deeſt, eos afferendo, *poſtquàm ejus Dominus & Magiſter locutus eſt.* Nam *omnipotens fortitudo verbi tui* facit, quòd anima noſtra producat fructus ſuos, qui ſunt opera miſericordiæ, & illa producit ſecundùm genus ſuum.

Traduct. Fidel. Et irrigas animas ex gratiâ tuâ ſitientes &c. aquâ dulci & inviſibili, ut afferant fructus ſuos, *& illos reipsâ afferunt. Et ex præcepto Domini ſui* anima noſtra producit opera miſericordiæ ſecundum genus ſuum.

Reſt. S. Auguſt. ſimpliciter dicit, quòd anima noſtra afferat ſuos fructus, quando Deus eam irrigat ſuâ gratiâ. Author autem Hexapl. dicit, quòd anima *non deſit* fructus afferendo, ut inſinuaret, quòd non poſſit deeſſe anima, quin germinet fructus. Ex ejusdem ſpiritûs impulsu tam altè intonat *omnipotentem* fortitudinem Verbi divini, cujus S. Auguſtinus nec verbulo meminit.

Lib. 4 cont. Julian. cap. 8 num. 44. *Qui jam utuntur voluntatis arbitrio, niſi eo volente & ſubveniente, â quo præparatur voluntas, velle non poſſunt.*

Traduct. Hexapl. pag. 248. Si jam habent uſum ſuæ libertatis, non poſſunt velle ſalvari, ſi ille, per quem voluntas hominis eſt præparata, id nolit, & *eos non faciat id velle* per adjutorium gratiæ.

Traduct. Fidel. illi, qui jam habent uſum ſuæ libertatis non poſſunt velle ſalvari, ſi ille, per quem voluntas hominis præparatur, non vult, *nec ipſos juvat, ut velint.*

Reſp. Multùm diſcriminis eſt inter *juvare ut velimus, & facere ut velimus.* Primum denotat liberrimam cooperationem voluntatis noſtræ: ſecundum in Janſeniſtarum ſtylo exprimit neceſſitatem inevitabilem.

In Pſalm. 89. n. 17. *Juſtificatio autem ex fide impetratur, de qua ſcriptum eſt: ne dixeris in corde tuo, quis aſcendit in cælum.... quia ſi confitearis in ore tuo &c.*

Traduct. Hexapl. pag. 290. Juſtificatio *hominis tota incluſa eſt in fide*; juxta id, quod nobis dicit Apoſtolus Paulus. Si confitearis in ore tuo &c.

Traduct. Fidel. Impetratur Juſtificatio per fidem, de qua ſcriptum eſt: ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum?... quia ſi confitearis in ore tuo &c.

Reſp. Author Hexapl. inſigniter novit elicere SS. Patrum ſententias pro ſuâ causâ: parum eſt ipſi, Tria aut quatuor verba tametſi eſſentialia in unâ ſolâ phraſi immutare. de hujusmodi minimis non curat Prætor.

Epiſt. 120. ad Conſent. n. 8. *Nam pia fides ſine ſpe & ſine Charitate eſſe non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere, quod nondum videt, ut viſionem & ſperet & amet.*

Traduct. Hexapl. pag. 292. Cùm fides ſancta & *ſalutaris non ſubſiſtat* ſine ſpe & Charitate, oportet, ut homo fidelis non ſolùm credat, quod necdum videt; ſed ut etiam amet id videre, ut pro hoc laboret, & ſperet illuc pervenire.

Traduct. Fidel. Nam fides *pia debet eſſe aſſociata* ſpei & charitati; itaque homo fidelis debet credere, quod necdum videt, ita ut id ſperet & amet.

Reſp. Quamvis mortua ſit fides abſque charitate, non tamen ceſſat ſubſiſtere ſine illâ; & hæc fides poteſt eſſe ſaluberrima pecca-

tori. Sæpius enim illa mediante impetrat remiſſionem peccatorum: prout teſtatur S. Auguſtinus proximè ſequente textu.

Tract. 3. in Joan. n. 3. *Hanc ergò accepit gratiam primam peccator (fidem ſcilicet) ut ejus peccata dimitterentur.*

Traduct. Hexapl. pag. 296. Prima gratia, quam recipit peccator, *eſt illa, per quam* ejus peccata dimittuntur.

Traduct. Fidèl. Peccator recepit *hanc primam gratiam*, videlicet, ut ejus peccata remitterentur.

Reſp. Non niſi oculi corporei requiruntur, ut cognoſcas hanc primam gratiam, de qua hîc loquitur S. Auguſtinus, eſſe fidem. Dicit enim immediatè antea; *quam gratiam primò accepimus, fidem. Hanc ergò accepit gratiam primam &c.* Verùm Author Hexapl. cautum cenſuit, ita falſificare hunc textum, donec S. Doctor cum Quenello pronuntiaret; *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt remiſſio peccatorum.*

Lib. 1. de Bapt. cont. Donat. c. 10. n. 14. *Neque enim hi ſoli ad eam non pertinent, qui ſeparationis aperto ſacrilegio manifeſti ſunt; ſed etiam illi, qui in ejus unitate corporaliter mixti per vitam peſſimam ſeparantur.*

Traduct. Hexapl. pag. 352. Illi qui ſunt ſeparati ab Eccleſiâ ſchiſmate manifeſto, non ſunt ſoli, qui ad eam non ſpectant: nam in ejus unitate illi ipſi, qui ſe ab eâ ſeparârunt inordinatione vitæ ſuæ, non *magis* ad eam pertinent.

Traduct. Fidèl. Non enim ſunt illi ſoli, qui ſeparati ſunt ab Eccleſiâ manifeſto ſchiſmate, qui ad eam non pertinent; ſed etiam illi, qui Eccleſiæ corporaliter uniti ſe ſeparant ab eâ ſuâ malâ vitâ.

Reſp. Author Hexapl. adducit S. Auguſtinum in teſtem, quòd peccatores non *magis* ad Eccleſiam pertineant, quàm ſchiſmatici apertiſſimè declarati; ſic enim ſperat juſtificare propoſitionem Quenelli dicentis. *Æquè* ſeparamur ab Eccleſiâ non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

Ex S. Leone Papâ.

Serm. 88. mihi 3. de Jejun. Sept. menſis. *In Dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt nociva.*

Traduct. Hexapl. pag. 46. In amore mundi omnia ſunt *mortalia.*

Traduct. Fidel. In amore Dei nihil nimium eſt, in amore mundi totum noxium eſt.

Reſp. En iterum pravam Hexapliſtæ verſionem, pro cujus juſtificatione opus eſſet conſulere lexicon Jenſeniſtarum. In noſtris enim Dictionarijs non reperitur, quòd *nocivum* & *mortale* ſint ſynonima.

Serm. 47. Quadrag. c. 3. *Quamvis enim magnum ſit habere fidem rectam, ſanámque doctrinam, & multâ laude digna ſit circumciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, puritas caſtitatis; nudæ ſunt tamen omnes ſine charitate virtutes, nec poteſt dici, in quâlibet morum excellentiâ fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit.*

Traduct. Hexapl. pag. 72. Omnes virtutes vanæ ſunt ſine charitate, nec poteſt appellari *bonum, niſi id, quod ipſa producit.*

Traduct. Fidel. Tametſi *magna ſit res* habere fidem rectam & ſanam doctrinam, & tametſi mortificatio oris, dulcedo manſuetudinis, & puritas caſtitatis *ſint digna magnâ laude*; ſunt tamen omnes hæ virtutes ſine charitate nudæ, neque poteſt dici in ipſis aliquid eſſe fructuoſum (ſive utile ad æternam gloriam) ſi charitas eas non producat.

Reſp. Prudenter fecit Author Hexapl. reticendo verba, textum à ſe citatum & traductum antecedentia. Sic etiam in Evangelio laudatur infidelis œconomus, ſeu villicus iniquitatis. Datur enim infidelitas, quæ meretur laudem, & ſapit prudentiam in generatione ſuâ. Nimis clarè & patenter in verbis illis antecedentibus continetur condemnatio erroris, quem hîc ſuadere cogitat. Enim verò ſi fi-

des recta, doctrina ſana, mortificatio gulæ, manſuetudo & puritas etiam ſine charitate ſunt magna Dei dona, *multâ laude digna*, quis non videt has virtutes non duntaxat eſſe *bonas* ſed optimas? verum eſt, virtutes iſtas ſine charitate nudas eſſe, & *infructuoſas*, ſive inutiles ad æternam gloriam, quantumvis eximiæ ſint in ſeipſis; & ſic perlibenter concordamus cum S. Leone; nec tamen ex eo deſinunt eſſe virtutes optimæ, & laude digniſſimæ.

Ex S. Gregorio Papâ.

Lib. 18. Mor. cap. 9. *Eſſe quidem ſine delectatione anima nunquam poteſt; nam aut infimis delectatur aut ſummis; & quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto majori faſtidio torpeſcit ad infima: quantóque acriore curâ inardeſcit ad infima, tanto tepore damnabili frigeſcit à ſummis: utraque enim ſimul & æqualiter amari non poſſunt.*

Traduct. Hexapl. pag. 38. Anima nequit eſſe ſine *annexione*. Oportet, ut vel amet res cœleſtes, & quò magis ad eas fertur cum ardore, eò magis faſtidit res terreſtres: vel oportet, ut ſeſe *alliget, ſeu annectet*, rebus terreſtribus, & *tunc* labitur in teporem erga res cœleſtes, qui tepor *ei mortem affert*.

Traduct. Fidel. Anima eſſe non poteſt, quin ſe *delectet* in aliquâ re. Vel enim ſibi complacet in rebus terreſtribus aut cœleſtibus. Quò magis fertur cum ardore versùs res cœleſtes, eò magis faſtidit res terreſtres. Et quò magis afficitur erga res terreſtres, eò magis labitur in teporem *pernitioſum* erga res cœleſtes. Non enim quis poteſt *ſimul & æqualiter amare has & illas.*

Reſp. Author Hexapl. jubet abſolutè S. Gregorium dicere, nolit, velit, omnem motionem voluntatis, niſi ſit verus Dei amor, eſſe vitioſam & peccaminoſam: in hunc finem falſificat S. Doctorem quatuor modis.

Digitized by Google

1.° Immutat terminum *delectatio* in terminum, *annexio*, ſeu *alligatio*, qui plurimum differunt: Poteſt enim quis de re delectari, quin illi totus adhæreat aut alligetur, præſertim tanquam ultimo fini, prout ſubintelligit Author Hexapl.

2.do Vult, S. Gregorium dicere & docere, hominem, quâ horâ, quo momento incipit adhærere, ſeu alligari rebus terrenis, ſtatim torpeſcat faſtidio rerum ſupernarum: cùm econtra S. Gregorius ſolùm dicat, quantò acriore curâ inardeſcit ad infima, tanto tepore frigeſcit damnabili à ſummis.

3.° Author Hexapl. citat S. Gregorium tanquam docentem; quòd hic tepor, quo quis damnabiliter frigeſcit à ſummis, ſtatim ac quis inardeſcit ad infima, ſit tepor, *afferens mortem animæ*, & per conſequens peccatum lethale; cùm tamen S. Gregorius hunc teporem duntaxat appellet damnabilem, ſive pernitioſum.

4.° Author Hexapl. mutilat textum S. Gregorij, amputando hæc ultima verba, *utraque enim ſimul & æqualiter amari non poſſunt;* quibus terminis expreſsè demonſtratur, Sancto Doctori hic non eſſe ſermonem, niſi de diverſis gradibus charitatis, qui creſcunt vel decreſcunt juxta augmentum vel diminutionem delectationis in rebus cœleſtibus & terreſtribus, ſummis & infimis; non verò de integrâ deſtructione charitatis juſtificantis, utpote quam non ex quâlibet affectione in creaturas deperdimus.

Hom. 27. in Evang. n. 1. *Quidquid præcipitur, in ſolâ charitate ſolidatur. Etenim multi arboris rami & ex unâ radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex unâ charitate generantur; nec habet aliquid veriditatis ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis.*

Traduct. Hexapl. pag. 72. Omne, quod nobis præceptum eſt, fundatur in charitate. Sicut enim idem truncus plures producit ramos differentes, ſic etiam charitas producit omnes virtutes differentes *quæ ſiunt inutiles*, ſi ſint à charitate ſeparatæ.

Traduct. Fidel. Omne, quod præceptum eſt, ſtabilitur in ſolâ charitate. Nam ſicut plures rami alicujus arboris prodeunt ex eâdem radice; ita plures virtutes naſcuntur ex eâdem charitate: & bona opera, quæ ſunt inſtar ramorum arboris, *nullam habent viriditatem*, niſi maneant connexa cum radice charitatis.

Reſt. Sicut rami arboris à radice ſejuncti emoriuntur & areſcunt, ita bona opera ſine charitate ſunt opera mortua: hoc eſt, de quo nos inſtruit S. Gregorius his verbis: *nec habet aliquid viriditatis &c.* Verùmtamen licèt opera fidei & ſpei ſint opera mortua, inutilia ad æternam gloriam, non idcircò deſinunt eſſe nobis utiliſſima pro acquirendâ ipsâmet charitate.

Hom. 9. in Ezech. n. 2. *Sciendum eſt, quia mala noſtra ſolummodò noſtra ſunt, bona autem noſtra & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra, quia ipſe aſpirando nos prævenit, ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur, ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere, quæ volumus.*

Traduct. Hexapl. pag. 132 Non habemus ex *nobiſmet ipſis* niſi malum; Deus eſt, *qui ponit in nobis bonum*, illud inſpirando.

Traduct. Fidel. Sciendum eſt, malum, quod facimus, venire ſolùm ex nobis, bonum autem venire ſimul & ex Deo omnipotente, & ex nobis; quia ille, qui nobis bonum inſpirat, nos prævenit, nos verò ſequitur adjuvando, ut illud non velimus inutiliter, ſed ut poſſimus adimplere id, quod volumus.

Reſt. Potuiſſétne S. Gregorius apertiùs explicare dogma Catholicum de liberâ cooperatione voluntatis cum motione gratiæ? quomodò autem hoc fieri potuit, ut Author Hexapl. attentare auſus ſit, canonizare errorem Quenelli tam præclaro textu? hoc eſt, quod non ſapio, quod non capio, nec ullus unquam comprehendet, niſi aliunde ſciat, cujus farinæ ſint Janſeniani.

Hom. 26. in Evang. n. 6. *Priùs mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens; Lazare veni foras.... Ecce illum*

diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter ſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem. Ex quâ conſideratione intuendum eſt, quòd illos nos debemus per paſtoralem authoritatem ſolvere, quos Authorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare.

Traduct. Hexapl. pag. 308. Lazarus cùm eſſet mortuus à quatuor diebus, non fuit ſolutus à diſcipulis Chriſti, niſi poſtquàm fuerat *reſuſcitatus, & exiverat è tumulo* per virtutem verborum illorum à Filio Dei prolatorum. *Lazare veni foras.* Itaque diſcipuli ſolvebant illum viventem, quem Chriſtus *ſuſcitaverat* mortuum: ſi enim ipſum ſolviſſent adhuc mortuum, magis ejus fœtorem detexiſſent, quàm poteſtatem ſuam teſtati eſſent: per quod inſtruimur, quòd non debeamus ſolvere per Authoritatam paſtoralem niſi illos, quos novimus à noſtro Magiſtro *per gratiam vivificantem eſſe reſuſcitatos.*

Traduct. Fidel. Lazarus non ſolvebatur à diſcipulis, niſi poſtquàm Dominus eum vocavit & vivificavit dicendo: *Lazare veni foras.* Itaque diſcipuli illum ſolverunt viventem, quem Magiſter *ſuſcitaverat mortuum.* Si enim ſolviſſent adhuc mortuum, magis ejus fœtorem manifeſtaviſſent, quàm ſuam poteſtatem: ex quo docemur, quòd non debeamus per Authoritatem paſtoralem ſolvere niſi eos, quos cognoſcimus *vivificari* à Creatore noſtro *per gratiam excitantem vel ſuſcitantem.*

Reſp. Nemo ignorat, hunc textum eſſe in imaginatione Janſenianorum maximè convincentem, quòd Contritio in Sacramento Pœnitentiæ debeat eſſe conjuncta cum vero & ſupernaturali Dei amore ſuper omnia, qui amor det vitam pœnitenti, priuſquàm recipiat abſolutionem à ſacerdote. In opuſculis Novatorum hâc de materiâ conſtructis vix aliquid toties repetitum offendes, quàm Lazarum S. Gregorij, qui à diſcipulis non fuerat ſolutus, niſi poſtquàm à Chriſto erat reſuſcitatus, Verùmtamen textus iſte genuinè ſumptus nihil horum

probat, quæ volunt, niſi falſificetur eo modo, quo ipſum Hexapliſta falſificavit. Monſtremus ad oculum háſce falſificationes, ut deinde pateat, quàm non ſit contrarius iſte textus doctrinæ Eccleſiaſticæ, fideliter tranſpoſitus.

I.^{mo} Author Hexapl. vertens S. Gregorium dicentem, quòd Lazarus non fuerit ſolutus inſtitis & vinculis, niſi poſtquàm fuit vocatus, & vivificatus, detruncat imprimis terminum, *vocavit*, ac verbum, *vivificavit*, commutat cum verbo, *reſuſcitavit*, quæ inter ſe differunt; ut mox videbimus; ſuperaddit etiam hæc verba, *egreſſus è tumulo*, quæ non habentur in textu S. Patris; nimirum ut eò expreſſiorem haberet teſtem S. Gregorium, quòd peccator debeat eſſe perfectè converſus, aut totaliter liber à peccato, antequam recipiat abſolutionem Sacramentalem; & quòd hæc abſolutio nullatenùs influat in juſtificationem & vitam ſpiritualem peccatoris.

2.do Author Hexapl. hâc verſione facit S. Gregorium dicere, quòd diſcipuli illum ſolverint vivum, quem Chriſtus ſuſcitavit mortuum, quamvis in mente S. Patris terminus *ſuſcitaverat* hoc loco non ſignificet, *perfectè ſuſcitaverat*, ſed duntaxat ſuſcitaverat ſimpliciter eo modo, quem protinùs explicabimus.

3.^{tio} Author Hexapl. facit quoque S. Gregorium eloqui, quòd non debeamus ſolvere niſi illos, quos Chriſtus jam *ſuſcitavit per gratiam vivificantem.* Ubi tres falſificationes inſimul conveniunt. Prima, quòd iterum mutet verbum *vivificare*, in verbum *reſuſcitare*: Secunda, quòd ponat hoc verbum in præterito, cùm tamen in textu ſit in præſenti. Non enim S. Pater dicit *vivificâſſe*, ſed *vivificare*: Tertia denique, quòd invertat terminum, *per gratiam ſuſcitantem*, in terminum, *per gratiam vivificantem.*

Multum ex omni modo intereſt Hexapliſtæ, quòd ita falſaverit hæc ultima verba S. Gregorij, utpore quibus clarè mens ejus & intentio intimatur. Si enim S. Doctor dixiſſet, ſolvendos non eſſe niſi jam reſuſcitatos per gratiam vivificantem, certum eſt, quòd confirmâſſet errorem interpretis iſtius infidelis. Cùm verò dixerit ſol-

vendos non eſſe, niſi quos Chriſtus actualiter vivificat per gratiam excitantem vel ſuſcitantem, hinc manifeſtè oſtendit, opus non eſſe, ut vera reſurrectio præcedat abſolutionem; & quòd ſufficiat peccatori ad recipiendam abſolutionem, ſi Dominus eum excitet vel ſuſcitet à peccato, ipſi inſpirando per *ſuſcitantem gratiam* motus quoſdam timoris & ſpei, vel ad ſummum aliquas ſenſationes & impulsûs amoris inchoati, qui necdum eſt charitas vivificatrix, ut prætendit Author Hexapl.

Invanùm hic tergiverſaris, inferendo, quòd S. Gregorius poſitivè teſtetur, diſcipulos non ſolviſſe Lazarum, niſi poſtquàm Dominus ipſum vivificaverat, veréque fuiſſe in ſepulchro vivum, antequam ſolveretur. Ad hoc reſpondeo, vix ullam dari ſimilitudinem, quæ non claudicet, vel quæ ſit ex omni parte & in omni ſenſu completa aut adæquata; reſpondeo, inquam, S. Gregorium hic comparare peccatorem, abſolutionem recepturum, cum Lazaro, ad demonſtrandum, quòd ſicut Lazarus fuit vivus vel vivificatus antequàm ſolutus, ita peccator debeat habere quaſdam motiones & ſenſationes vitæ, priuſquàm abſolutionem recipiat. Ecquis dubitet, peccatorem, qui eſt commotus ad peccata ſua deteſtanda ex timore judiciorum Dei, aut ex ſpe vitæ ſempiternæ, habere nonnullas ſenſationes & motus vitæ? cùm S. Thomas paulò infra citatus nos doceat, quòd vel ipſa fides informis nos uniat ſuo modo cum Chriſto: *percipiunt tamen,* inquit, *tales peccatores à Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere.* Ergò evidens eſt, hunc textum Gregorianum fideliter traductum non modò doctrinam Eccleſiæ non infeſtare, ſed econtra eidem ſummè favorabilem eſſe.

Ex S. Proſpero.

Sent. 224. *Non ſunt bona opera; niſi quæ per fidem & dilectionem fiunt; quia alterum ſine altero nullius virtutis fructum parit.*

Traduct. Hexapl. pag. 124 Non poſſunt vocari bona ope-

ra, niſi ea, quæ fiunt ex fide & charitate. Una ex his virtutibus ſine alterâ *non poteſt producere veram virtutem.*

Traduct. Fidel. Nulla dantur bona opera, niſi illa quæ fiunt ex fide & charitate: una enim ex his virtutibus ſine altera *non ullius virtutis fructum producit.*

Reſp. Quando S. Proſper dicit, quòd ſine fide & charitate nôn poſſit produci fructus ullius virtutis, ſatis nobis demonſtrat, nullas dari virtutes, nulla bona opera fructuoſa vel utilia ad vitam æternam ſine fide & charitate. Idcircò Author Hexapliſta aliter vertit, nempe, *una virtus ſine alterâ non poteſt veram producere virtutem;* quaſi diceret; ipſamet fides ſine charitate non eſt vera fides.

Epiſt ad Ruffin. c. 10. *Quod, donec ſine Deo ſolum fuit, mortuum fuit juſtitiæ, vixítque peccato: ubi autem ipſum illuminavit miſericordia Dei, erutum eſt à regno diaboli.*

Traduct. Hexapl. pag. 150. Quamdiu liberum arbitrium manet ſolum, *ſibíque ſoli relinquitur, nihil facit, quod ipſi non ſit nocivum & pernitioſum.*

Traduct. Fidel. Quamdiu liberum arbitrium manſit ſolum ſine Deo, mortuum eſt juſtitiæ, & vixit peccato: poſtquàm autem miſericordia Dei illud illuminavit, liberatum eſt à poreſtate diaboli.

Reſp. Idcircò Hexapliſta ſic corrumpit S. Proſperum, ut evincat, liberum arbitrium ſine gratiâ nullas habere vires niſi ad malum faciendum. Ita eſt; ſine gratiâ homo juſtitiæ mortuus eſt, & vivit peccato; nec tamen inde ſequitur, hominem tunc non aliud poſſe agere, quàm peccare.

Auctor voc. gent. lib. 1. cap. 25. *Multa ſunt alia in Canonicarum ſerie ſcripturarum, quæ vitandæ prolixitatis ſtudio prætérimus; quoniam quæ aſſumpſimus, nec pauca ſunt, nec obſcura, nec levia, quibus pleniſſimè declaratur, omnia, quæ*

ad promerendam vitam æternam pertinent, ſine gratiâ Dei nec inchoari, nec augeri poſſe, nec perfici.

Traduct. Hexapl. pag. 266. Poſſemus probare infinito numero textuum ſacræ Scripturæ, quòd omnes virtutes, quæ nobis poſſunt mereri vitam æternam, *ex Deo trahant* ſuum initium, ſuum augmentum, ſuamque perfectionem.

Traduct. Fidel. Plura ſunt loca ſacræ Scripturæ, quæ omittimus ad evitandam prolixitatem. Illa enim, quæ jam attulimus, neque ſunt in parvo numero, neque obſcura, nec parùm conſiderabilia, quibus clariſſimè affirmatur, omne, quod nobis mereri poteſt vitam æternam, *non poſſe eſſe neque inchoatum, neque augmentum, neque terminatum ſine gratiâ Dei.*

Reſp. Author Hexapl. taliter tranſponit hanc ſententiam ad inſinuandum, quòd fides, augmentum & merces fidei unicè veniant à purâ Dei miſeratione, abſque eo, quòd libera voluntatis cooperatio minimam in hoc partem habeat.

Ex S. Fulgentio.

Lib. de prædeſt. c. 20. *Lex itaque ſine gratiâ oſtendere poteſt ægritudinem, non ſanare: vulnera monſtrat, medicamenta non miniſtrat: ut autem legis impleatur præceptum, gratia intùs miniſtrat auxilium, ac ſic lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam.*

Traduct. Hexapl. pag. 100. Lex auxilio gratiæ deſtituta *poterat* homini cognoſcendum dare crimen ſuum, verùm ipſamet non *poterat* hominem à crimine liberare: *poterat* quidem ei monſtrare vulnera profunda, ſed *nunquàm ei dedit* remedia, quibus ſanari poſſet. *Non ſic ſe habet cum gratiâ*; per ejus adjutorium impletur lex: & cùm lex nos fecerit peccatum cognoſcere, gratia nos ab eâ liberat.

Traduct. Fidel. Lex ſine gratiâ *poteſt* facere, ut cognoſcatur

Digitized by Google

morbus, ſanare non poteſt. *Oſtendit* plagas, non *præbet* remedia. Gratia autem dat nobis *auxilium intrinſecùs pro adimplendo legis præcepto.* Itaque lex dat nobis cognitionem peccati, gratia nos liberat à peccato.

Reſp. Artificium hujus falſificationis pòtiſſimùm conſiſtit in hoc, quòd interpres verterit præſens in præteritum imperfectum: *Lex poteſt*, *Lex poterat.* Nec ſine causâ contigit hæc inverſio, nempe ad inſinuandum, quòd in antiquo fœdere Judæi non potuerint evitare peccatum, nec habuerint ullam gratiam ad hujuſmodi evitationem: ex eâdem intentione Hexapliſta adjungit verba illa, quæ non habentur in textu: *nunquam ei dedit remedia, quibus ſanari poſſet. Non ſic ſe habet cum gratiâ.* Id eſt, ſecundùm Authorem Hexapl. & Quenellum: in antiquo fœdere lex nunquam erat impleta, cùm econtra in novo ſemper impleatur per auxilium gratiæ. Ecce quid ſignificent verba, quæ Author Hexapl. non rogatus commodat S. Fulgentio; *Non ſic ſe habet cum gratiâ, nam per eam lex impletur &c.*

Tract. de Incarn. cap. 20. n. 41. *Auctor eſt ergò fidei noſtra, conſumatórque Jeſus; quia ipſe operatur in nobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate. Quòd ſi in eo tantùm eſt Author fidei noſtra, quia noſtram voluntatem expectat, ut ex nobis eſſe fides incipiat; conſequens eſt, ut etiam conſummator fidei noſtra ideò dicatur, quia expectat, ut noſtro tantùm conatu ad conſummationem fidei, qua à nobis exorta eſt, perveniat.*

Traduct. Hexapl. pag. 276. Sicut eſt conſummator fidei noſtræ, ſic etiam Auctor; ipſe eſt enim, qui ſecundùm bonam voluntatem ſuam operatur in nobis & velle, & perficere: *Deus præparat voluntatem, eámque donat eodem tempore. Quòd ſi Deus illam non daret homini per gratiam; homo nunquam poſſet velle credere in Deum*, quia gratia non invenit in homine hanc voluntatem, ſed eam ibi operatur.

Digitized by Google

Traduct. Fidel. Eſt æquè Auctor noſtræ fidei, ac conſummator, ipſe enim pro bonâ volunrate operatur in nobis velle & perficere. Quòd ſi Deus ſit tantùm Auctor noſtræ fidei in hoc, quia præſtolatur noſtram voluntatem, ita, ut fides incipiat eſſe in nobis ex nobis ipſis; inde ſequitur, quòd Deus etiam debeat dici conſummator noſtræ fidei in hoc, quia præſtolatur, ut tantúm ex noſtris proprijs viribus perfectionem demus huic fidei, quæ provenit ex nobis ipſis.

Reſt. Manifeſtum eſt, quòd S. Fulgentius hoc loco nihil aliud velit, quàm impugnare errorem Semi-Pelagianorum, aſſerentium, quòd initium fidei proveniat ex nobis ipſis ſine ſuccurſu gratiæ prævenientis. Verùm Authori Hexapl. omnia quadrant pro tutelâ ſuæ cauſæ erroneæ; vel ſummè contrarij textus mirabili metamorphoſi doctrinæ ejus ſuffragantur.

Lib. 3. de Prædeſt. cap. 6. *Quomodo enim fieri poteſt, ut gratiam quiſque accipiat, & opera gratiæ ipſâ gratiâ in ſe operante non faciat?*

Traduct. Hexapl. pag. 184 Quomodo poteſt contingere, ut aliquis reciperet gratiam, & non ſtatim faceret opera, quæ *facienda ipſi intùs inſpirarentur â gratiâ.*

Traduct. Fidel. Nam quomodo poteſt hoc fieri, ut aliquis recipiat gratiam, & ut, dum gratia in eo operatur, ipſe non faciat opera gratiæ.

Reſt. Perfectè capimus, quòd ſit abſolutè impoſſibile, ut bonum illud non faciam, quod actualiter per gratiam facio; Sicut eſt impoſſiibile, ut non ſcribam, quando actu ſcribo. Hoc totum eſt, quod S. Fulgentius hìc dicit. Verùm etiam capimus, hæreſin eſſe, ſi quis dicat, me non poſſe non facere, ſed neceſſariò facere opera illa, quæ per gratiam intrinſecùs mihi inſpirantur facienda, quod S. Fulgentius nunquam dixit.

Lib. de Incarn. & Grat. cap. 1. *Doctor gentium in fide & veritate, ne quid ſibi humani tumoris auderet arrogantia vindi-*

care, poſt commendationem fidei, per quam gratìs ſalvi facti ſumus, operum quoque bonorum gratiam muneribus divinæ benignitatis adſignans, ſubſequenter adjunxit: ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.

Traduct. Hexapl. Doctor gentium, qui nominandus eſt doctor verax in fide, & veritate, poſtquàm nos docuit, *quòd non ſimus Auctores fidei noſtræ*, quâ mediante gratìs ſalvi facti ſumus; ut noſtræ præſumptioni omnem prætextum nos exaltandi ſurriperet, nos etiam docet, *quòd non ſimus ſcaturigo & principium omnium noſtrorum bonorum operum, ſint qualiacunque velint;* dicendo, nos eſſe creatos in operibus bonis.

Traduct. Fidel. Doctor gentium in fide & in veritate, *poſtquàm laudavit hanc fidem*, quâ gratìs ſalvi facti ſumus, metu ne fortè arrogantia humani intellectûs ſibi aliquid auderet attribuere, attribuit quòque gratiam bonorum operum beneficentiæ miſerationis divinæ, dicendo, quòd ſimus factura ejus, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.

Reſp. Si non ſumus cum gratiâ Auctores fidei noſtræ, nec ſcaturigo, nec principium omnium noſtrorum bonorum operum, ſint qualiacunque velint; tunc noſtra volùntas non liberè & voluntariè concurrit cum operatione gratiæ; hæc eſt hæreſis, quam Hexapliſta impingit S. Fulgentio.

Lib. de Incarn. & Grat. cap. 29. *Illud verò Apoſtolicum, ubi dicitur de Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non ſicut oportet, intelligunt; qui hanc Dei voluntatem ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant.*

Traduct. Hexapl. pag. 256. Iſti non intelligunt verba Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: qui illa *explicant, de omnibus hominibus in particulari, ſine ullius exceptione*, quique ſibi perſuadent, quòd hæc voluntas Dei *generaliter reſpiciat* electos & reprobos.

Traduct. Fidel. Iſti non intelligunt verba Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri &c.* ut ſunt intelligenda; qui ſibi perſuadent, quòd hæc voluntas Dei *debeat ſumi eodem modo, ſive in eodem ſenſu* tam de vaſis iræ, quàm de vaſis miſericordiæ.

Reſl. Clarâ meridie patet, S. Fulgentium hac ſuâ ſententiâ nihil aliud prætendere, quàm dari in Deo voluntatem ſpecialiùs, benevolentem versùs electos, quàm versùs reprobos. Ut aliquid aliud ex eâ erueretur, debuit corrumpi tam indigno modo, digno tamen ſuo interprete.

Lib. 1. de Remiſſ. peccat. cap. 5. *Vocationis autem hujus ad pœnitentiam principale eſt beneficium, gratuita remiſſio peccatorum.*

Traduct. Hexapl. pag. 296. Remiſſio peccatorum eſt *primum* & præcipuum beneficium vocationis ad pœnitentiam.

Traduct. Fidel. Gratuita remiſſio peccatorum eſt præcipuum beneficium vocationis ad pœnitentiam.

Reſl. Ad oculum patet, cur Hexapliſta adjungat huic textui, *primum* beneficium; quod *primum* non extat in S. Fulgentio, nimirum ut auctoraret hanc propoſitionem Quenelli. *Prima gratia, quam concedit Dominus peccatori, eſt remiſſio peccatorum.*

Ex S. Anſelmo.

In hæc verba Epiſt. ad Coloſſ. cap. 3. Omne quodcunque facitis &c. *Id eſt, quæcunque loquimini, & quæcunque operamini, omnia facite in nomini Domini: id eſt: nomen ejus invocate in exordio locutionis & actionis veſtræ, atque ſequentia verba, & opera ad gloriam ejus ſemper dirigite: tunc enim & peccata locutionis & operationis vitabitis, & bona erunt, quæ dicitis & facitis.*

Traduct. Hexapl. pag. 681. *Apoſtolus nobis imponit præ-*

ceptum ; quando nobis dicit, ut referamus ad Deum omnes actiones noſtras.

Traduct. Fidel. Quidquid dicitis & quidquid facitis, id facite in nomine Domini : hoc eſt, *invocate nomen ejus in principia veſtrorum diſcurſuum. & actionum veſtrarum*, & ſemper referte ad ejus gloriam veſtra verba, & veſtra opera ; *nam tunc vitabitis omnia peccata verborum & actionum* ; & quidquid dicetis & facietis, bonum erit.

Reſl. Author Hexaplarum hîc uno impetu corrumpit & S. Paulum & S. Anſelmum. Nam S. Paulus in his terminis non ſe exprimit de præcepto, nec S. Anſelmus quidquam loquitur de præcepto, ne quidem ad apparentiam. videbis in decurſu operis, cui titulus *Anti-Hexapla*, in quo ſenſu teneamur de præcepto referre ad Deum univerſas actiones noſtras.

Ex S. Bernardo.

Serm. 2. in Salve Reg. n. 5. *Clamor eſt alius oris, alius cordis. Clamor oris, alta vociferatio : Clamor cordis, valida & ſupplex ad Deum intentionis directio. Deus intus, homo foris. Ad eos qui foris ſunt, clamor oris : ad Deum & qui cum eo intus ſunt, clamor cordis. intus ubi ? in ſpiritu.*

Traduct. Hexapl. pag. 54. Datur clamor oris & clamor cordis, clamor oris magnum ſtrepitum excitat extrinſecùs ; *clamor cordis eſt ſincera annexio & colligatio cum Deo* : Deus eſt intus in nobiſmet ipſis ; homines ſolummodò ſunt foris. utimur ore, ut loquamur cum hominibus ; ſed quoad Deum, ipſe non audit niſi clamorem cordis.

Traduct. Fidel. Eſt clamor oris, & clamor cordis. Clamor oris eſt alta clamatio ; clamor cordis eſt elevatio mentis ad Deum fortis & ſupplex. Deus intus eſt, & homo foris ; utimur clamore

oris ad loquendum ijs, qui foris ſunt; ſed *ad loquendum Deo, & illis qui cum Deo ſunt intra nos, utimur clamore cordis.* Et quid eſt hoc interius? eſt profundum animæ noſtræ, ſeu ſpiritûs noſtri.

Reſl. Si clamor cordis eſt ſincera annexio ſeu alligatio cum Deo, & ſi Deus non audit niſi clamorem cordis, ſequitur manifeſtè, quòd Deus nihil audiat, quàm clamorem Charitatis, non verò clamorem aliarum virtutum. Hoc eſt, quod Hexapliſta vult extorquere ex S. Bernardo, qui nunquam quid ſimile protulit.

Serm. 51. in Cant. *Donec quis premitur à ſpiritu ſervitutis, parúmque habet de ſpe, de timore plurimùm, non eſt ei pax, neque requies, fluctuante nimirum conſcientiâ inter ſpem & timorem, maximéque, quòd à ſuperexcellente timore abundantiùs crucietur, nam timor pœnam habet.*

Traduct. Hexapl. pag. 90. Quamdiu aliquis ducitur ſpiritu ſervitutis, *& timore animatur loco ſpei*, non poteſt guſtare nec pacem nec requiem; & *quò magis eum dominatur timor, eò magis & violentiùs tormentatur*: nam pœna & tormentum ſunt timoris hæreditas.

Traduct. Fidel. Quamdiu quis agitatur ſpiritu ſervitutis, *habétque parum ſpei, & multum timoris*, nec pacem, nec quietem habet: quia ejus conſcientia *fluctuat inter ſpem & metum*: præſertim, quia timore, *utpote qui major eſt in ipſo*, crudeliùs torquetur. Nam pœna eſt in timore.

Reſl. Diverſis hiſce falſitatibus Hexapliſta nobis vult perſuadere, quòd ille, qui grandi timoris ſtimulo penetratur, ſit incapax moveri aliquâ motione ſpei, & quòd talis timor eum ducat in deſperationem: eapropter abſcidit hæc verba: *parúmque habet de ſpe, fluctuante conſcientiâ inter ſpem & timorem.* Ut eorum loco ſubrogaret ſuggeſtiones erroris ſui.

Ex S. Thomâ,

1. part. q. 19. art. 6. ad 1. *Et ſic patet, quòd quidquid Deus ſimpliciter vult, fit: licét illud, quod antecedenter vult, non fiat.*

Traduct. Hexapl. pag. 198. Quidquid Deus veraciter vult, illud ſemper impletur.

Traduct. Fidel. Itaque evidens eſt, quòd impleatur, quidquid Deus *abſolutè* vult. Quamvis illud, quod antecedenter vult, non ſic impleatur.

Reſp. Falſificatio hujus textûs conſiſtit 1. in hoc, quòd Author Hexapl. inde detraxerit ultima verba, quibus S. Thomas clarè fatetur in Deo voluntatem antecedentem pro ſalute omnium hominum: 2. in hoc, quòd idem Hexapliſta mutaverit terminum *abſolutè*, *ſimpliciter*, in terminum, *verè veraciter*. In quo eò magis inexcuſabilis eſt, quòd alibi pag. 82. terminum *ſimpliciter* diligenter traducat ex latino in gallicum per *abſolutè*. Sic enim habet textus ejusdem S. Thomæ: *qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, licèt voluntas ejus, qui amore juſtitiæ &c.* Hexapliſta ſic vertit. *Nam voluntas* ſe abſtinentis à peccato ex timore pœnæ, non renuntiat *abſolutè* peccato &c.

22. q. 5. art. 2. ad 2. *Dicendum, quòd Fides, quæ eſt donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum ſecundùm aliquem affe-ctum boni, etiamſi ſit informis. Unde fides, quæ eſt in dæmonibus, non eſt donum gratiæ.*

Traduct. Hexapl. pag. 194. Fides, quæ eſt donum gratiæ, inſpirat homini *amorem* ergà Deum, *eo ipſo tempore*, quo fert hominem ad credendum id, quod ipſi revelavit. *Iſte amor ſit major vel minor, ſecundùm quod fides eſt magis vel minùs perfecta.*

Traduct. Fidel. Oportet dicere, quòd Fides, quæ eſt donum gratiæ, ferat hominem ad credendum *per aliquam affectionem*

erga bonum, quamvis ipſa ſit informis: inde venit, quòd fides non ſit donum Dei in dœmonibus.

Reſp. An non ingens differentia eſt, dicere, fidem nos ferre ſeu inclinare per quendam affectum boni ad credendum, & dicere, quòd fides iſta nobis inſpiret amorem erga Deum ipſo momento, ſeu eo ipſo tempore, quo nos inclinat ad credendum? Verùm neceſſe erat taliter variare & falſificare S. Thomam, ut ejus Authoritate ſuaderetur lectori ſimplici & imperito, nullam dari veram fidem, ſi non adſit vera charitas. In hunc finem Hexapliſta etiam diſſimulavit hæc verba, *etiamſi ſit informis*, viciſſim ſubſtituendo alia, quæ non extant in textu; nimirum; *iſte amor ſit major vel minor &c.*

22. q. 108. art. 1. ad 3. *Dicendum, quòd lex Evangelij eſt lex amoris; & ideo illis, qui ex amore bonum operantur, qui ſoli propriè ad Evangelium pertinent, non eſt timor incutiendus per pœnas; ſed ſolùm illis, qui ex amore non moventur ad bonum, qui etſi numero ſint de Eccleſiâ, non tamen merito.*

Traduct. Hexapl. pag. 336. Illi ſoli pertinent ad Evangelium, qui faciunt bonum *ex amore*. Illi qui non ducuntur amore in operando bonum, ſed timore, quamvis *videantur* eſſe de Eccleſiâ, non ſunt *verè* de Eccleſiâ.

Traduct. Fidel. Oportet dicere, quòd lex Evangelij ſit lex amoris. Quapropter non debent timore pœnarum terreri, qui faciunt bonum ex amore, & qui ſoli propriè ſpectant ad Evangelium, ſed tantùm illi, qui non feruntur ad bonum ex amore, qui, tametſi ſint ex *numero* eorum, qui ſunt de Eccleſiâ, non tamen ſunt de Eccleſiâ *modo meritorio*

Reſp. Quamvis non pertineamus propriè ad Evangelium niſi per charitatem, quæ nos reddit viva membra Chriſti, nihilominùs certum eſt, quòd peccatores etiam ad Evangelium ſpectent certo modo; certum eſt inſuper, quòd, licèt peccatores non ſint de Eccleſiâ *modo meritorio*, non tamen ceſſent eſſe de Eccleſiâ & in *numero* filio-

rum ejus; quod quidem à Doctore Angelico tam clarè & expreſsè hîc docetur, ut Hexapliſta coactus fuerit hunc textum penitùs defigurare, donec loqueretur linguâ Quenelli, totúmque proprijs terminis contrarium aſſereret; nimirum: quòd ſoli illi pertineant ad Evangelium, qui bonum operantur ex amore; & quòd peccatores non ſint de Eccleſiâ verè & realiter, ſed duntaxat *ad apparentiam.*

3. part. q. 2. art. 4. ad Corp. *Et ideò omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per conſequens omnis ejus oratio fuit exaudita.*

Traduct. Hexapl. pag. 232. Cùm in Chriſto *nulla* fuerit voluntas, quæ non fuerit Deo conformis, ideo ejus oratio ſemper fuit exaudita à Patre.

Traduct. Fidel. Quapropter omnis voluntas *abſoluta* in Chriſto, etiam humana, fuit adimpleta, quia conformis erat voluntati Dei; unde ſequitur, omnes ejus preces eſſe exauditas.

Reſp. Falſificatio hujus loci conſiſtit in eo, quòd Hexapl. S. Thomam jubeat dicere, *omnem* voluntatem Chriſti fuiſſe impletam: cùm tamen S. Doctor hîc tantùm loquatur de voluntate *abſolutâ* Chriſti: nempe ſic loqui oportebat S. Thomam ad juſtificandam Quenelli propoſitionem, quòd *deſideria Chriſti ſemper fuerint expleta*, & quòd conſequenter nunquam voluerit ſalutem reproborum.

3. part. q. 8. art. 3. ad 2. *Qui verò his ſubduntur peccatis, non ſunt membra Chriſti actualiter, ſed potentialiter: niſi fortè imperfectè per fidem informem, quæ unit Chriſto ſecundùm quid, & non ſimpliciter, ut ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ.* Fides enim ſine operibus mortua eſt, *ut dicitur*, Jacob. 2. *Percipiunt tamen tales à Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere, ſicut ſi membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.*

Traduct. Hexapl. pag. 348. Qui ſe peccato tradunt, nòn ſunt *realiter* membra Chriſti, ſed poſſunt id fieri poſtea.

Digitized by Google

Traduct. Fidel. Qui ſunt ſubjecti his peccatis, non ſunt actualiter membra Chriſti, ſed poſſunt id eſſe; niſi fortè imperfectè per fidem, quæ ipſos unit Chriſto ſuo modo, & non abſolutè, ita ut acquirant vitam gratiæ per Chriſtum: Nam fides mortua eſt ſine operibus, ut dicit S. Jacobus c. 2. nihilominùs illi recipiunt à Chriſto aliquem actum vitæ, qui eſt credere, ſicuti, quando homo movet aliqualiter membrum ſuum mortuum.

Reſp. Vix poſſet clariùs exprimi dogma Orthodoxum, quòd peccatores, qui adhuc fidem habent, ſint etiam adhuc de Eccleſiâ: quâ igitur fronte præſumit Hexapl. textum ſibi tantopere contrarium citare in favorem Quenelli?

Ex S. Bonaventurâ.

Lib. 2. Sent. D. 28. q. 3. conc. *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus conſtitutum cum generali Dei influxu, tametſi difficulter, poteſt tamen facere opus bonum morale, quod non diſponit ad gratiam, nec ad gloriam.*

Traduct. Hexapl. pag. 146. *Nemo poteſt* per liberum ſuum arbitrium & per concurſum Dei, ſine ſuccurſu ſpeciali gratiæ *ullum facere bonum,* ne quidem *morale.*

Traduct. Fidel. Liberum hominis arbitrium, relictum in ſtatu purè naturali, *poteſt facere, quamvis difficulter*, cum generali Dei concurſu opera moraliter bona, quæ *ipſum neque diſponunt ad gratiam, nec ad gloriam.*

Reſp. Placeat, quæſo, legere quæſtionem citatam S. Bonaventuræ. Certò perſuaſus ſum, te poſt attentam ejus Lectionem horrore & ſtomacho plenum fore, intuitu tam effrontis mendacij & palmaris impoſturæ Authoris ſex columnarum. Nemo quippe Doctrinam Eccleſiæ terminis adeò claris, validis & deciſivis unquam expreſſerit, ac Seraphicus Bonaventura in hac quæſtione.

Digitized by Google

Ex Libro de Imitatione J. C.

Lib. 4. cap. 3. v. 14. *Proni enim ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentiâ ſuâ; & niſi ſuccurrat Divina medicina, labitur homo mox ad pejora.*

Traduct. Hexapl. pag. 138. *Omnes* inclinationes hominis feruntur ad malum ab adoleſcentiâ ſuâ; *& ipſe ſe ſemper corrumpet magis ac magis*, ſi divina veſtra aſſiſtentia eum non ſanat.

Traduct. Fidel. Inclinationes hominis feruntur ad malum ab adoleſcentiâ ſuâ; & niſi gratia divina ipſi aſſiſtat, mox cadit in majora mala.

Refl. Satis comprehenditur, Hexapliſtam adjunxiſſe terminum *omnes*, ut evincat, nullam in homine dari motionem, nullum impulſum, quo feratur ad bonum: jam ſæpe facta eſt hæc reflexio.

Lib. 3. cap. 55. v. 3. &c. *Ut ipſa natura, quæ benè & recta à te condita fuit, pro vitio jam & infirmitate corrupta naturæ ponatur; eo quòd motus ejus ſibi relictus ad malum & inferiora trahit. Nam modica vis, quæ remanſit, & tanquam ſcintilla in cinere.... hinc ſæpe multa bona propono, ſed quia gratia deeſt ad adjuvandum infirmitatem meam, ex levi reſiſtentiâ reſilio & deficio. Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnoſco, & qualiter agere debeam, clarè ſatis video; ſed propriæ corruptionis pondere preſſus, ad perfectiora non aſſurgo.*

Traduct. Hexapl. Ipſum nomen naturæ, quam creâſti in innocentiâ & juſtitiâ, jam ſumitur pro vitio, & languore naturæ corruptæ, cùm enim relicta ſit ſibi ipſi, ideo nos pertrahit ad malum.... inde provenit, quòd ſæpe proponam facere multum boni, ſed quia gratia mihi deficit ad ſublevandam meam debilitatem, minimâ occurrente reſiſtentiâ deſiſto à toto, & prolabor in defectionem.

Traduct. Fidel. Adeò, ut nomen naturæ, quam creâſti in juſtitiâ & æquitate, modò ſumatur pro vitio & infirmitate naturæ cor-

Digitized by Google

ruptæ; quoniam ejus motus ſibi ipſi relictus nos pertrahit ad malum & ad res inferiores; *nam illud parum virium, quod reſiduum eſt, inſtar ſcintillæ eſt ſub cinere*: hinc evenit, ut ſæpe mihi proponam aliquid facere multum boni; verùm quia gratia mihi deeſt ad juvandam meam debilitatem, hinc cedo minimæ reſiſtentiæ, & prolabor in defectionem. inde accidit, quòd cognoſcam viam pefectionis, & quòd ſatis clarè videam, quomodo me gerere debeam; at gravatus pondere propriæ corruptionis, *non aſſurgo ad virtutes perfectiores*.

Reſl. Author ſex Columnarum detruncat ab hoc textu verba illa, quæ probant doctrinam catholicam, mentémque Authoris de Imitatione Chriſti explicant. *modica vis quæ remanſit &c.* his formalibus manifeſtè oſtenditur, vires liberi arbitrij non ex toto deſtructas eſſe per peccatum, ſed remanſiſſe nonnullas tametſi modicas. illa verò verba, quæ immediatè ſequuntur textum citatum, clarè demonſtrant, quòd, dum Auctor de Imitatione Chriſti deplorat abſentiam gratiæ, non loquatur de defectu gratiæ ad eſſentialia Religionis noſtræ obſervanda, ſed quòd ſæpè gratia deſit ad altiores praxes perfectionis, ſive ad conſiliorum Evangelicorum adimpletionem.

Sed necdum finis hujus Epiſtolæ, quòd necdum finias tuas quæſtiones. Nam in poſt-ſcripto petis ex me, quare ſecunda editio libri Anti-Hexaplon tam lento & meditabundo greſſu in publicum prodeat? Reſpondeo; quòd promptius ſecundam Anti-Hexaplarum editionem expediviſſem (nam prima editio, quæ tibi ex ſolâ famâ familiaris eſt, arctiſſimo tempore apud Bibliopolam diſparuit) niſi expectâſſem hinc inde pollicitas reſponſiones; Verùm quâcunque demùm impatientiâ laboraverim videndi vel audiendi refutationes illas ab adverſarijs largiter promiſſas, in vanum tamen laboravi; nemo domi: refutatio nulla: requirebam Antagoniſtas inter ignotos & notos, nec tamen certiùs aliquid indagare licuit, quàm quòd factio Quenelli cæteróquin Zeloſiſſima in deprædicando ſummo valore ſuorum operum infimi pre-

tij, inventa ſit minùs habens, duxeritque conſultiùs, **conceptiones** ſuas abortûs inſtar ſuffocare, ne lucem videant tenebroſæ.

Nihil quod me meaque ſcripta ſex Columnarum concerneret, deprehendi in paginis Tribûs Janſenianæ, niſi quod Margonius notat. Hic vir, hic eſt, quem mundus eruditus novit ex effigie ejus perſonatâ, quæ vel Catones ad riſum excitans, Margonium famoſum, ſed malâ utique famâ, celebremque fecit. Ejus hiſtoriam, geſta & acta nemo ignorat ex litteratis: ipſemet pingit vultus ſuos proprio calamo & penicillo, à ſe ipſo effigiatus haud indiget coloribus alienis, ut ſcias defiguratum doctrinâ & moribus.

Itaque Margonius in tertiâ ſuâ Epiſtolâ, ſequendo fideliter genium factionis Quenellizantis, Jeſuitas allatrat. Sicut morbo Icterico ſeu regio laborantes omnia flavedine picta autumant, ſic factioſi Janſenij diſcipuli non niſi nigredinem intuentur, nigros Jeſuitas tanquam omni candore morum & doctrinæ ſpoliatos ubique ſibi repræſentant. Soli Jeſuitæ calamos ſtringunt, ſi Janſenianis credas; pro Bullâ *Unigenitus*. Hi ſoli Molinæ diſcipuli contra novos Diſcipulos S. Auguſtini inſurgunt. Hinc etiam Margonius præſumit, univerſos libros hodie evulgatos contra Quenellum, & à modico tempore contra Janſeniſmum prodeuntes emanâſſe ex Scholâ Societatis, quam vocat *Academiam Controverſiæ Janſenianæ*, conflatam ex quatuor aut quinque Jeſuitis Pariſienſibus, quæ Academia, inquit, ſucceſſerat regimini Patris Telieri, ac factioni Patris Ducini. Mea quoque ſcripta Anti-Hexapla Socius Jeſuita genuit, non Paulus de Lugduno. Sed contra Margonium; ex mandato meorum ſuperiorum, qui audiunt Eccleſiam, & obediunt regulis Indicis Concilij Tridentini, compulſus ſum ſubſignare nomen meum dicto operi; „ at verò, ait Margonius ad Jeſuitas Pariſinos „ Anti-Hexaplon P. „ Pauli Lugdunenſis eſt opus pſeudo-nonymum; paſſim enim ho- „ mines invenitis, qui vobis nomina ſua habent venalia, quoſque du- „ citis, quo vos vultis.

Fateor, non modicum gloriæ & honoris accedit tenui, & quali-

Digitized by Google

cunque meo volumini Anti-Hexaplon, quòd teſtante Margonio tam inſignem tam nobilem ſortiatur originem. Verúmtamen in hoc patitur Veritas & Juſtitia & honor meus; an non injuriam dixerim, quòd impoſtor audiam ſtultâ vanitate diſtentus, ac glorioſus alienis induviis? nihil mihi tam facilè, o viri! nihil tam congruum, amiciſſime frater! quàm Margonium ipſum ſtatuere in medio veſtri, ut temerarium & mendacem; neceſſe non eſt, recurrere ad teſtimonium Epiſcopi Graſſienſis, in cujus conſpectu elucubravi Anti-Hexaplas contra Authorem ſex Columnarum, diſtans nimirum penè ducentis milliaribus à Civitate Lutetiorum: nec etiam fratres meos Capucinos appello, quorum charitativas increpationes non ſemel ſuſtinui, quòd æquo impenſiùs me applicaverim labori accelerando, ipſis coram intuentibus.

Deinde nemo eſt vel mediocriter verſatus in litteris, qui, poſtquam legit Epiſtolas meas inſtructivas, ſecundâ vice cum debitis approbationibus ac privilegiis editas, qui, inquam, non ſtatim advertat ex eodem ſtylo & charactere eundem Authorem, & quod majus eſt, vel in ipſo opere Anti-Hexaplon, quod Margonius pſeudo-nonymum vocat, atque Jeſuitis adſcribit, protinus deprehenditur, me perſæpe deflectere ab Ideis & conceptibus *Authoris Epiſtolarum Abbatis ad Epiſcopum &c.* Qui liber tribuitur Jeſuitæ, ex prætenſâ Academiâ controverſiæ Janſenianæ.

Porrò niſi Margonius foret ex maximè inconſultis ſcriptoribus, nônne & potuiſſet & debuiſſet ex ipſo dato & ſignaturâ Privilegij Regij conjecturare opus Anti-Hexaplon ſecundùm primam editionem multùm temporis ante obitum Regis & prætenſum regimen P. Tellieri elaboratum fuiſſe, & per conſequens prodire haud potuiſſe ex Academiâ imaginariâ Pariſinâ, quam Margonius fingit ſucceſſiſſe regimini P. Tellieri, & factioni P. Ducini. En completum ſcripturæ oraculum; *mentita eſt iniquitas ſibi.*

Videtur omninò, Margonio expectandam fuiſſe eam ipſam confuſionem, quam hîc jure merito patitur; verùm ipſe tam parum

ANTI-HEXAPLÆ

id eſt

Sex Columnæ, contra ſex Columnas Authoris Anonymi ſuper conſtitutione *Unigenitus*, in quibus fit Analyſis,

ſive reſolutio Propoſitionum centum - unius,

PATRIS QUENELLI,

Quas nuper damnavit SS. D. N. Papa

CLEMENS XI.

Authore P. Paulo de Lugduno Capucino &c.

Editio ſecunda, reviſa, emendata & aucta mille textibus S. Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum, qui ex diametro opponuntur dictis propoſitionibus damnatis.

PRIMA PROPOSITIO.

QUid remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia; hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, ad omne opus bonum?

§ I.

Senſus naturalis Propoſitionis.

N*ihil* remanet animæ, quæ Deum amiſit, atque ipſius gratiam *ſanctificantem per peccatum*, niſi ipſum peccatum, & peccati conſecutiones, quales ſunt ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc

eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum, cujuſcunque naturæ, ſive morale, ſive ſupernaturale, *ſive meritorum, ſive demeritorium æternæ gloriæ.*

Statim obſervandum; duas aſſignari ſpecies bonorum operum: dantur actiones bonæ moraliter, & actiones bonæ ſupernaturaliter. Actiones moraliter bonæ ſunt illæ, quæ conformes ſunt legi naturali; hoc eſt; quas recta ratio ſuggerit omni homini; videlicet diligere amicos, honorare parentes, ſolari miſeros. Actiones ſupernaturaliter bonæ ſunt, quæ ultra conformitatem cum lege naturali, & rectâ ratione, inſuper fiunt ex motivo ſupernaturali, ac referuntur ad objectum, per fidem ſupernaturaliter cognitum: videlicet, diligere amicos, quia ſunt dilecti à Deo; honorare parentes, quia tenent vices ipſiuſmet Dei; ſolari miſeros, quia ſunt membra Chriſti. Inter hæc opera ſupernaturaliter bona diſtinguuntur adhuc aliæ duæ ſpecies: quædam enim opera ſunt meritoria gloriæ æternæ, alia quamvis Deo accepta non merentur talem mercedem. hoc poſito:

Veritas eſt de fide deciſa contra Pelagianos, & Semi-Pelegianôs, hominem non valere ullam exercere actionem ſupernaturaliter bonam ſine auxilio gratiæ actualis: & ut ſit meritoria vitæ æternæ, oportere inſuper ultra auxilium actuale hominem eſſe in gratiâ, & charitate habituali, quæ eum reddat filium, & amicum Dei.

Non item in actionibus moraliter bonis. Quamvis omnes Catholici Theologi doceant, voluntatem humanam, per peccatum debilitatam, non poſſe proprijs viribus ſervare totam legem naturalem, nè quidem, juxta nonnullos, unicum præceptum legis naturalis ſine certâ ſpecie gratiæ divinæ. *(a)* nihilominus omnes conveniunt in hoc, quòd homo, orbatus charitate & gratiâ habituali, valeat operari actiones non ſolùm moraliter bonas, verùm etiam actiones ſupernaturales, & utiles ad ſalutem, cum auxilio gratiæ actualis.

Hoc medium tametſi æquum & juſtum non ſapit guſtui Novatorum; volunt hominem ſine charitate & gratia habituali prorſus eſſe

(a) Vide Analyſin propoſitionis 38. 39. & ſeq.

incapacem alicujus boni, cujuſcunque naturæ ſit, & ſic peccatores, multóque magis infideles, peccato infidelitatem nectentes, non poſſe aliud agere quàm peccare; ex hoc ovo excluſum eſt monſtrum illud, ſeu dogma impium Lutheri, impetuosè volentis, omnia opera juſtificationem præcedentia qualiacunque, quocunque modo facta, eſſe vera peccata, odij divini meritoria, adeò, ut quò magis quis laboret ſe diſponere ad gratiam, eò magis & graviùs peccet.

Quomodò fit ergò juxta Novatores hæc juſtificatio peccatoris? Reſpondent, eam fieri in inſtanti abſque ulla diſpoſitione præveniente: *fides eſt prima gratia, & fons omnium gratiarum*, inquit Quenellus. (a) Converſio juxta ipſos eſt prima gratia; & cùm hæc gratia ex naturâ ſuâ ſit lumen intellectûs, & charitas cordis, hinc juſtificat impium à primo inſtanti, quo datur; adeoque Novatores genuinè loquendo, nullum admittunt initium fidei, charitatis, converſionis, aut juſtificationis. Volunt ad primum gratiæ impulſum cor hominis verè & plenè mutatum. Plura teſtimonia hæreticorum noviſſimi temporis hæc comprobarent, ſufficiat tamen unicum, quod tulit Primas inter rigidos Calviniſtas in Hollandiâ.

„ Papiſtæ, ſcribit Franciſcus Gomar (b) duas ſtabiliunt ſpecies con-
„ verſionis; unam quæ ſit plena, & perfecta, alteram quæ ſit initiata, &
„ imperfecta: Converſio plena & perfecta, ajunt Papiſtæ, eſt illa, quâ
„ Dominus operatur converſionem hominis, quod non poteſt dici vera-
„ citer à Deo fieri, niſi quando ab homine auffert cor ſaxeum, ejúſ-
„ que loco dat, & renovat cor carneum. Converſio initiata, & im-
„ perfecta eſt illa juxta ipſos, quâ Deus hominem non totaliter conver-
„ tit ad fidem, & pœnitentiam, ſed ad has ſolummodò præbet initium,
„ hoc eſt, gratias ſufficientes ad fidem, & converſionem.... Verùm
„ hæc diſtinctio converſionis, & novi cordis eſt penitus vana, & ina-
„ nis in hâc materiâ.

Ergò Franciſcus Gomar non agnoſcit juſtificationem initiatam: prætendit primam gratiam, peccatori donatam, juſtificare ſine præve-

(a) Propoſ. 27.

(b) Aſſert. doctr. grat. converſ. tom. 1. pag. 95.

niente diſpoſitione. Bajus datâ dexterâ concordat ad apicem cum Gomariſtis. Operæ pretium eſt, hic afferre ejus teſtimonium; verè enim primus Motor Janſeniſtarum appellari poteſt, quòd plerique ab eo ſuos errores acceperint mutuos.

„Sed & reicienda eſt, inquit Bajus, illa diſtinctio duplicis juſtitiæ; „alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit „ex inſpiratione quidem Spiritûs ſancti, cor ad pœnitentiam excitantis, „ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ „divinæ legis juſtificatio impleatur, ſimiliter reiicitur.„ *Propoſ.* 63.

„Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivifi„catur peccator, dum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propoſitum, & „inchoatio per Dei gratiam inſpiratur; alterius, quâ vivificatur, qui ve„rè juſtificatur, & palmes vivus in Vite Chriſto efficitur, pariter com„mentitia eſt, & ſcripturis minimè congruens. „ *Propoſ.* 64.

En, quàm clarè & deciſivè loquatur; nec tamen inde ſequitur, Novatores non admittere plures Converſionis ſpecies, aut negare contra Catholicos converſionem perfectam, & imperfectam, ſeu initiatam, ſed duntaxat has ſpecies ſumi ab hæreticis in ſenſu diverſiſſimo à ſenſu Catholicorum. Juxta ipſos hæ duæ converſiones ſemper ſunt veræ & perfectæ in ſeipſis, ſempérque concomitatæ cum charitate verâ, & ſincerâ, nec differunt inter ſe, niſi ſecundùm magis & minùs perfectionis, quam habent, ita tamen, ut poſſit accidere, converſionem eſſe tam depreſſi gradûs, ut peccata non ſint deleta. Audiamus adhuc ſemel Bajum in præſens propoſitum.

„Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcien„tiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pæni„tentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.„ *Propoſ.* 31.

„Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjun„cta cum remiſſione peccatorum.„ *Propoſ.* 32.

„Catechumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei ob„ſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem „peccatorum, quæ in baptiſmi lavacro demum percipitur. „ *Propoſ.* 33.

„Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ dam-

Digitized by Google

„ nationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas, etiam perfe„ cta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.„ Propoſ. 70.

„ Per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cum voto „ ſuſcipiendi ſacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra „ caſum neceſſitatis, aut Martyrij, ſine actuali ſuſceptione Sacra„ menti. Propoſ. 71.

Tale eſt igitur ſyſtema Novatorum, quod benè advertendum, ſemperque præ oculis habendum. Plurimùm enim intereſt, hæc prænôſſe, ut profundiùs penetres arcana doctrinæ Quenelli, ac reconditas ejus ſequelas eviſceres.

Prætendunt Novatores, ſine gratiâ Chriſti hominem eſſe incapacem ullius boni exercendi, cujuscunque naturæ ſit; prætendunt converſionem quandam, & juſtificationem peccatoris, quamvis adhuc imperfectam, & ſolùm initiatam reſpectu ad aliam converſionem perfectiorem, aut jam completam, eſſe tamen in ſe ipſa perfectiſſimam, ſinceriſſimam, comitatam vera charitate, quæ auferat à peccatore cor ſaxeum, & ſubſtituat cor carneum, per quod incipiat operari bona opera. Prætendunt tandem, quòd omnia primam gratiam, primam charitatem, primam converſionem, utpote jam veram & ſinceram præcedentia non ſint niſi mera peccata. Sic rem intelligit Quenellus, quando proponit: *Quid remanet animæ, quæ Deum amiſit..... niſi generalis impotentia ad omne opus bonum?* ut probem hunc eſſe verum, naturalem, & obvium ſenſum primæ propoſitionis, ſufficit demonſtrâſſe, alium ſenſum propoſitioni tribui haud poſſe ſine violentiâ manifeſtâ.

I.° Dici nequit, hìc tantùm agi de gratia actuali, non verò habituali, ſive ſanctificante; dici nequit, Quenellum velle duntaxat inſinuare, hominem eſſe generaliter impotentem ad omne opus bonum ſine gratia actuali: evidenter enim patebit, hunc non eſſe ſenſum genuinum propoſitionis, ſi attendatur, quòd gratia, de quâ hìc agitur, ſit illa, quæ per peccatum amittitur, cùm Quenellus non obſcurè afferat, poſt hanc amiſſionem *anima nihil*

Digitized by Google

remanere niſi peccatum, & peccati conſecutiones. Jam verò nemo capit, nemo conceſſerit, hominem privari gratia actuali per peccatum; eſt enim Veritas paſſim nota inter Orhodoxos, quòd (generaliter loquendo) omnis peccator ſufficientes habeat gratias derelinquendi vias ſuas, ſeque convertendi ad Dominum, exceptis quibusdam peccatoribus induratis, de quibus nonnulli Doctores, quamvis exiguo cum fundamento, tenent, ab illis nullas penitus gratias recipi: Deinde nemo propriè dicitur aliquid amittere, niſi id poſſederit; homo juſtus non poſſidet gratiam actualem, cùm ſit auxilium tranſiens, donatum in tempore opportuno; verè autem poſſidet gratiam habitualem, cùm ſit qualitas inhærens, & continuò annexa perſonæ, ac cum illâ permanens: Non ergò de gratia actuali, ſed habituali prima propoſitio loquitur.

2.do Neque hîc dici poteſt, eſſe tantùm quæſtionem de bono ſupernaturali, & meritorio gloriæ æternæ: dici non poteſt, Quenellum velle ſolummodò, peccatorem, qui Deum, atque ipſius gratiam amiſit, eſſe ſegnem, pauperem, & impotentem generaliter ad omne opus bonum, retributione in Cælis dignum. Non enim ejus propoſitio poſſet eſſe univerſalior, nec generaliùs expreſſa; vix majorem vim, & extenſionem admitteret: Dicit Quenellus 1. Nil remanere animæ, quæ Deum, ipſiusque gratiam amiſit, niſi peccatum, ejusque conſecutiones. Particula *niſi* eſt particula excluſiva, à Philoſophis appellata malignantis naturæ, cùm ſit negativa, ſine exceptione deſtruens, & excludens, quidquid reperit poſt ſe, niſi id, quod expreſſè enuntiat in propoſitione. Dicit Quenellus 2. Nil remanere animæ, quæ Deum, ejusque gratiam perdidit, niſi generalem impotentiam; generale eſt illimitatum, quaquaverſum ſe extendens: quaſi Quenello viderentur omnes hæ expreſſiones nimis remiſſæ ad plenè exprimendam ſuam mentem, Superaddit 3. Nil remanere animæ, quæ Deum, ipſiuſque gratiam perdidit niſi impotentiam generalem *ad omne opus bonum;* qui dicit *omne*, nihil

excipit; adeoque ſole meridiano clariùs patet, hanc primam propoſitionem in ſenſu ſuo proprio, & naturali enuntiare, quòd peccator ſit incapax omnis boni, cujuscunque naturæ ſit, & quòd per conſequens omnia ejus opera ſint peccata.

„ At nónne Quenellus, inquit Author Hexapl. nónne fatetur, „ quòd ante juſtificationem, & amorem dominantem homo poſſit ex„ ercere actus Deo gratos? nónne ſtatuit gradus duodecim converſio„ nis, qui ſint quaſi ſacra auriſodina bonorum operum, quam pecca„ tor ingreditur, priuſquam juſtificetur? „ Conceditur Quenellum hæc cuncta concedere: at vice verſâ debet quoque Author Hexapl. ſincerè concedere, P. Quenellum univerſa hæc facillimè poſſe concedere abſque ullo ſuæ doctrinæ periculo. Quid enim reverà eſt juſtificatio illa, amor ille, quibus Quenellus teſtatur præcedere ſacram auriſodinam bonorum operum? eſt juſtificatio conſummata, eſt amor ſupremus, non differens à prima juſtificatione, & amore initiato tanquam principio omnium bonorum operum, niſi in hoc, quòd amor ſupremus ſit ardentior initiato, quòd juſtificatio conſummata ſit perfectior incipiente. *Nihil eſt*, ait tandem Quenellus, (*a*) *quod poſſit cor peccatoris præparare ad charitatem, quàm ipſa charitas.* Et hæc charitas præparatoria, quantumvis remiſſa & debilis, non eſt minùs vera ac ſincera charitas, quàm illa dominans, & ſuprema, quæ quidem eſt fortior charitate præparatoria, & initiata. (*b*)

Paradoxum dixeris hoc ſyſtema Quenellinum, inconceptibile bonis & verſatis Theologis; revera tamen non plus involvit contradictionis, quàm ſyſtema erroneum Baij, volentis, poſſe reperiri in pænitentibus perfectam, ſinceram charitatem, & conſequenter veram converſionem cordis, quin tamen ſint remiſſa peccata. Nihil igitur reſtat, quod juſtum ſuſpendat judicium, videlicet Quenellum prima ſuâ propoſitione ſtabilire dogma hæreticorum noviſſimi temporis, prætendentium, omnes actiones infidelium, & peccatorum eſ-

(*a*) Quenel. Epheſ. c. 3. v. 17.

(*b*) Vide Analyſin prop. 26. 27. 28. 29. præſertim 44. 45. & ſeq. ubi *ſyſtema* Quenelli plenè detegitur.

Digitized by Google

ſe mera peccata. Ipſi de ſe loquantur, audiamus eos, & videamus, utrum Quenellus ſciverit Hæreticos ad apicem imitari.

§. II.

Conformitas propoſitionis damnatæ cum doctrina Hæreticorum.

Art. 16. *Joan Huſſ. damn. in Conc. Conſt.* Nulla dantur opera indifferentia: omnes actiones hominum immediatè dividi debent in actiones virtuoſas, vel vitioſas; ſi enim homo eſt virtuoſus, agit benè: ſi vitioſus, agit malè: Nam *ſicut peccatum corrumpit univerſim omnes actiones hominis vitioſi*, ſic & virtus vivificat omnes actiones hominis virtuoſi.

Luther. ſup. Epiſt. ad Galat. cap. 4. Opera, *quæ fiunt ſine fide, quomodocunque videantur ſancta, peccato, & maledicto ſubjecta ſunt.*

Idem in Geneſ. cap. 8. Si conſideres ſomnium hujus vitæ, quod in terris ducimus, atque larvam externam, ſub qua latent impij, *deprehendes omnes eorum actiones etiam venuſtiſſimas coram Deo nihil eſſe aliud, quàm fœdam idololatriam.*

Calv. lib. inſtit. c. 14. §. 3. Itaque S. Auguſtinus defendit, omnes Fabricios, Scipiones, & Catones in ſuis actionibus *maximè egregijs peccâſſe*; cùm enim fuerint privati *lumine fidei*, actiones ſuas pulcherrimas non retulerunt ad illum finem, ad quem eas referre debuiſſent.

Idem eod. loco 1. §. 5. Sumus perſuaſi, *quod homo ſit exutus omni juſtitia, etiam minutiſſima ejus parte*, uſquedum ex ſola Dei miſericordia *regeneretur* in ſpe vitæ æternæ.

Kemnit. 1. *part. exam. Conc. Trid. pag* 111. Hæ ſententiæ ſcripturarum, quæ nec ambiguæ ſunt neque obſcuræ, evidenter monſtrant, *quòd opera infidelium, quantúmvis pulchra appareant, ſint peccata coram Dei judicio:* non tantùm idcircò,

Digitized by Google

quòd non referantur ad finem, ad quem referri deberent, ſed quia *procedunt à voluntate malâ & peccaminoſa.*

Cham. l. 4. *c.* 10 *n.* 2. Voluntas infidelium mala eſt, *in hoc ſolo*, quòd orbata ſit charitate.

Petrus Mart. in epiſt. ad Rom. cap. 9. *v* 18. illi *qui non ſunt regenerati*, nihil poſſunt facere Deo gratum. *potius*, *ſemper peccant in omnibus ſuis actionibus.*

Bajus propoſ. 20. & 25. Omnes actiones infidelium *ſunt peccata*, & virtutes philoſophorum *ſunt vitia.*

Idem propoſ. 35. Quidquid agit peccator, vel peccati mancipium, *illud peccatum eſt.*

Janſen. tom. 2. *l.* 4. *c.* 3. Sola abſentia fidei ſufficit, *ut univerſa opera infidelium ſint peccata.*

Idem eod. loco. cap 17. Nulla poteſt fieri actio, *cujuſcunque naturæ ſit*, *ſine peccato*, ſi non referatur ad finem, ad quem vera ſapientia vult ut referatur. Id eſt *ad Deum ſummè dilectum propter ipſum Deum.*

Prop. 8. *inter* 31. *damn. ab Alex.* VIII. neceſſe, quòd infidelis peccet *in cunctis ſuis actionibus.*

Prop. 11. *inter eaſd.* Omne, quod non producitur *ex fide* chriſtianâ & ſupernaturali, *quæ per charitatem operatur*, *peccatum eſt.*

§. III.

Probationes Veritatis Catholicæ, quæ opponuntur Propoſitioni damnatæ.

Ex Ratione.

SI homo, qui amiſit Deum, ejúſque gratiam ſanctificantem, eſt in impotentiâ *generali ad omne opus bonum*; ſi ſemel amiſsâ gratiâ aliud agere non poteſt, niſi peccare, ergò homini non eſt ultrà permiſſum ſe ex arbitrio determinare ad ullam actionem cujuscunque na-

turæ ſit; cùm enim talis actus tunc neceſſariò ſit peccaminoſus, nemo ad illum ſe voluntariè abſque crimine determinaverit: conſequenter filius in ſtatu diſgratiæ jam non poterit obedire parentibus; Pater jam non attentaverit caſtigare filios; jam non licebit debitori ſolvere creditorem; jam nemo mortalium perſecutionibus impetitus audebit ſibi providere ne quidem cum moderamine inculpatæ tutelæ; jam oportebit, ut innocens ſe jugulari permittat. Qualis dementia! ampliora accipe. Juxta hoc ſyſtema prohibitum eſt Chriſtiano, conſcientiam peccato mortali læſam gerenti, fundere ad Deum preces ſuas matutinas, & ſerotinas, aſſiſtere ſacris: ne quidem ſuaſeris, nec ipſe peccator præſumpſerit Deum precari pro ſuâ converſione; hæc enim ac generaliter uviverſa alia bona opera ſunt peccatoribus vera,& mera peccata, ſi Quenello credideris. Quis unquam audivit talia? quis vidit unquam Theologiam eouſque impiam, & inſenſatam?

Ex Scripturâ.

Exodi 1. 21. Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.

Ezech. 29. 18. Merces non eſt reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro pro ſervitute, quâ ſervivit mihi adverſùs eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce dabo Nabuchodonoſor regem Babylonis in terra Ægypti &c. *Reſſ.* Dominus non remuneratur peccata, ſed bona opera.

Dan. 7. 24. Quam ob rem, Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime. *Reſſ.* ſecundùm Quenellum propheta hoc loco dedit Regi Nabuchodonoſor peſſimum conſilium; cùm enim hic Monorcha fuerit inſignis peccator, non potuit ex mente Quenelli facere eleemoſynas abſque peccato.

Math. 5. 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Eſtote ergò vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.

Ibid. 7. 9. Quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus pa-

nem, nunquid lapidem porriget ei? aut ſi petierit piſcem, nunquid ſerpentem porriget ei? Si ergò vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? *Reſ.* Diligere nos diligentes, ſalutare amicos, ſunt actiones moraliter bonæ, non enim has ſalutationes & dilectiones condemnat Dominus, ſed nos hortatur ſolummodò, & provocat ad altiorem perfectionem: ſimiliter, dare filijs ſuis data bona & utilia, virtus eſt; cùm Dominus dicat, eam multò magis reperiri in Deo, cùm etiam in malis deprehendatur.

Ex Patribus.

Origen. in Math. Tract. 35. *c.* 26. Eſt bonum, quod facit homo naturali juſtitiâ motus, *non propter Deum*, quomodò faciebant interdum & gentes, & multi faciunt homines. Opus illud oleum eſt vulgare non magni odoris; *& ipſum tamen acceptabile apud Deum.* Sicut Daniel ſignificat, dicens ad Balthaſar Deum non cognoſcentem: *Audi conſilium meum, Rex! & peccata tua* eleemoſynis redime.

Et infrà. Tale aliquid dicit & Petrus apud Clementem: quoniam opera, *quæ fiunt ab infidelibus*, in hoc ſæculo eis *proſunt*, non in illo ad conſequendam vitam æternam: & convenienter, quia nec illi propter Deum faciunt, ſed propter ipſam naturam humanam: *Reſ.* id eſt, *ex motu juſtitiæ naturalis.*

Idem in Num. c. 18. *Homil.* 11. Poterat enim fieri, ut & apud gentiles invenirentur *aliqua opera Deo digna;* excoluerunt enim & inter illos aliqui virtutes animi, & Philoſophia in nonnullis egit aliquantulùm.

Gregor. Nazian. Orat. 19. Ille, *ante etiam quàm ad noſtram caulam ſe contuliſſet*, noſter erat: mores quippe ipſum nobis adſciſcebant. Ut enim multi ex noſtris nobiſcum non ſunt, quos ſcilicet à communi corpore vita removet; ſic econtra multi exterorum ad nos ſpectant, quicunque nimirum fidem *moribus antevertunt*,

ac ſolo nomine carent, *cùm rem ipſam teneant.* Quo in numero meus quoque Pater erat: Ramus quidem alienus, cæterum vitâ, & moribus an nos propendens, ac pudicitiæ quidem laude adeò excelluit, ut idem ſimul amabiliſſimus, & caſtiſſimus eſſet. .... Pro his rebus fidem quoque, ut opinor, præmij loco retulit.

Chriſoſt. in Math. c. 10. *Hom.* 26. Qui prophetam ſuſcipit, non quaſi prophetam, prophetæ quidem mercedem non habet, *aliquam tamen habet.* Hujus rei teſtis eſt Daniel dicens: *Et nunc, Domine Rex! conſilium meum audi &c.* Si ergò Rex Idolorum cultor poterat eleemoſynis peccata redimere; *cui non proſunt eleemoſynæ?* Sed audi myſterium, quod S. Petrus apud Clementem expoſuit: Si fidelis fecerit opus bonum, & hic ei prodeſt, liberans eum à malis, & in illo ſæculo ad percipiendum regnum cæleſte, magis autem ibi, quàm hîc. Si autem infidelis fecerit opus bonum, *hîc ei prodeſt opus ipſius, & hîc reddit ei Deus pro opere ſuo*, in illo autem ſæculo nihil ei prodeſt opus ipſius; Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus ſuum: & juſtè, quia *naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum*: in corpus ſuum accipit mercedem operis ſui, non in animâ ſuâ.

Idem Hom. 67. *ad pop. Antioch.* Nec poteſt malus omninò malus eſſe, ſed evenit, *ut & aliquid habeat boni.* Neque bonus eſſe omninò, ſed et nonnulla ſolet habere peccata. Cùm itaque malus proſperis utitur rebus, ad capitis ſuis perniciem utitur: ut enim *paucorum retributionem bonorum* hîc capiens illic deinde puniatur, hac de cauſa recipit.

S. Hier. in Math. l. 4. *cap.* 25. Intelligimus, etiam gentilium & Philoſophorum bonam vitam *recipere Deum*, & aliter habere eos, qui juſtè, aliter qui injuſtè agunt: & ad comparationem ejus, qui naturali lege ſerviat, condemnari eos, qui ſcriptam legem negligant.

Idem in Ezech. 29. *v.* 18. Ex eo, quòd Nabuchodonoſor

Digitized by Google

mercedem accepit boni operis, intelligimus *etiam Ethnicos*, ſi quid boni fecerint, non *abſque mercede* Dei judicio præteriri.

S. Auguſt. de Spir. & litt. c. 7. & 28. Meritò dici poteſt, *etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ* (Gentiles) facere aliqua legis vel ſapere.

Idem ibid. Impiorum quædam facta vel legimus, vel novimus vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolúm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, *rectéque laudamus*: quanquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniantur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionémve mereantur.

Idem ibid. Sicut non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia; ſine quibus hæc vita non ducitur; ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, *ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

Idem Epiſt. 5. ad Marcel. Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus .... *Cuſtodientes quandam ſui generis probitatem* .... Deus oſtendit in illo imperio, quantùm valerent civiles, *etiam ſine vera Religione*, virtutes.

Idem l. de patien. cap. 26. Si quis non habens charitatem, & in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem &c. Nullo modo iſta culpanda ſunt: imò verò *hæc laudanda patientia eſt.*

Idem l de præd. SS. c. 7. Cornelius vir bonus, antequam crederet: cujus *accepta* ſunt eleemoſynæ, & *exaudita* orationes, *antequam credidiſſet* in Chriſtum.

Idem l. 4 cont. Jul. c. 3. Eſt opus bonum, quod *etiam fit à malis.*

S. Fulg. de incar. & grat c. 56, Aliqua quidem bona, *quæ ad ſocietatis humanæ pertinent æquitatem*, ineſſe poſſunt (infidelibus.) ſed quia non charitate fiunt, prodeſſe non poſſunt.

D. Thom. 1·2. q. 109. a. 8. c. Antequam hominis ratio, in

Digitized by Google

qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, *poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundùm aliquod tempus;* quia non eſt neceſſe, ut continuò peccet in actu: ſed quòd diu maneat abſque ullo peccato mortali, eſſe non poteſt.

Idem 2. 2. *q.* 10 *a.* 4. *c* Tam-etſi infideles divinâ gratiâ careant; quia tamen ex infidelitate *non corrumpitur totum naturæ bonum*, poſſunt aliquid boni operari, quanquam id non ſit meritorium vitæ æternæ.... Unde non oportet, *quòd in omni ſuo opere peccent.*

Idem l. 3. *cont. Gent. c.* 106. Etſi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari peccator poſſit abſtinere *propria poteſtate*, ſi tamen diu relinquitur, in peccatum cadet, per quod impedimentum gratiæ præſtatur.

Idem ibid. Præterea licèt ille, qui eſt in peccato, non habeat hoc in propria poteſtate, quód omnino vitet peccatum; habet tamen *poteſtatem nunc vitare hoc vel illud peccatum.* Unde quodcunque committit, voluntariè committit; & ita non immeritò ei reputatur ad culpam.

D. Bonav. l. 2. *diſt.* 41. *dub.* 2. Dicendum, *quòd infideles non peccant in omni ſua actione*: Nam quando eorum actio non repugnat fidei, nec bonis moribus, non eſt ratio aliqua, quare in ea debeat eſſe peccatum.

Idem l. 4. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 3. *c.* Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, & quamvis *ſine fide poſſit quis in aliquo actu vitare peccatum*, quia non agit malum; tamen impoſſibile eſt mereri præmium. Unde ſicut aliter eſt apud infideles continentia, & aliter apud fideles; quia fideles per pudicitiam evitant pœnam, & acquirunt palmam: Illi verò, *etſi vitent pœnam*, non tamen acquirunt palmam.

Idem l. 4. *diſt.* 15. *q.* 6. *c.* Dicendum, quòd hujusmodi bona opera extra charitatem facta, quando bona fiunt intentione, *valent ad multa*: ad temporalis pœnæ diminutionem: *Nonne vidiſti Achab coram me humiliatum? idcircò &c.* Ad temporalium multiplicationem; *Si volueritis & audieritis, bona terræ*

comedetis: Ad gratiæ multiplicationem: ſicut Raab invenit gratiam propter opera, quæ fecit nuntijs. Ad bonæ vitæ aſſuefactionem: *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum &c.* Ad peccati reſiſtentiam, quia peccatum trahit ſuo pondere ad aliud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccato.* Ad tolerabiliorem pænam æternam, ſicut dicit Auguſtinus..... Ex conſequenti, quia impediunt culpam factam aggravari, & etiam trahunt hominem à peccati frequentia, & ab intentione libidinis, & contemptûs, quia non ex tanta libidine peccat, qui aliquando bona facit, ſicut qui Dei oblivifcitur.

Idem l. 2. diſt. 27. a. 2. quæſt. 2. c. Peccator per bona opera in genere, facta *extra charitatem*, meretur *de congruo* primam gratiam: ibi eſt enim quædam congruitas, quia facit, quod in ſe eſt; Non eſt tamen condignitas, quia inimicus Dei eſt, & indignus pane, quo veſcitur.

Idem. l. 3. d. 34. part. 2. a. 1. q. 2. ad 1. Licèt autem voluntas ſit per peccatum deformata, & *regnet in ea malus amor*; poteſt tamen aliquando moveri ad aliqua bona opera in genere, vel ex circumſtantia per aliquam gratiam gratìs datam, non committendo culpam: ſicut patet per multa exempla.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* Cùm juxta S. Evangelium arbor mala non poſſit producere fructum bonum: ergò malus homo nequit proferre actiones bonas, ſed cuncta ejus opera ſunt peccata.

Reſp. Si verum eſſet in ſenſu Novatorum, quòd arbor mala nequeat producere fructus bonos, ſequeretur ex eadem ratione, arborem bonam non poſſe proferre fructus malos, nec juſtos poſſe unquam committere minimum peccatum: ergò dicendum eſt cum. S. Bonaventurâ, (a) malam arborem, id eſt, malum Chriſtianum non poſſe face-

(a) Lib. 2. diſt. 41. dub. 2.

re fructus dignos vitæ æternæ; vel peccatorem, in quantum peccator eſt, non poſſe benè agere, & ſi quando nonnullas bonas actiones exerceat, id non fieri ex malo, quod in eo habitat, ſed ex bono, quod poſt peccatum in illo remanſerat, nimirum ex fide, ſpe, ratione, æquitate, & juſtitiâ naturali.

2. *Object.* Dicunt Patres Eccleſiæ, omnes actiones infidelium, & peccatorum eſſe peccata, omnéſque eorum virtutes eſſe vitia; ergò verum manet, *quòd anima, quæ Deum ipſiúſque gratiam amiſit, nihil remaneat niſi generalis impotentia ad omne opus bonum.*

Reſp. Ex univerſis locis hucuſque citatis & poſthac citandis colligitur, niſi ſponte cæcutias, Patres agnoviſſe in infidelibus, aut peccatoribus quaſdam operationes moraliter bonas; quando igitur in aliis locis SS. Patres videntur contrarium loqui, favorabiliter ſunt explicandi: Hoc eſt, oportet intelligere verbum illud *omne*, prout ſæpè in ſcripturis ipſis intelligendum eſt, dum V. G. dicitur; *omnis caro corruperat viam ſuam*; id eſt: fermè omnis caro: *Noe autem invenit gratiam coram Deo.*

3. *Object.* S. Auguſtinus expreſſè docet, actiones infidelium eſſe vera peccata, ne quidem excipit eorum eleemoſynas, aliaque hujuſmodi opera bona: addit, neminem niſi impium aſſeverare contrarium. Quid magis deciſivum, & favorabile pro cauſa Quenelli?

Reſp. Dudum eſt, cùm S. Thomas ad hunc S. Auguſtini locum reſpondit, quo tamen textu S. Auguſtini Author Hexapl. magnopere gloriatur. Audiamus S. Doctoris reſponſum ex proprio ejus ore & calamo, quæ reſponſio pluribus hujuſmodi objectionibus applicabilis eſt. 2. 2. q. 23. a. 7. ad 3. "Verum eſt, inquit, quòd omnes actiones infidelium, „in quantum ſunt infideles, ſint vera peccata, hoc eſt, in quantum „ſuas actiones referunt ad finem, & objectum ſuæ infidelitatis: Sic „Ethnicus, qui multum jejunat, qui ſe macerat in cultum ſui „Idoli, ſic Mahometanus, qui longas, & laborioſas peregrinationes „inſtituit Mekam ad tumbam ſui prophetæ, qui vino abſtinet, ut obediat „falſæ ſuæ ſectæ &c. talis Ethnicus, talis Mahometanus in his actio-„nibus verè peccant: unus enim eas reffert ad cultum falſi Dei, alter

„ ad honorem falſi prophetæ. Pariter, „ proſequiturS. Doctor, „ cùm „ peccator facit quædam opera bona, in ordine ad id, per quod caret „ charitate, eaque refert ad ſuas paſſiones, verè peccat. „

„ Quapropter, „ addit idemS.Thomas, „ avarorum prudentia in „ inquirendis, & excogitandis diverſis medijs ſe ditandi; avarorum „ juſtitia, quâ abſtinent à rapinâ bonorum proximi ex metu majoris „ damni, avarorum temperantia, quâ refrænant luxuriam, utpotè paſ- „ ſionem immodicè magnificam & prodigam; omnes hæ virtutes, in- „ quit, ſunt vera peccata: Non niſi impius contrarium dicet: „ ſed & non niſi inſenſatus & ſtolidus affirmabit, omnes actiones infidelium, & peccatorum, quæ fiunt ex inſtinctu rationis, juſtitiæ, & æquitatis naturalis eſſe peccata: non niſi mente, aut malitiâ captus pernegabit, talia opera eſſe moraliter bona, ac veriſſimè laude digna.

Complures ſupereſſent objectiones, ad quas reſpondebimus in Analyſi earum propoſitionum, quæ huic affines ſunt.

§. V.

Qualificatio hujus Propoſitionis damnatæ.

FActis deſuper debitis Reflexionibus nemo dubitaverit primam propoſitionem eſſe falſam, ſcandaloſam, hæreticam, ſæpius damnatam.

1. Hæc propoſitio falſa eſt, quòd indubitatum ſit, animæ, quæ Deum, ipſiúſque gratiam amiſit per peccatum, remanere plura, quæ nec peccata, nec conſecutiones peccati ſunt, videlicet ratio, libertas, virtutes morales, quædam virtutes infuſæ etiam ſupernaturales, fides ſcilicet & ſpes: Item falſiſſimum ex rationibus allatis, impotentiam generalem ad omne opus bonum eſſe conſecutionem peccati.

2. Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, quòd deterreat peccatorem à praxi bonorum operum, & obſervantiâ mandatorum Dei, quódque nata ſit ad ſuadendam maximè effrænem vivendi licentiam; quòd promoveat ad deſperationem, & finalem impænitentiam. Dicet enim

peccator, quandòquidem amiſſo Deo, ejúſque gratiâ ſim in impotentiâ generali ad omne opus bonum; ſi, quidquid agam, adiicio peccatum ſuper peccatum, quid ultrà me ipſum vexo? quid inutiliter turbor? peccatum pro peccato ſeligam, ad guſtum, ad ſenſum delicioſè peccabo. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant; (a) nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra; ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors: neceſſitas peccandi, cui ſumus expoſiti, neſcit legem, nec meliorem carpit viam, quám latam, & ſpatioſam.

3. Hæc propoſitio eſt hæretica, vel ſaltem hæreſi proxima: Eſt enim dogma fidei ſcripturis fundatum, traditione munitum, Eccleſiæ deciſione cautum, quòd infideles & peccatores plura faciant bona opera, non modò moraliter bona, ſed etiam ſalutaria, Deo grata & accepta ante reconciliationem, quamvis non meritoria.

4. Hæc propoſitio eſt jam pluries damnata, nimirum à Concilio Conſtantienſe, Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. & Concilio Tridentino. (b) *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quâcunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata vel odium Dei mereri; aut quanto vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare: Anathema ſit.*

§ VI.

Alij errores in primâ damnatâ propoſitione incluſi.

HÆc propoſitio involvit inſuper tres palpabiles errores Anathemate infames in ſeſſione ſextâ Concilij Tridentini *can.* 5. 6. 28.

1. Sequitur ex hac propoſitione neceſſariò, poſt peccatum Adæ liberum hominis arbitrium totaliter deſtructum eſſe. Verum quidem eſt, Quenellum hîc expreſsè non loqui de peccato Adami, ſed de

(a) Sap. 2.

(b) Seſſ. 6, can. 7.

animâ, quæ Deum, ipſiúſque gratiam amiſit; eſt etiam de fide, hominem per peccatum originale Deum, ipſiúſque gratiam amiſiſſe. Jam verò hæc anima, quæ Deum perdidit, ipſiúſque gratiam, eſt juxta Quenellum in impotentiâ generali ad laborem, ad orationem, ad omne opus bonum, cujuſcúnque naturæ ſit: igitur ſuam amiſit libertatem, cùm ex proprijs viribus nihil penitus operari valeat.

2. Sequitur ex hâc propoſitione, non eſſe in poteſtate hominis, reddere vias ſuas bonas aut malas, ſed hominem ferri ad malum neceſſitate inevitabili; quomodò enim anima hanc poteſtatem habeat, ſi ſit, juxta Quenellum, in impotentiâ generali ad omne bonum cujuſcúnque naturæ? ſi aliter operari nequeat niſi peccando?

3. Sequitur etiam ex hâc propoſitione, hominem perdendo Deum & gratiam, ſimul quoque perdere fidem. *Quid remanet animæ, quæ Deum, ipſiúſque gratiam amiſit*, inquit Quenellus, *niſi peccatum & peccati conſecutiones?* particula *niſi*, ut jam advertimus, excludit omne, nihílque eximit; ergò excludit habitum fidei: dein ſi hæc anima poſt jacturam Dei & gratiæ langueſcit in impotentiâ generali ad omne opus bonum, ergò in illa jam nullum reperitur principium ad verum & genuinum bonum, cùm tamen *fides* ſit tale principium, utpote emolumentum omnium maximum remanens peccatori, ut poſſit cum Deo redire in gratiam.

4. Sequitur ex hâc propoſitione, fideles perſæpè & præcisè propter commiſſum peccatum mortale, aut amiſſam gratiam eſſe omninò impotentes ad pænitentiam, eò quòd careant exinde omni penitùs gratiâ actuali: quæ ſequela eſt prorſus contraria doctrinæ Eccleſiæ & Scripturarum, millies provocantium ad pœnitentiam.

PROPOSITIO SECUNDA.

Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujúſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum, abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

§ I.

Senſus naturalis propoſitionis.

OMnis gratia ex Chriſto eſt principium efficax boni cujuſcúnque generis : Hæc gratia neceſſaria eſt ad omne opus bonum, ſine hâc *gratiâ efficace, quæ ſemper ſortitur ſuum effectum*, non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt

Jam annotavimus in Analyſi præcedentis propoſitionis duas gratiæ ſpecies, gratiam nimirum ſanctificantem, ſeu habitualem, quæ nos reddit filios & amicos Dei, ſine quâ non datur meritum; & gratiam actualem, quæ nos actualiter juvat ad faciendum bonum à Deo exquiſitum. Sed præterea notandum eſt, duas aſſignari ſpecies gratiæ actualis; quarum unam apellamus efficacem, alteram ſufficientem : Sufficiens eſt illa, quæ tribuit verum, & relativum poſſe ad faciendum bonum, quæque veraciter illud ponit in noſtras manus, ita ut veraciter à nobis dependeat, illud opus bonum executioni mandare mediante hâc gratiâ; quamvis ſuo effectu careat, pro quo donata eſt, ex impedimento ſe tenente ex parte noſtri, quòd motioni gratiæ reſiſtamus: Econtra gratia efficax eſt ea, cui non reſiſtimus, quæque effectum, pro quo datur, feliciter producit.

Omnes Catholici concordant circa exiſtentiam utriúſque gratiæ: omnes conveniunt, quòd, quemadmodum de fide eſt, dari gratias, quas effectus ſequitur, ſic de fide ſit, dari alias abſque ſuis effectibus, & hoc præcisè ex reſiſtentia voluntatis humanæ. Hæretici veteres, & moderni non ſunt hujus ſententiæ : gratia ſufficiens ſecundùm ipſos monſtrum, & chimera eſt, quæ nullum habet eſſe, niſi in intellectu Pelagianorum, & Moliniſtarum. Poſt lapſum primi Parentis, ajunt, omnis gratia eſt neceſſariò efficax; ita quidem, ut, ſi non ſervamus mandata, ſi damnamur, hoc præcisè non ſit, quòd non voluerimus mandata ſervare aut ſalvari; ſed quòd Deus non conceſſerit gratias neceſſa-

rias ad velle & poſſe ea ſervare. Tale dogma propugnat Quenellus in hâc propoſitione, quâ dicit: *Jeſu Chriſti gratia eſt principium efficax boni cujuſcúnque generis.*

Difficile non eſt demonſtrare, hanc eſſe mentem, & genuinam ſententiam Quenelli, ſi obſervetur omnem propoſitionem *indefinitam* in materia dogmatica ſemper eſſe generalem: dico in materia dogmatica; ſi enim quæſtio ſit de materia hiſtorica, propoſitio non ſemper eſt generalis: in exemplo; quando Evangelium dicit, milites poſuiſſe coronam de ſpinis ſuper caput Salvatoris, non debet intelligi, omnes milites prætorij ad hanc actionem concurriſſe, ſed tantùm quoſdam inter illos: Econtra cùm Propheta Job teſtatur, *hominem naſci ad laborem*, certum eſt, hoc intelligi de omni homine cujuſcúnque conditionis; in priore enim ſcriptura agitur de facto hiſtorico, in poſteriore de dogmate. Cùm itaque propoſitio Quenelli ſit dogmatica, omnes conceſſerint, eam eſſe generalem, ac ſub his verbis, *Jeſu Chriſti gratia principium efficax*, intelligi omnes gratias ex Chriſto ſine exceptione.

Non contradicit Author Hexaplarum ſenſui, quem attribuimus primis terminis mox dictæ propoſitionis Quenelli: tantummodò tergiverſatur contra ſenſum, quo ſumimus hæc verba, *principium efficax*, nolens per ea ſignificari veram gratiam efficacem, ſed tantùm *cauſam efficientem.* Audiamus, quomodo hic Author loquentem inducat Epiſcopum Meldenſem Dominum Boſſuetum, vel potiùs quomodò ipſemet loquatur; non enim attribuendum ſacerdoti illi Magno volumen, quod ante mortem ſuam rejecit, voluitque ſupprimi. *(a)*

„ Gratia, inquit Author Hexapl. appellatur *principium efficax*, non „ in eo ſenſu, quo ſic appellatur illa gratia efficax, quæ habet ſuum „ effectum: non annexa eſt eadem idea huic termino *principium efficax*, „ quæ annexa eſt propriè dictæ gratiæ efficaci, poſſetque dici, omnes gra- „ tias, quemadmodum omnia ſacramenta, eſſe *principium efficax*, idcircò, „ quòd omnes effectus in ſua virtute contineant. „

(a) Epiſt. quart. inſtr. q. 2.

Sed quâ authoritate, quâ ratione ſat convincente probat Author Hex. hunc eſſe ſenſum genuinum illius termini *principium efficax*? Num forſan tenemur Authori complacere, ſumendo ad ejus placitum terminos propoſitionis in ſenſu alieno ab illo ſenſu, qui naturaliter & obviè ſe præſentat intellectui juxta uſum ordinarium eos intelligendi? quis vel modicâ Theologiâ imbutus ignorat terminum *efficax*, junctum termino *gratiæ* ſpecialem ſemper fuiſſe & eſſe terminum, ad hoc conſecratum & inſtitutum, ut ſignificet gratiam, quæ ſuum habet effectum, ad diſtinctionem illius gratiæ, quæ caret effectu, diciturque purè ſufficiens? Verum eſt, quòd ſi Quenellus, ejúsque ſynagoga ſe præbuiſſet docilem, ſequendo mentem, & monita defuncti Domini Boſſueti; ſi appoſuiſſet Reflexionibus ſuis centum viginti quaterniones, prout neceſſarium judicavit Altefatus Epiſcopus, ſi ibidem ſufficienter ſe explicâſſet, ſepoſitâ æquivocatione, circa exiſtentiam gratiæ ſufficientis, verum eſt, inquam, quòd favorabiliter interpretari potuiſſemus ejus verba, *principium efficax boni cujuſcúnque generis*; cùm verò ex adverſo toties ſe declaraverit, & quidem terminis adeò claris, & expreſſis contra exiſtentiam gratiæ ſufficientis, non poterit ſine caligine intellectûs ejus propoſitioni alius aſſignari ſenſus, quàm ille, qui fluenter ſe inſinuat prudenti judicio legentis ex naturali terminorum ſignificatione.

Hic effundit Author Hexapl. omnem iram ſuam: totus in fermento eſt: ſolvitur in opprobria, & injurias; Audiamus tantiſper bilim ſuam evomentem. „ Improperant, inquit, *(a)* Quenello, quaſi nullam „ admittat aliam gratiam, quàm ſemper efficacem .... Millenis vicibus „ ſeſe juſtificavit Quenellus contra inanes hujusmodi accuſationes, nec „ tamen auditur. Surdis loquitur .... etiam impoſterum defendet ſe- „ ipſum, & quidem eo candore, qui rubore confundet inimicos Verita- „ tis, ſi tamen necdum exuerunt omnem verecundiam & pudorem: „ nihil adeò efficax ad demonſtrandum calumniæ ſpiritum, quo agi- „ tantur ejus inimici, quàm numeroſus apparatus textuum, qui

(a) pag. 161. col. 5.

Digitized by Google

„ compilantur, quique oſtendunt ad oculum, Quenellum admittere gra-
„ tias debiles, initia gratiarum, non ſemper converſionem operantium,
„ nec ſemper effectum debitum aſſequentium, quæque in corde re-
„ manent infructuoſæ & ſteriles propter ejus corruptionem. „

Itaque audaciſſimus Author Hexapl. ſibi aliiſque promittit, confuſione replere vultus omnium ſibi contradicentium, & de calumnia convictos indigitare omnes Epiſcopos Catholicos, ipſum Supremum Pontificem, totámque Eccleſiam Dei. Quid verò efficaciùs, ut ipſum arguas de mendacio, & impoſtura, quàm explicationes tam æquivocæ, & captioſæ? unde enim tandem provenit, debiles gratias, & initia gratiarum debitum effectum non attingere, ſterileſque in corde otiari? Author Hexaplarum ipſemet cauſam hujus ſterilitatis inſinuat: ſollicitè auſcultemus: *Remanent ſteriles*, inquit, *propter cordis corruptionem.* Ideſt, idcircò remanent ſteriles, quòd illæ gratiæ non ſint ſatis fortes vincendæ cupiditati dominanti, *propter nimiam inæqualitatem*, ait Janſenius (*a*) & quòd Deus ex juſto ſuo judicio non eas concedat cum vera & ſincera intentione convertendi peccatorem, vel conſervandi in perſeverantia juſtum; ſed ſolummodò excitandi in corde debilia quædam deſideria, ac motus leves, & languidos: Siccine loquens, & ſentiens agnoſcit gratias verè ſufficientes? nónne potius ſic Eccleſia, & Religio luditur ſimulando, ſe amplecti in oſculo ſancto Doctrinam, quam averſantur?

Quis verò patentiùs convincat Quenellum, quòd nunquam admiſerit gratias verè ſufficientes, quàm Author Hexaplarum, ſtudioſus Quenelli interpres, ſi non Quenellus ipſe? Sic enim proſequitur. (*b*) „ Hi recenter creati Doctores (intellige Moliniſtas)
„ elevaverunt vires humanæ voluntatis duobus modis: primò ex-
„ altando ejus vires, quibus fruitur ex beneficio naturæ; ſe-
„ cundò voluntatem aſſecurando de gratia nunquam deficiente, cùm
„ tenetur implere quaſdam obligationes ordinis ſupernaturalis ....
„ Quoad debita ordinis ſupernaturalis verum eſt, eos admiſiſſe neceſſi-

(*a*) L. 3. de grat. Chri. c 13.

(*b*) Author Hex. p. 117. col. 4.

„ tatem gratiæ . . . . . ſed ita temperare ſtudebant hanc neceſſitatem ; „ ut omninò tollerent in præjudicium Veritatis : cùm enim una ex „ parte conceſſerint ſine gratiâ nihil fieri poſſe, quod juſta proportio- „ ne mereatur ſalutem & vitam æternam ; econtra ex altera parte vo- „ luerunt, hanc gratiam nunquam deeſſe, vel ſi deeſſet, neminem te- „ neri implere obligationes ſupernaturales, ... cùm igitur obliga- „ tio implendi præcepta non ſeparetur à gratia neceſſaria ad ea im- „ plenda, ideò fluit neceſſaria conſequentia, voluntatem humanam „ nunquam eſſe extra actualem languorem, & debilitatem reſpectu „ incumbentium obligationum. . . . . En avia, & devia, in quibus „ circumerrat humanum ingenium ſectando inania ratiocinia, & ſpe- „ culationes volatiles. „

Poſt declarationem tam formalem, & explicitam quis non at- tonitus hæreat intuitu audaciſſimi Authoris Hexapl. de calumniâ, & impudentiâ arguentis eos, qui dicunt, Quenellum negare gratiam ſuf- ficientem omnibus datam ad ſervanda mandata, dum ipſemet Author eodem momento tanto fermento invehitur in Theologos gratiam ſufficientem agnoſcentes? quid ingenuos magis exaſperet, quàm ma- la fides, & inſincera methodus procedendi Novatorum?

Ne igitur quis nos ſeducat *numeroſo apparatu textuum*, quos compilator hic infidelis congeſſit, ut probaret Quenellum admi- ſiſſe gratias ſufficientes : jam nemini hæſitare liceat, has eſſe ambages captioſas, & æquivocas arte textas ad evitandas Eccleſiæ cenſuras, & dementandas ſimplices animas. Quamdiu Quenellus non conceſſerit gratias ſufficientes ſatis fortes ſuperandæ cupiditati dominanti, ſatis abundas ad plenam, & relativam potentiam faciendi bonum, quod Deus jubet, tamdiu nunquam diſtinguendus eſt à cæteris ſectarijs, gra- tiam ſufficientem omnibus conceſſam negantibus, ac ſolam efficacem aſſerentibus.

§ II.

§. II.

Conformitas Propoſitionis damnatæ cum doctrinâ Hæreticorum.

Calvin. antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. §. porrò. Impulſus Spiritus ſancti eſt ita efficax, *ut ſemper producat fidem.*

Idem l. 5. cont. Pigh. p. 183. Nego, quòd gràtia tali modo nobis offeratur, *ut poſtmodum ſit in noſtrâ electione illi obediendi, vel reſiſtendi*: nego, eam nobis ſolùm dari, ut adjuvet ad operandum bonum: quippe Apoſtolus S. Paulus non dicit, quòd Deus operetur in nobis, ut nos poſſimus velle; ſed quòd operetur in nobis, ut nos velimus in effectu.

Kemnit. in exam. Conc. Trid. ſeſſ 6. can. 4. 5. Præcepta non dantur invanùm, tametſi liberum arbitrium nihil poſſit facere ſine gratia neceſſitante, quæ donatur ſolis electis.

Janſen. tom. 3. *lib.* 3. *c.* 1. Poſt lapſum Adami *nullum amplius datur auxilium verè ſufficiens, quod non ſit ſimul efficax.* Hæc gratia ſufficiens eſt inutilis ad ſublevandum eos, qui prolapſi ſunt; etiamſi augeretur uſque ad ſexcentos gradus ſufficientiæ, non tamen ſervit niſi ad multiplicanda peccata, & ad augmentum noſtræ damnationis.

Idem eod. loco. cap. 5. Itaque dicimus, *quòd hac gratia ſufficiens* ad faciendum id, quod nobis præceptum eſt, *frequenter denegetur* non ſolùm Judæis, ſed etiam Chriſtianis; non ſolùm hominibus carnalibus, *ſed etiam ſpiritualibus*; ita quidem, *ut non habeatur hujuſmodi gratia ſufficiens orandi*, quâ poſſit obtineri gratia neceſſaria, ad faciendum id, quod mandavit Deus.

Idem eod. loco. cap. 27. Quicunque nititur in hominibus ſtatuere alia auxilia gratiæ, *quæ poſſint dimittere, ſi velint, in quibus poſſint perſeverare, ſi velint, cum quibus tanquam auxiliјs ſufficientibus faciant bonum, ſi velint*; imprudens hujuſmodi ho-

Digitized by Google

mo nihil aliud agit, quàm negare venenum peccati originalis, atque inde probat, vires liberi arbitrij tali peccato non fuiſſe læſas; Chriſtum veniſſe in mundum ac mortuum eſſe abſque neceſſitate.

§. III.

Probationes Veritatis Catholicæ, quæ opponitur propoſitioni damnatæ.

Ex Ratione.

SI nulla exiſtat gratia ſufficiens, ſi gratia, ad omnem actionem bonam neceſſaria, ſemper ſit efficax, neceſſariò ſequitur, nos ſemper facere bonum illud, quod Deus vult, nec unquam facere malum, quod Deus non vult. Profectò, ſi Deus velit nos facere bonum, & nolit nos facere malum, dabit quoque auxilium neceſſarium ad exercendum quod vult, & ad evitandum, quod non vult. Quando igitur neceſſarium illud adjutorium retrahit, ſignum eſt evidens, quòd bonum nolit, & malum velit: nemo enim unquam ſenſatè dixerit, hominem verè aliquid deſiderare, ſi non arripiat media neceſſaria, ſine quibus impoſſibile eſt aliquid fieri: adeóque cùm deterrima committimus ſcelera, cùm totum violamus Decalogum, nihil contra voluntatem Dei committimus. Quàm abſurda ſequela! ſed quantumvis abſurda, verè tamen, & neceſſariò fluit ex propoſitione Queuelli.

Ex Scripturâ.

Prov. 1. 26. *Vocavi*, & renuiſtis: *Extendi manum meam* & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.

Sap. 12. 20. Si enim inimicos ſervorum tuorum, & debitos morti cum tantâ cruciâſti attentione, & liberâſti, dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitiâ; *cum quantâ diligentiâ* judicâſti filios tuos?

Eccl. 15. 11. Non dixeris: *per Deum abeſt.* (id eſt; auxilium mihi deficit)

Digitized by Google

Idem 51. 31. Appropiate ad me indocti, & congregate vos ad domum diſciplinæ.... Comparate vobis ſine argento, & collum veſtrum ſubijcite jugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam: *in proximo eſt enim invenire eam.*

Math. 22 3. Miſit vocare invitatos ad nuptias, *& nolebant venire.*

Ibid. 11. 21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida! quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, *quæ facta ſunt in vobis*, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.

2. *Cor.* 6. 1. Exhortamur vos, ne *in vacuum* gratiam Dei recipiatis.

Apoc. 3. 20. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: *ſi quis audierit* vocem meam, & aperuerit mihi ganuam, intrabo ad illum.

Ex Patribus.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. *c.* 11. Deus *nunquam gratiâ ſuâ* ſemel juſtificatos *deſerit.*

Id. ibid. c. 13. In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim, *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.

Arauſ. 2.dum. *can* 25. Deus nos inſpirat, ut & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus: & poſt baptiſmum cum ipſius adjutorio ea, quæ ipſi ſunt placita, *implere poſſimus.*

Senon. can. 15. Neque tamen tantæ gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa *ſemper in promptu ſit, & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet:* cui ſi quis aperuerit, intrabit ad illum, & cænabit cum illo.

Colon. A.° 1536. *part.* 7. *c.* 32. Quanquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem: attamen nemo hic excuſationem prætexat, quòd non trahatur: *eò quòd ille ſemper ſtet ante*

Digitized by Google

oſtium pulſans, nimirum per internum, & *externum* verbum commonens, ut convertamur à viâ noſtrâ peſſimâ.

Clem. Rom. Ep. 3. *de offic. Sacerd.* Ab initio duo regna ſtatuit Deus; *& poteſtatem dedit unicuique hominum*, ut illius regni fiat portio, cui ſe ad obediendum ipſe ſubjecerit.

Dion. Areop. l. de cal. Hier. c. 9. Infinitum divini luminis pelagus *ſemper paratum eſt*, & patet *omnibus* ad participandum.

Juſtin. Dial. cum Tryph. adv. Jud. in fine. Itaque ſi omnes, qui miſericordiam à Deo conſequi volunt, ſuperioris vitæ pœniteat, *id præſtare poſſunt.*

Clem. Alex. l. 7. *Strom.* In ſtadio decertant Athletæ, & ex his utique ſuperat, qui Aliptæ paruerit: Omnibus enim omnia à Deo poſita ſunt *æqualia*, & ipſe alienus à reprehenſione. Miſericordiam autem conſequitur is, qui potens eſt; & potens eſt, *qui voluerit.*

Cypr. l. 4. *Ep.* 7. Si dies omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari, & æquali lumine diffunditur: quantò magis Chriſtus, Sol & Dies verus in Eccleſiâ ſuâ, lumen vitæ æternæ *pari æqualitate* largitur.

Hilar. l. 1. *de Trin.* Eſſe filios Dei, non neceſſitatem eſſe, ſed poteſtatem, quia propoſito *univerſis* Dei munere non natura gignentium afferat, ſed *voluntas* præmium conſequatur.

Ambr. ſerm. 8. *in pſalm.* 118. Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum, *generali beneficio ipſe ſe fraudat*, ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat.

Chriſoſt. Hom. 7. *in Joan.* Illuminat omnem hominem. l., illuminat profectò, quantùm in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſuâ mentis oculos conniventes, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt; non ex luminis naturâ in tenebris perſtiterunt, *ſed ex malitiâ ſuâ*, qui *ſponte* tanto ſe dono indignos reddiderunt.

Digitized by Google

Idem ibid. Gratia *in omnes* diffuſa eſt ...., *Omnibus* eadem eſt, *omnibus* ſe facilem exhibet, *omnes* pari honore advocat. Cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur; perditi quidam, & nequam homines *propriâ* duntaxat *malitiâ* ingredi recuſant.

Idem ad Rom. 9. *ſer.* 16. Unde igitur illi vaſa ſunt iræ, alij verò miſericordiæ? *ex propriâ voluntate*: Deus enim, quoniam vehementer bonus eſt, erga *utroſque* bonitatem ſuam declarat.

Ibid. Nec enim eorum tantummodò, quos ſalvavit; *ſed &, quantùm in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt.* Quòd autem ſalvatus non eſt, *totum per ſuam voluntatem* ſtetit: ita ut, quantùm ad eum attinebat, nihil ab illis, qui ſalvati ſunt, *minùs habuerit.*

Hieron. in pſalm. 140. O infeliciſſimum humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes, victi à naturâ ſumus; cùm tamen in *poteſtate noſtrâ* ſit peccare, & Domino adjuvante non peccare.

Idem Ep. ad Cypr. Homo à principio conditionis Deo utitur Adjutore: & cùm illius ſit gratiæ, quòd creatus eſt, illiúſque miſericordiæ, quòd ſubſiſtit, & vivit; nihil boni operis habere poteſt abſque eo, qui ita conceſſit liberum arbitrium, *ut ſuam per omnia opera gratiam non negârit.*

Aug. lib. de gen. Cont. Man. c. 3. Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt: *quod omnes homines poſſunt, ſi velint*, quia illud lumen *omnem hominem* illuminat, venientem in hunc mundum.

Idem de corr. & grat. c. 7. Juſtior videtur excuſatio dicentium, non accipimus audientiam, quàm (dicentium) non accepimus perſeverantiam. Quoniam poteſt dici homini: in eo, quod audieras & tenueras, eo *perſeverares, ſi velles.*

Idem Ench. c. 95. *in illud Math.* 11. *Væ tibi Corozain &c.* Deus non injuſtè noluit ſalvos fieri: *cùm poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent.*

Idem l. 2. de Mer. pecc. & Remiſſ. c. 17. Cùm voluntate humanâ, gratiâ adjuvânte divinâ, ſine peccato in hâc vitâ homines poſſint eſſe, cur non ſunt? poſſem facilè, ac veriſſimè reſpondere: *quia homines nolunt.*

Idem de gra. & lib. Arb. c. 15. Quid prodeſt, ſi *quod poſſumus, nolumus.*

Idem l. Retr. c. 22. Alio loco dixi, niſi quis voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod *in noſtrâ poteſtate* eſt poſitum; hoc & Dominus in alio loco docet.... Quod non eſt contra gratiam, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt voluntatem mutare in melius; ſed poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur.

Idem l. de gr. & lib. arb. c. 4. Homo *gratiâ juvatur*, ne ſine cauſâ voluntati ejus jubeatur.

Idem l. 4 oper. imp. c. 128. Hominibus naturâ filijs iræ *propterea dantur præcepta* vivendi; quia datur & gratia; ut qui jubet, *juvet.*

Idem in Pſal. 6. Ut eum amitteremus, *non ejus abſentia*, qui ubique adeſt, ſed *noſtra fecit averſio.*

Idem l. 2. Serm. Dom. in Mont. Deus *ſemper paratus eſt* dare ſuam lucem nobis, non viſibilem, ſed *intelligibilem, & ſpiritualem.*

Cyril. Alex. in c. 17. Joan. l. 11. *cap.* 21. Quòd ſi proditor *æqualiter alijs diſcipulis* Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtra hæc à nobis dicerentur; ſin autem non minùs, quàm cæteri divinâ gratiâ regebatur.... Quomodò etiam non ſervavit eum Chriſtus, *qui ſuum patrocinium ei præſtitit*; qui, *quantùm ad ferendam opem attinuerit, ſervâſſet hominem*, niſi ultro ille in perditionem inſiliiſſet: Gratia igitur in alijs effulſit, ſervavitque *omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt.*

Leo ſerm. 5. de Quad. Si quid arduum in mandatorum effe-

ctibus experitur, non in ſe remaneat: ſed ad jubentem recurrat, qui ideò dat præceptum, ut excitet deſiderium, *& præſtet auxilium.*

Idem ſerm. 16. *de Paſſ.* Juſtè nobis inſtat præcepto, *qui præcurrit auxilio.*

De voc. gent. l. 3. *cap.* 13. Cùm ergò talia ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt, *voluiſſe eum*, & quantùm ad illum medendi modum *ſufficiebat*, egiſſe; ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret: Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, *unde debuit eſſe correctior.*

Greg. l. 33. *mor. c.* 20. Idcircò nequaquam cæleſtis gratiæ præmia æterna percipiunt; quia ea nunc, *dum promereri poterant,* ex libero arbitrio contempſerunt.

Bernar. ſerm. 5. *Quad.* Poteſt inimicus excitare tentationis motum: ſed *in te eſt*, ſi volueris dare, vel negare conſenſum. In *tuâ facultate* eſt, ſi volueris inimicum facere ſervum tuum; ut omnia tibi cooperentur in bonum.

D. Thom. con. gent. cap. 159. Cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire divinæ gratiæ receptionem; non immeritò in culpam reputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni: Deus enim, *quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare:*

Idem 1. 2. *quæſt.* 106. *a.* 2. *ad* 2. Si quis poſt acceptam gratiam Teſtamenti novi peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficijs ingratus, & auxilio ſibi dato non utens... Quia *quantùm eſt de ſe* (lex nova) *ſufficiens auxilium* dat ad non peccandum.

Idem in c. 1. *Cor. Lect.* 1. Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filij, *& nobis denegaret, quantùm in*

ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eum poſſumus. Unde lib. Joſue 1. dicit, *non te deſeram, neque derelinquam.*

D. Bonav. lib. 1. *d* 40. *a.* 4. *q.* 2. Paratus eſt Deus *omnes* complecti: defectus illuſtrationis non venit *ex parte Dei*, ſed ex parte noſtrâ.

Idem ibid. d. 47. *a.* 1. *q.* 1. Deus *paratus* eſt juvare; ita quòd ſalus non deficit *propter defectum ex parte Dei.*

Orat. poſtcom. ad repel. malas cogit. Deus, qui illuminas *omnem* hominem, illumina, quæſumus, corda noſtra &c.

De imit. Chr. l. 1. *c.* 7. Fac quod *in te eſt*, & Deus *aderit* bonæ voluntati tuæ.

Idem ibid. c. 11. Ipſe enim certantes & de ſuâ gratiâ ſperantes *paratus eſt juvare*, qui nobis certandi occaſiones procurat, ut vincamus.

Idem ibid c. 12. Ideò nòn debemus deſperare, cùm tentamur, ſed eò ferventiùs exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adjuvare, qui utique ſecundùm dictum Pauli talem faciet cum tentatione proventum, ut *poſſimus ſuſtinere.*

Idem ibid. c. 1. Homines citò mutantur, & deficiunt velociter: Chriſtus autem manet in æternum, *& aſtat uſque in finem fortiter.*

Idem ibid. c. 7. Illum dilige, & amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus *te non relinquet*, nec patietur in finem perire.

§ IV.

Reſpondetur objectionibus.

1. *Oject.* CHriſtiani omnes tenentur à Deo petere gratiam fideliter ſervandi mandata: jam verò, ſi ſemper habeamus gratiam ſufficientem & neceſſariam ea ſervandi, ad quid ergò tenemur eam petere? nónne riſu digna talis petitio?

Digitized by Google

Reſp. Quando petimus à Deo gratiam ſervandi mandata, petimus gratiam benè utendi poteſtate, quam habemus ad præcepta implenda; vel potiùs obſecramus pro forti & potente ſuccurſu, ut certiùs, faciliùs, infallibiliùs obſervemus ea: deinde nonne eſt evidens, nos ipſo facto, cùm petimus gratiam ſervandi mandata, jam habere gratiam ſufficientem ſaltem remotam ea ſervandi? poteſt etiam reſponderi ad hoc, non eſſe riſu dignum petere gratiam, quam jam poſſidemus; nam Adam ſecundùm ipſos Janſeniſtas habebat gratiam ſufficientem, & tamen tenebatur ad petitionem tam conſervationis quàm augmentationis illius gratiæ. Tenebatur ad petitionem in ſignum debitæ ſubmiſſionis, dependentiæ, & indigentiæ cæleſtis auxilij: adeò quidem, ut, teſte Papâ Gelaſio, ceciderit in peccatum, eò quòd neglexerit neceſſariam petitionem. Quare, cùm non fuiſſet ridiculum, tametſi Adam à Deo poſtulâſſet, quod jam habebat; cur riſum mereatur poſtulatio noſtra, præſerim cùm fiat propemodùm ex iiſdem motivis & rationibus æquipollentibus? hæc ſine dubio cauſa fuit, quæ movit Alexandrum VIII. ad cenſuram ſextæ propoſitionis inter 31. quâ dicitur, „ non ſolùm cavendum eſſe, ne petamus à Domino Deo gra„ tiam ſufficientem, ſed potius obſecrandum eſſe Deum, ut nos *à gratiâ ſufficiente* liberet. „

2. *Object.* Quando Eccleſia orat pro converſione peccatorum, non eam petit à Deo, ut poſſint ſe convertere, ſed ut actu convertantur. Nos ipſi, dum preces fundimus, non poſtulamus à Domino gratias, ut poſſimus ſervare, ſed ut in effectu ſervemus mandata: dicimus enim: *da, quod jubes*; verbô, ſupplices rogamus pro gratia efficace, nunquam pro ſufficiente. Ergò hæc gratia ſufficiens chymera eſt, commentum eſt, eò quòd preces fidelium nec in illam ferantur tanquam objectum, nec pro eâ fundantur aſſequendâ.

Reſp. Ipſum hoc ratiocinium, in quo Author Hexapl. magnòpere ſibi complacet, chymera eſt, commentum eſt: reverà enim ſi filius petat à Patre ſuo argenti ſummam conſiderabilem, ad epulandum cum amicis ſuis, ſequitúrne exin, Patrem ſuo filio non tri-

buere victui, & amictui neceſſaria? abſit: cur ergò infertur, Deum non tribuere gratias ad ſalutem ſufficientes & neceſſarias, quòd ab eo petamus gratias fortes & victorioſas?

Deinde falſiſſimum eſt, Eccleſiam in ſuis orationibus Deum non exorare niſi pro gratijs efficacibus; nam ultra quód frequentiùs in ſuis precibus nîl exprimat, præter hoc, ut poſſimus bonum facere, & declinare à malo; certum eſt quoque, quòd ſemper oret illa intentione, quâ Chriſtus Patrem oravit, idque pro hominibus poſtulet, quod Chriſtus ipſemet poſtulavit: Chriſtus autem ad minimùm pro omnibus juſtis petivit gratiam neceſſariam & ſufficientem, ut abſolutè & verè poſſint perſeverare: eſt enim de fide, juſtos hoc auxilium in neceſſitate recipere, quod tamen ſæpiſſimè manet inefficax. Igitur orationes Salvatoris & conſequenter etiam preces Eccleſiæ reſpiciunt gratias tum efficaces, tum ſufficientes, quæ non nunquam remanent inefficaces.

3. *Object.* Scriptura & Patres continuò meminerunt gratiæ tanquam conjunctæ cum effectu: ſemper reiterant, gratiam eſſe eam, quæ nos faciat operari, quæ nobis tribuat & velle & perficere: ergò præter efficacem nulla datur.

Reſp. Poſt tot jam citatos textus, & deinceps citandos innegabiliter patet, ſcripturas & Sanctos Patres aſtruere gratiam, quæ ſubinde ſuo effectu careat; cùm ergò quandoque aſſeverent, gratiam nos facere operari, tribuere & velle & perficere; tunc vel loquuntur de gratia efficace, vel ſolùm intendunt inculcare, nîl boni fieri ſine ejus auxilio; item non niſi per illam & cum illa exerceri opera bona & meritoria.

4. *Object.* Patres & præcipuè S. Auguſtinus frequenter dicunt, gratiam non omnibus dari.

Reſp. Patres & præcipuè S. Auguſtinus ſæpiſſimè dicunt, gratiam omnibus dari: non ergò ſibi contradicunt; nam gratia, quæ juxta ipſos non omnibus datur, ſed aliquando negatur quibusdam peccatoribus in ſupplicium peccati, eſt gratia filiationis, adoptionis, efficaciæ, & nonnunquam proximæ ſufficientiæ; non verò gratia ſimpliciter ſufficiens, de quâ hîc quæritur.

Vide Epiſt. 3 inſtruct. art. 2. de gratiâ ſuffic.

Digitized by Google

§. V.

Qualificatio Propoſitionis damnatæ.

HÆc propoſitio talis qualis in Quenello exprimitur, eſt evidenter *captioſa* & favens hæreſi: terminis quippe concepta æquivocis, abſcondit venenum ſuum ſub ſpecie & apparentiâ veritatis, paratum ſeductioni ſimplicium; quâ tamen propiùs examinatâ nemo poteſt ambigere, per eam renovari ſecundam propoſitionem Janſenij. *In ſtatu naturæ lapſæ gratia nunquam reſiſtitur.* Sine ſcrupulo eam dixeris *hæreticam*, & *jam damnatam.* Reipsà enim, ſi non datur gratia ſufficiens; ſi omnis gratia eſt efficax, manifeſtè ſequitur, gratiæ nunquam reſiſti: hoc clarè patet, nec ampliore dilucidatione indiget.

§ VI.

Alij errores, Propoſitioni damnatæ incluſi.

TAmetſi omnes hactenus factæ Reflexiones verſentur duntaxat circa exiſtentiam gratiæ ſufficientis, quam Quenellus reijcit; non tamen prætereundus eſt principalis error, quem renovat: nimirum *præcepta Dei nonnullis hominibus juſtis eſſe impoſſibilia &c.* Quippe, ſi verum ſit, quod vult Quenellus, videlicet abſque gratia efficaci ſemper connexâ cum ſuo effectu, & ad *omne opus bonum neceſſariâ*, nihil boni fieri poſſe, tunc utique nemo non videt ſequelam urgentem & neceſſariam, nimirum ſi juſtus ſolvit legem, id fieri ex defectu potentiæ faciendi legem, & ex carentiâ gratiæ, quæ tribuit poteſtatem ſervandi legem; quod eſt dogma *hæreticum* primæ propoſitionis Janſenianæ, de quo ampliora accipies in Analyſi propoſitionis ſequentis; ex hac etiam ratione Cardinalis Noallius damnavit in ſuo Mandato Archi-Epiſcopali de Anno 1696 librum *de Expoſitione fidei*; quoniam in ipſo defendebatur, *nos ſine gratia efficace nihil poſſe*: quam propoſitionem Eminentiſſi-

mus Dominus Noallius declaravit eſſe principium quinque propoſitionum Janſenij.

Sed necdum finis errandi: hæc propoſitio inſuper eundem involvit errorem, quem antecedens: dicere enim generaliter cum Quenello, *gratiam eſſe neceſſariam ad omne opus bonum*, ſine illâ *non ſolùm nihil fieri, ſed nec fieri poſſe*, nónne eſt expreſsè abire in ſententiam Michaëlis Baij, qui libero arbitrio poteſtatem ad quodcunque bonum cujuscunque naturæ negaverat, nil relinquendo humanæ potentiæ & voluntati præter peccatum, & peccandi capacitatem? Fruſtra dices, Quenellum hic non loqui de actionibus utilibus, & meritorijs æternæ ſalutis, idque conijciendum eſſe ex ipſo textu, ex quo damnata propoſitio extracta eſt, ubi docet ſine virtute Jeſu Chriſti *bona noſtra opera non poſſe Deo eſſe grata, & meritoria:* fruſtra hæc infers pro cauſa Quenelli; certum eſt enim, propoſitionem damnatam eſſe totaliter ſeparatam à præcedente; inter quas ipſemet Quenellus ſollicitè poſuit notam intercalarem, in ſignum plenæ independentiæ unius ab alterâ. Deinde, quis neſcit artem hæreticorum miſcentium veritates cum falſitatibus, ut opportuniùs ſollicitent corda fidelium? quapropter ne dubites, Quenellum tam hâc quam primâ ſuâ propoſitione velle innuere, omnia opera, ſine gratiâ & charitate facta, eſſe mera peccata: evidens eſt de mente Quenelli, ex alijs alibi ſtabilitis ejus principijs.

PROPOSITIO TERTIA.

INvanùm Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis

§. I.

Senſus naturalis propoſitionis.

DOminus invanùm, *inutilia, impoſſibilia dat* præcepta, ſi non ipſemet *per ſuam gratiam efficacem dat*, quod præcipit.

Hîc obſervare oportet, quòd licèt veteres & moderni hæretici concordent invicem, negando poſſibilitatem mandatorum Dei, nonnihil tamen diſcrepent in ſuis opinionibus. Lutherani & Calviniſtæ dicunt, mandata Dei eſſe ſervatu impoſſibilia propter corruptionem naturæ humanæ, & quidem etiam ſub ipsâ motione gratiæ quantumvis efficacis; Janſeniani verò docent, præcepta divina eſſe impoſſibilia, præcisè, quòd Deus nobis quandoque deneget gratias efficaces ad ſervanda mandata neceſſarias: juxta Lutheranos & Calviniſtas mandata Dei ſemper ſunt impoſſibilia in ſtatu præſentis vitæ: juxta Janſeniſtas verò ſunt impoſſibilia tantùm in certo occurſu & quibusdam caſibus, id eſt, quando Dominus vel omnino non dat gratiam, vel quando data nobis gratia non eſt ſuperior cupiditati.

Verùm quocunque modo explicaveris prætenſam impoſſibilitatem mandatorum Dei, non exinde minùs eris hæreticus, modicum intereſt, ſive hoc, ſive alio modo ſint impoſſibilia, ſi verè & realiter ſint impoſſibilia ſervatu: quin imò dici poteſt, ſyſtema Janſenianum circa mandata Dei ſervanda monſtruoſius eſſe, quàm ſyſtema Calviniſtarum, & Lutheranorum; hi enim impoſſibilitatem mandatorum non reportant niſi ad infelicem ſtatum præſentis vitæ; cùm econtra Janſeniſtæ eam ipſi ſummo Numini imputent, quaſi Deum accuſantes, quòd deneget gratias, ſine quibus implicat ſervare mandata in præſenti naturæ ſitu; quod dicere eſt blaſphemia & impietas inſupportabilis.

Queſnellum hanc docuiſſe impietatem indubitatum eſt omnibus, qui vel ſuperficialem præbent attentionem huic propoſitioni. *Invanùm Domine præcipis &c.* Quis enim ſenſatè credat, Queſnellum voluiſſe hâc propoſitione ſolùm dicere, Deum ferre legem inutiliter, quando legi non obeditur, nec obediri præceptis, quando gratia non eſt efficax? Nonne talis propoſitio foret nugatoria, riſu digna, nec aliud ſubſtantialiter inſinuans, quàm quòd Deo non obediatur, quando ipſi non obeditur? Neceſſe eſt ergò, Queſnellum velle quid aliud.

intimare, ac intendere hâc expreſſione *invanùm* &c. mandata divina eſſe impoſſibilia, quibus gratia deeſt efficax ad ea ſervanda.

At fortaſſis Quenellus vult dicere, invanùm Deum præcipere, ſi non ipſemet per gratias ſufficientes dat facultatem faciendi, quod præcipit: certum eſt, quòd ſic explicari poſſet propoſitio, ſi extaret in libro cujusdam Patris Eccleſiæ, aut probati Catholici nunquam ſuſpecti de puritate fidei: cùm autem Quenellus ſit ſuſpectus de hæreſi, heri & hodie & nudius tertius, cùm diſperſerit venenum Janſenij per univerſum opus ſuum reflexivum; quis non intelligat ejus propoſitionem in ſenſu obvio, naturali & intellectui proximè ſe præſentante juxta rigorem terminorum? utique verum eſt propriè loquendo, Deum non dare, quod præcipit, niſi quando juvat ſervare, quod præcipit, largiendo ſuas gratias efficaces: nam gratia ſufficiens dat ſolummodò poſſe facere, quod Deus præcipit, non autem illud ipſum, quod Deus præcipit. Unde evidens eſt, Quenellum hoc loco intelligere gratias efficaces, non ſufficientes, ac ſeriò velle inculcare, præcepta Dei eſſe impoſſibilia illis, qui defectu gratiæ efficacis ea transgrediuntur. Et amabo, quæ alia poteſt eſſe ejus mens & idea? annon ſtatim probatum eſt, nullam à Quenello admitti gratiam præter efficacem? quare cùm certum ſit, mandata Dei ſervari haud poſſe ſine gratia; nonne ſequitur neceſſariò, quod nullam admittens præter efficacem velit mandata eſſe impoſſibilia ſine efficaci hâc gratiâ.

Nunc attendamus, quid Apologiſta Quenelli dicat, ut ſuum clientem à mox imputato errore vindicet. „Quenellus docet, (*a*) „inquit Hexapliſta, mandata Dei non eſſe impoſſibilia, hominéſque „ea ſemper poſſe ſervare, cùm volunt. 2.do Docet, impotentiam fa„ciendi bonum ſine gratiâ, non eſſe impotentiam naturalem & ab„ſolutam, ſed impotentiam voluntariam, quæ radicetur in libera cor„dis corruptione & inordinatione. 3.tio Divinam dereliétionem eſſe „juſtam punitionem peccati præcedentis.„ Quid magis contrarium ſpecie-tenùs impoſſibilitati mandatorum, ac loquela Quenelli tam

(*a*) Author Hexapl. pag. 119. col. 5.

Orthodoxa? omnia tamen hic allata ne minimùm adverſantur Heterodoxis; quæcúnque Quenellus, vel Hexapliſta hic loquitur, non tantùm Janſenius, ſed ipſemet Calvinus lubens amplectitur.

Quid enim ſignificant expreſſiones iſtæ tam apparenter Catholicæ in principijs & ſyſtemate Quenelli? audi & admirare. Supradictis Quenellus vult inſinuare, hominem, qui non ſervat mandata, poſſe ea ſervare, quemadmodum captivus catenis vinctus poteſt currere, tametſi actu currere nequeat; necdum enim vires, & facultatem naturalem currendi amiſit: vult inſuper impotentiam ſervandi præcepta in homine ſuis proprijs viribus derelicto ſimilem eſſe in certo ſenſu impotentiæ dæmonis, qui ſi vellet, amaret Deum, non tamen amare poteſt, quòd gratiam ad hoc velle & poſſe Deus ipſi denegat, utpote qui ſe tradidit voluntariæ & obſtinatæ malitiæ cordis. Dico notantur, in *certo ſenſu*; nam impotentia, quæ reperitur in dæmone, eſt impotentia ſtatûs fixi & permanentis; cùm econtra impotentia in homine non habente gratiam, non ſit integra & totalis, ſed partialis atque tranſiens; ita ut, ſi vel cupiditas diminueretur, vel gratia augmentaretur, præceptum Dei quoque impleretur; quo tamen non obſtante vera & realiſſima dici poteſt impoſſibilitas, deſtruens veram potentiam ſervandi mandata. Ex his dijudica, utrum Quenellus noſcat genuinam poteſtatem in homine ad ſervanda mandata, & utrùm non potiùs ex adverſo ſtatuat impotentiam tam veram & realem, ac unquam Hæretici maximè exorbitantes.

Replicat Author Hexapl. dicendo, Quenellum inſtar cujuscúnque Catholici admittere, *derelictionem Dei*, quæ mandata reddit impoſſibilia, *eſſe juſtam punitionem peccati præcedentis*. Inanis illuſio! captioſum effugium! Quod enim eſt illud peccatum in principijs Quenelli, quo cauſatur divina derelictio? eſt peccatum originale, quod tametſi remiſſum per baptiſma, unica tamen eſt cauſa reprobationis ſecundùm omnes Janſenianos: per conſequens eſt etiam vera cauſa denegatæ gratiæ divinæ. Nemo negat, quòd peccata actualia poſt originale commiſſa, juxta Janſeniſtas, ſint etiam

cauſa derelictionis Dei ; cùm verò velint, Deum non derelinquere juſtum in perpetratione primi peccati actualis , niſi propter peccatum originale, idcircò ſemper & verè conſequitur, peccatum originale penès Quenellum eſſe cauſam omnium actualium , & conſequenter denegatæ gratiæ, in *punitionem juſtam* præcedentis peccati, quidquid reclamet Concilium Tridentinum, & quidquid contradicat gentium Doctor S. Paulus; *nihil eſſe damnationis in iis, qui ſunt renati in Chriſto Jeſu.*

Præterea falſiſſimum eſt, ullum inter verè Catholicos aſſerere, quòd juſtus propter peccatum veniale , aut peccator propter mortale ita à Deo deſeratur , ut nullam prorſus recipiat gratiam nec proximam nec remotam ad ſervanda præcepta.

Hæc eſt enim ſententia erronea hæreticorum, quam Quenellus cum ſuo Apologiſta amplexus eſt, non abſque manifeſto dedecore, quòd uterque æmuletur chariſmata non meliora ſed peſſima Sectariorum Prædeceſſorum.

§. II.

Conformitas propoſitionis damnatæ cum doctrinâ hæreticorum.

Luth. in reſp. ad Dial. Sylv. Peſſimè facitis *negando , Salvatorem præcepiſſe res impoſſibiles.* Adhuc pejus facitis, audendo dicere , quòd hæc ſit falſitas: non poſſumus in hâc vitâ implere mandata Dei.

Idem ſup. pſalm. 51. Decalogus nunquam poteſt plenè obſervari.

Idem in prop. legis cont. Antim. Lex eſt totaliter inutilis, atque impoſſibilis.

Calv. l. 2. *inſtit. cap.* 7. §. 5. Paucis verbis explicanda ſunt, quæ diximus de impoſſibilitate legis . . . . Pelagiani olim fati-

gabant Auguſtinum vanâ iſta ſubtilitate, nimirum; *quòd ſiat Deo injuria, credendo, Deum præcipere fidelibus plus, quàm poſſint facere per divinam gratiam.*

Idem Antid. Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 6. Oportet Venerabiles iſtos Patres eſſe valde Novitios, ſi concludant ex mandatis â Deo nobis injunctis, *quòd homo habeat potentiam ea obſervandi*, quandoquidem cauſa, cur Dominus â nobis exigat id, quod eſt ſupra noſtras vires, potiùs ſit, ut convicti de noſtrâ debilitate exuamus ſuperbiam.

Idem lib. 4. de lib. arb. circa init. Si quis velit diſputare cum Deo, ſeque tutum reddere ab ejus judicio ſub prætextu, quòd aliter facere nequiverit; Deus ſtatim ipſi reſpondebit: *perditio tua ex te.* Unde enim provenit hæc impotentia? niſi ex inordinatione naturæ. Et unde hæc inordinatio, niſi quia homo dereliquit Creatorem ſuum? jam cùm omnes ſimus rei hujus deſertionis; hinc dico; *quòd hæc neceſſitas, quâ ligamur, cauſa ſit evidens noſtræ condemnationis; procul ab eo, quòd nobis ſervire poſſit pro excuſatione.*

Melanct. in cap. 4. ep. ad Rom. Quando lex jubet amare Deum, nobis præcipit rem tam impoſſibilem, ac ſi præciperet nobis volare ſupra montem Caucaſum.

Reſp. Tale reverà eſt ſyſtema Janſenianorum, quod huc collimat & ad hoc reducitur, nimirum, mandata Dei eſſe tam impoſſibilia hominibus juſtis quibuſdam, ac eſt impoſſibile homini volare ſine pennis, aut equitare ſine equo.

Janſenius tom. 3. l. 3. c. 13. Ex doctrina hac indubitata ſequuntur clarè nonnulla ponderoſa hanc materiam concernentia. Primò, *quòd præcepta quædam homini ſint impoſſibilia ſecundùm ſtatum, in quo exiſtit*, & ſecundùm præſentes, quas habet, vires. Secundò, *quòd non ſemper habeamus gratiam, quâ poſſimus*; id eſt, quæ nobis tribuat vires ſufficientes ad obſervanda mandata.

Digitized by Google

Tertiò, quòd hæc impotentia reperiatur non tantùm in cæcis, induratis, & infidelibus, ſed *quòd etiam reperiatur penès fideles, & juſtos*. Quartò, quòd fideles exiſtant in hâc impotentiâ non ſolùm, quando nolunt ſervare præcepta, *verùm etiam tunc, quando volunt ea ſervare*.

Idem eod. loco. c. 17. Obſervent, & fateantur, quòd Deus per legem ſuam æternam poſſit mandare homini poſt lapſum idipſum, quod ei præceperat ante peccatum, quamvis illud ex propriâ culpâ *factum ſit impoſſibile*, & quòd non teneatur homini largiri ingens illud auxilium redemptionis, quod facit hominem velle, & perficere, quod noluerat, *licèt propter ægritudinem, quam voluntas contraxit, nullum detur aliud auxilium* ſufficiens, & quòd peccator peccet ex propriâ culpa, *tametſi privatus magno illo auxilio non poſſit amplius evitare peccatum* ex propriâ & peccaminoſa infirmitate ſuæ voluntatis.

Bajus prop. 54. Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, *cùm Pelagij ſit*.

§. III.

Probationes Veritatis Catholicæ, quæ opponitur propoſitioni damnatæ.

Ex Ratione.

SUperfluit amplòs ex ratione apparatus petere, ut probes, Deum impoſſibilia non præcipere: Sufficit te non penitus inſenſatum eſſe, ut ſentias, nihil adeò ſtultitiam ſapere, quàm ſupremæ ſapientiæ id imputare, quod mortalium abjectiſſimus de ſeipſo fateri exhorreſceret: Quàm excandeſcerent oculati & cordati homines in parentem inſipientem, qui filium catenis onuſtum juberet quadrupedante iter ſuum accelerare ſine equo, ſine quadriga? præſertim ſi pater hæc imperaret ſub minitatione ſupplicij acerbiſſimi filio infligendi, niſi

obediret? omnes ſubſcriberent, hunc Patrem rationem vel nunquam induiſſe, vel exuiſſe: fruſtra inſaniam ſuam palliaret vir iſte, prætexendo, filium tametſi compedibus vinctum non perdidiſſe facultatem naturalem ambulandi; & tametſi equo careat, nec ab ipſo dependeat equum habere, poſſe tamen equeſtrem agere: nónne hæc dicens largiùs rideretur in compenſationem inſaniæ, ac ultimatæ ſtultitiæ argumentum?

Vulgari hoc ratiocinio ſemper uſi ſunt Catholici contra hæreticos; ratiocinium efficax, cui nunquam potuere nec poterunt reſiſtere cum ratione omnes adverſarij veritatis; contenti ſunt, ſe repoſuiſſe cum Authore Hexapl. (*a*) vultu ad majeſtatem compoſito tanquam pandentes oraculum, *has eſſe deviationes, in quibus circumerret humanum ingenium ſequendo ſuas ſpeculationes & ratiocinia.* Verùm hæc ipſa reſponſio pauper & inops luculenter demonſtrat, quàm circumerrent per avia & devia falſitatum uſque ad vertiginem intellectûs.

Ex Scripturâ.

Deuter. 30. 11. Mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, *non ſupra te eſt*, *neque procul poſitum*: ſed *juxta te eſt* ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, *ut facias illud.*

Ibid. v. 19. Teſtes invoco Cœlum & Terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem.... *Elige ergo vitam*, ut tu vivas.

Prov. 4. v. 11. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis.... *currens non habebis offendiculum.*

Eccl. 15. 16. Si Volueris mandata ſervare,conſervabunt te.. ad quod volueris, porrige manum.

Ibid 31. 1. Qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus: facere mala & non fecit.

Math. 11. v. 28. Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.

1. *Cor.* 10. 13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.

1. *Joan* 5. 3. Mandata ejus gravia non ſunt.

(*a*) pag. 125. col. 4.

Ex Patribus.

Conc. Arauſ. 2. *can.* 25. Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptiſmum gratiâ omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, *poſſint* & debeant, ſi fideliter laborare *velint*, adimplere.

Trid. Seſſ. 6. *c.* 11. Nemo temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti debet: *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.*

Ibid. Can. 18. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia: anathema ſit.

Ibid. c. 11. Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis: & adjuvat, ut poſſis.

Clem. Rom. l. 3. *de cog.* Dic, quomodo Deus judicat ſecundùm veritatem unumquemque pro actibus ſuis, ſi aliquid agere in poteſtate non habet? Judices fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos, qui malè agunt; Non enim in ſua poteſtate habuerunt, ut non peccarent.

Orig. hom. 9. *in Joſue.* Qui dicit: quæ mandantur, implere non poſſum: quid tibi videtur aliud, quàm inter mulieres, quæ virile nihil poſſunt, eſſe numerandus.

Id. de princip. l. 1. *c.* 1. Cùm dat Salvator cætera quæque mandata, quid aliud indicat, niſi quòd in noſtra poteſtate eſt obſervare poſſe quæ mandantur: Et propter hoc rectè efficimur rei judicio; ſi prævaricemur ea, *quæ utique ſervare poteramus.*

Cypr. de Bapt. Chr. Et quod agendum eſt, ſcimus: & quod ſcimus, *facere poſſumus.*

Hilar. in Pſalm. 116. Latum igitur mandatum Dei eſt, & in omnia ſpei noſtræ genera diffunditur; *ut non difficile ſit, ſi voluntas adſit, præcepto Dei obtemperare.*

Athan. de Serv. Virgin. At quonam iſta modo præſtare potero? Ne pavorem concipiat mens tua, ſed cum omni alacritate ſervabis ea: ſiquidem timentibus Dominum præcepta Domini *difficilia* non ſunt.

Baſil. in Orat. Attende tibi. Impium eſt dicere, *impoſſibilia* eſſe ſpiritûs præcepta.

Id. in Reg. brev. Reſp. 76. Sine dubio autem non præcepiſſet hoc, qui bonus ac juſtus eſt; niſi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuiſſet largitus.

Chryſ. Hom. 16. in Ep. ad Hebr. Non potes dicere, non poſſum; neque accuſare Conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa ejus eſt. *Quomodò ergò*, inquis, *multi non poſſunt? quomodò ergò multi nolunt? Si enim voluerunt, omnes potuerunt.* . . . . Habemus quippe Cooperatorem, & Adjutorem Deum: tantùm velimus, tantùm opere accedamus ad rem ipſam.

Id. Hom. 18. in Math. Ne igitur putemus, *impoſſibilia* eſſe præcepta, quæ certa & utilia nobis ſunt, & valdè facilia.

Id. de compunct. cord. l. 2. Non ergò noſmetipſos ſeducamus, dicentes, *impoſſibile eſſe*, ut ſit aliquis ſicut Paulus; ſiquidem ſignorum & mirabilium, ac ſapientiæ nullus poterit eſſe Paulus: vitæ autem ratione, præſto eſt volenti imitari illum; quod, quia non fit, voluntas in culpa eſt.

Id. Hom. 46. in Math. c. 13. Dominum habemus manſuetum & miſericordem, & nihil *ſupra vires* noſtras exigentem.

Hier. l. 3. Adv. Pelag. Deus poſſibilia mandavit, hoc nulli dubium eſt.

Id. in Math. 5. Sciendum eſt Chriſtum non *impoſſibilia* præcipere, ſed perfecta.

Aug. l. 2. de pecc. mer. c. 3. Acutè autem ſibi videntur dicere, quaſi noſtrûm hoc ullus ignoret, quod ſi nolumus, non peccamus: nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ *impoſſibile* voluntati.

Id. ibid. c. 6. Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo, *ſi velit*, eſſe ſine peccato adjutus à Deo.

Id ſerm. 191. *de temp.* Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt *impoſſibile* aliquid homini à Deo eſſe præceptum; & mandata Dei *non à ſingulis*, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.

Id. de nat. & grat. c. 69. Eo ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum *impoſſibilia* non potuiſſe præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus, quid petamus.

Id de Unit. Eccl. c. 9. Quis enim dubitaverit, quòd Judas Chriſtum, *ſi voluiſſet*, non utique tradidiſſet: Et Petrus, *ſi voluiſſet*, ter Dominum non negâſſet.

Id. in pſalm. 61. Deus dedit hominibus *poteſtatem faciendi*, quod bonum eſt, *& non faciendi*, quod malum eſt.

Id. de duab anim. c. 14. Scio pænitentiam neque illius eſſe poſſe, qui malè facere, neque illius, qui benè facere non poteſt. . . . . Pænitendi enim affectio illa eſt, quæ prodit malè feciſſe pænitentem; *& bene facere potuiſſe teſtatur.*

Id tract. 53. *in Joan.* Audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem, & jubentem, quod facere debeamus, *& adjuvantem, ut implere poſſimus.*

Idem in pſalm 55. Non imperaret Deus, ut hoc faceremus, ſi *impoſſibile judicaret*, ut hoc ab homine fieret. Si conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto; confortare in exemplo Chriſti. Sed etiam exemplum multum eſt ad te, adeſt ille, qui præbuit exemplum, *ut præbeat & auxilium.*

Idem in pſalm. 149. Talis unicuique homini tentatio datur, qualem aut cum laude vincere, aut cui cum opprobrio ſuccumbere poſſit.

Clem Alex l. 2. *Strom.* In *noſtra* quidem certè eſt *poteſtate*, parere præceptis, quorum, niſi voluerimus eſſe participes, iræ & voluptati nos ipſos dedentes peccabimus.

Idem l. 4. Strom. Præcepta ſunt hujuſmodi, *ut à nobis poſſint fieri, & non fieri:* quæ conſentaneum eſt, ut ſequatur laus & vituperatio.

Idem ibid. l. 7. Hæc à nobis exiguntur, quæ ſita ſunt in *noſtrâ poteſtate*, & eorum, quæ ad nos pertinent, tam præſentium quàm abſentium electio & deſiderium, & poſſeſſio, & uſus.

Auth. de vocat. gent. l. 2. c. 12. Qui judicio rationis utuntur, ideò liberum eſt diſcedere, ut non diſceſſiſſe ſit præmium: & ut, quod non poteſt niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, *quorum id potuit voluntate non fieri.*

Joan. Dam. l. 2. de fid. c. 27. *Poteſtatem* habet homo refrænare appetitum, & ipſum ſequi.

Idem Dial. cont. Man. Quod in *poteſtate noſtra* ſitum eſt; nempe, ut data bona ſervemus, vel facimus, vel negligimus.

D. Thom. de Ver. q. 24. art. 14. ad 1. Quod præcepit Deus, *non eſt impoſſibile homini* ad ſervandum; quia & ſubſtantiam actûs poteſt ex libero arbitrio ſervare, & modum, prout ſcilicet ſit ex charitate, poteſt ſervare ex dono gratiæ.

D. Bonav. l. 2. d. 28. a. 1. q. 3. ad 1. Ad illud, quod objicitur, mandatum Dei non eſſe ſupra hominem, ſed propè: dicendum, quòd hoc intelligitur de obſervantia quantùm ad genus operis. Si autem intelligatur, quantùm ad intentionem mandantis, tunc dicitur eſſe propè, non quia liberum arbitrium poſſit illud per ſe ſine dono gratiæ; ſed quia *gratia Dei præſto eſt unicuique* nec aliquis caret gratia: *non quia gratia deſit ipſi, ſed quia ipſe deeſt gratiæ.*

Idem ibid. dub. 3. Alio modo dicitur aliquis aliquid poſſe, non ſolùm quia poteſt illud per ſe & in ſe; ſed quia poteſt cum illo, quod ſibi præſto eſt: Et hoc modo accipiendo *poſſe*, omne, quod Deus præcipit, *in noſtra poteſtate eſt*: quia ipſe, qui præcipit, præſto eſt *prabere gratiam adjuvantem, per quam poſſumus perficere.*

De imit. Chr. l. 3. c. 30. Noli putare, *te relictum ex toto;*

quamvis ad tempus tibi miſerim aliquam tribulationem, vel etiam optatam ſubtraxerim conſolationem.

Id. ibid. c. 45. Si quis in te, Domine, confidit, ac ſimplici ex corde quærit, *non tam facilè labitur.* Et ſi inciderit in aliquam tribulationem, quocunque modo fuerit etiam implicatus, *citiùs per te eruetur*„, quia tu *non deſeres* in te ſperantem uſque in finem.

§ IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* Scriptura & Patres ſubinde dicunt, quoſdam peccatores non poſſe converti; quoſdam infideles non poſſe in Chriſtum credere, ergò mandata Dei aliquando ſunt impoſſibilia.

Reſp. Nemo ad hoc meliùs reſponderit, quàm Epiſcopus Meldenſis Dominus Boſſuetus piæ memoriæ, quem ipſemet Author Hexapl. *(a)* ſic ſcribentem adducit. „ S. Auguſtinus agnoſ-„cit aliquod poſſe in homine, conſiſtens in ipſo velle, quod non „ſinamus ignorare Chriſtianos. Oportet igitur illis monſtrare adhuc „aliud gratiæ ſecretum, & alium effectum voluntatis; nimirum, „quòd gratia ſe ſola poſſit dare aliquod poſſe, quod per conſequens „omnibus deeſt, qui nolunt ſe ſubmittere Deo, & hoc conformiter „verbis S. Joannis: *Judæi non poterant credere.* Item, conformi-„ter ſequenti interpretationi S. Auguſtini interrogantis: *cur non pote-„rant credere?* reſponſio in promptu eſt; *quia noluerunt.* Huc „etiam ſpectant verba Salvatoris: *(b) Quomodo vos poteſtis cre-„dere, qui gloriam ab invicem accipitis? & gloriam, quæ à „Deo eſt, non quæritis?* in quo etiam textu non eſt præſumenda „alia impotentia, quàm quæ provenit ex defectu voluntatis, ſeu non „volentis.

Sic explicari debent loca Scripturæ & Patrum, quæ dicunt,

(a) pag. 137. col. 4.

(b) Joan. 5. v. 44.

quoſdam peccatores non poſſe mandata ſervare : ut verò quis ita explicet Scripturas & Patres, neceſſe eſt, eum eſſe Orthodoxum, inſtar citati Epiſcopi Meldenſis ; oportet, ut quis ſit perſuaſus inſtar dicti Præſulis Eccleſiæ, quòd, licet ſola gratia efficax bonam voluntatem tribuat, ſemper tamen mediante gratiâ ſufficiente habeamus potentiam immediatam vellendi ; deficiente enim hâc potentiâ, transgreſſio ſeu non obſervantia mandatorum non promanaret *ex ſolo defectu voluntatis*, prout tamen vult Epiſcopus Meldenſis cum S. Auguſtino, ſed *ex ſolo defectu gratiæ* neceſſariæ, ad hoc, ut te poſſis determinare ad ſervanda præcepta.

2. *Object.* Patres, præſertim verò S. Auguſtinus frequentiſſimè docent præcepta Dei eſſe impoſſibilia, nóſque non poſſe vivere ſine peccato.

Reſp. Patres loquuntur multoties vel de peccatis venialibus generaliter, quæ omnia vitare non poſſumus ; vel ſi loquantur de mortalibus, tantùm eſt quæſtio de impotentiâ morali, id eſt de magna difficultate ; vel tandem, ſi loquantur de impoſſibilitate abſolutâ, intelligenda eſt ad bonum ſupernaturale ſine adjutorio gratiæ : diverſis his diſtinctionibus proviſo laborioſum non eſt Sanctos Patres inter ſe conciliare. (*a*)

§. V.

Qualificatio Propoſitionis damnatæ.

DIcendum de hac propoſitione, quod dictum eſt de præcedente. Talis, qualis exprimitur in Quenello, eſt *captioſa*, & favens hæreſi ; eò quòd ſit concepta terminis æquivocis, quibus ſub falſâ veritatis imagine error abſconditur. Hic error, ut claré monſtravimus, eſt idem ipſe, qui exprimitur in primâ propoſitione Janſenij : *Quædam præcepta volentibus & conantibus, in ſtatu naturæ lapſæ ſe-*

(*a*) Vide epiſt. 3. inſtruct. art. 1. de poſſib. mand.

Digitized by Google

cundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia &c. Quamobrem meretur eandem qualificationem Janſenianæ propoſitionis: id eſt: quòd ſit *temeraria, impia, blaſphema, hæretica, jam anathemate tacta.*

Unicum, quod ſpeciatim advertendum in hâc propoſitione, *invanùm Domine præcipis &c.* eſt iſtud, quòd videatur magis blaſphema priore. Ut palpabiliùs appareat blaſphemia, reducamus propoſitionem in formam ſylogiſmi ſequentis.

Deus invanùm præcipit, quando mediante gratia efficace non dat, quod præcipit: atqui ſæpius non dat mediante gratia efficace, quod præcipit: ergò invanùm præcipit.

Num benè capimus, quid ſit invanùm agere? eſt agere cæco modo, ſine ſcopo, ſine intentione, non præfigendo ullum finem ſuæ operationi: Verbo; eſt agere inſtar inconſiderati, & extravagantis. Quis verò ille, qui taliter invanùm agit? eſt ipſe Deus, inquit Quenellus, quoties non dat omni hora, omni momento, quod præcipit. Sapiúntne ſermones iſti Atheiſmum, an Chriſtianiſmum?

PROPOSITIO QUARTA.

ITa Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

Senſus naturalis propoſitionis.

OMnia ſunt poſſibilia ei *tantummodò*, cui Dominus *omnia* poſſibilia facit eadem operando in illo *per gratiam efficacem.* Vel aliter: *nulli aliquid poſſibile eſt, quàm ei*, cui Dominus aliquid poſſibile facit id operando in illo *per ſuam gratiam.*

Poſt reflexiones mox factas ſuper præcedentes propoſitiones, nemo non videt ſenſum proprium & naturalem ibi exantlatum huc ſpectare; ſi enim verum ſit, quod Quenellus docet, *nihil fieri poſ-*

ſe ſine gratia efficace, quòd *Deus invanùm præcipiat, ſi non det ipſemet* quod præcipit mediante illà gratiâ, nónne liquidè ſequitur & neceſſariò, nulli aliquid eſſe poſſibile, quàm ei, cui Dominus donat gratiam efficacem. Hæc manifeſtè patent; addidiſſe aliquid decerpſiſſe eſt, ac obſcurâſſe lumen, quod in te eſt circa ideas rerum obvias, & naturales.

Hìc non nemo fortaſſis inferet. 1.mo. Allatas tres propoſitiones nullâ connexione inter ſe cohærere: primam eſſe deſumptam ex reflexione morali in Evangelium S. Joannis: ſecundam in acta Apoſtolorum: tertiam verò, ſeu præſentem in Evangelium S. Marci, adeóque probari non poſſe ex duabus prioribus ſenſum erroneum poſteriori imputatum, niſi illum contineat in ſeipsâ; jam verò facillimè evincitur, dices ulterius, & quidem exemplo ſenſibili, hanc propoſitionem, *Ita Domine omnia poſſibilia &c.* non favere ſenſui erroneo, qui ipſi adſcribitur, nec fovere hujuſmodi errorem in ſeipsâ. Si quis v.g diceret; *Omnia poſſibilia ſunt ei, cui Dominus omnia poſſibilia facit per gratiam ſufficientem*; verum diceret: nec tamen exinde ſequeretur, talem voluiſſe aſſeverare, nulli aliquid eſſe poſſibile, niſi illi, cui Dominus aliquid poſſibile facit mediante eadem gratia ſufficiente: nihil minùs ſequitur: nam juxta pleróſque Theologos poſſumus exercere actiones moraliter bonas ex minutioribus abſque auxilio gratiæ efficacis. Igitur nequit concludi, Quenellum voluiſſe dicere, nulli aliquid poſſibile eſſe, quàm ei, cui Dominus aliquid poſſibile facit per ſuam gratiam, eò quòd dixerit: *Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis &c.*

Ad hoc reſpondetur; ſi ita ſit, hanc propoſitionem non involvere in ſeipsâ ſenſum illum pravum, qui ei attribuitur; ſaltem illum involvit per totum Volumen Quenelli, è quo fuit extracta hæc propoſitio; ibi enim ſenſus erroneus, de quo hìc agitur, centies deprehenditur: parum refert ſive loca illa immediatè ſibi invicem, & concatenatè ſuccedant, ſive ſint interpolata; ſufficit utique, errorem pro-

Digitized by Google

poſitioni *captioſa* imputatum ibi clarè exprimi ; quis enim ignorat , hanc artem hæreticis tritam eſſe , videlicet virus ſuum non in uno loco , ſed in diverſis evomere , ut callidiùs ſubterfugiant cenſuras Eccleſiæ : Hæc autem Eccleſia neſcit variationem , quam ei affingere ſtudent adverſarij ; hæc eſt , quæ ſemper afflata ſpiritu Dei, *qui nomina vocat rebus , quæ ſunt , ſicut quæ non ſunt ;* novit maximè inter ſe diſſita & apparenter diſperſa congregare , ad exponendum errorem à ſe profligatum in conſpectu omnium verè fidelium , quod ſæpius in decurſu hujus Analyſis annotabimus. Sed proſequamur monſtrando ſenſum propoſitionis.

Forſitan dices 2do. Propoſitionem veriſſima aſſerere : qui enim ſervat mandata per gratiam efficacem , utique ea ſervare poteſt; Philoſophis *ab actu ad potentiam valet conſequentia* , cur ergò cenſuratur propoſitio , quæ taliter & tam indubitata pronuntiat ?

Haud modicam difficultatem adumbrat hæc illatio ſuperficialibus ; oculatioribus verò non eſt ſolida , quòd optimè ſciant , propoſitionem Quenellinam non damnari ex vero , ſed ex falſo latente ſub ſpecie veritatis : quidquid ſit , manifeſtè patet , in rigore terminorum dici non poſſe , eos , qui *actualiter* ſervant mandata , eſſe in potentiâ ſervandi mandata.

Explico. Nemo negat , poſſe concludi , hominem potuiſſe operari , qui actualiter operatus eſt; negatur tamen , poſſe concludi , eum *actualiter* potuiſſe operari : potiùs contrarium concludendum eſſet , eum actualiter non potuiſſe operari , id eſt , eum actualiter non fuiſſe in potentià operandi , quia actualiter operatus eſt : actus enim & potentia reſpectu actûs ſunt omninò incompatibiles , ſeque excludunt mutuo , propemodum (comparatione ſenſibili,) inſtar Auroræ Solem excludentis , vel Solis Auroram excludentis : id ipſum applicemus gratiæ , quæ alternatim & actum & potentiam hominis exhibet ; ſi ſit ſufficiens , tunc oſtendit potentiam operandi bonum ; ſi ſit efficax , tunc exprimit ipſum actum , ſeu operationem bonam : Hæ duæ gratiæ non poſſunt ſimul ſtare eodem tempore , in eodem

ſubjecto, reſpectu ejusdem. Si habeam gratiam ſufficientem ad actionem bonam, necdum habeo efficacem, & quamprimùm eſt efficax, deſinit eſſe ſufficiens: quod idem eſt, ac ſi diceres, te necdum agere, dum habes potentiam agendi, & dum agis, te non amplius habere potentiam agendi, nec amplius poſſibilem dici poſſe illam actionem.

Quapropter valde impropriè loquimur, dicendo, *omnia eſſe poſſibilia ei, cui Deus omnia poſſibilia facit eadem operando in illo*: quamprimùm enim fit ipſum opus bonum à me, jam non mihi poſſibile eſt ſimultate & ratione veræ poſſibilitatis, ut ſcholis utar. Igitur propoſitio hic agitata eſt falſa, & abſurda, quemcunque ei conceſſeris ſenſum favorabilem. Verumtamen fatendum eſt, mox memoratum ſenſum ei neutiquam convenire ſine extrema violentia: credibile non eſt, Quenellum hac propoſitione nihil aliud intendiſſe, quàm quòd ille, qui agit bonum, poſſit agere bonum: nemo reſpexerit in Quenello humilitatem eóuſque depreſſam, ut voluerit frigidè & pueriliter reflectere, *illum poſſe agere, qui actu agit*. Et per conſequens hæc quarta propoſitio involvit ſenſum, quem ſupra inſinuavi, quique evidenter coincidit cum ſenſu propoſitionum antecedentium, ideóque meretur ijſdem qualificationibus cauteriari.

PROPOSITIO QUINTA.

QUando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

§. I.

Senſus naturalis propoſitionis damnatæ.

QUando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ *efficacis*, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt

niſi ad illud magis obdurandum; *exteriores non producunt ex ſeipſis alium effectum, quàm hunc, nimirum majorem obdurationem, neque alium poſſunt producere.*

Nihil tam æquivocum ac terminus gratiæ: cùm generaliter loquendo per terminum gratiæ intelligatur, quidquid Deus gratuitò concedit: ideò diſtinguitur in plures ſpecies propter plura & diverſiſſima dona ac benefacta, quæ recipimus à divina bonitate: diſtinguitur, inquam, in gratias naturales & ſupernaturales, interiores & exteriores; naturales ſunt illæ, quæ vocantur conſecutiones ſeu effectus creationis, non elevantes hominem ſupra exigentiam ſuæ naturæ, quales ſunt, liberum arbitrium, recta ratio perſpicacia intellectûs, bonitas, & naturalis moderatio cordis &c. Gratiæ ſupernaturales econtra ſunt illæ, quæ reſpiciunt ſalutem æternam, à Deo in hunc finem conceſſæ: gratiæ interiores ſunt intimæ illuſtrationes intellectûs, ſunt motiones reales voluntatis, hominem phyſicè ad bonum invitantes vel promoventes. Exteriores verò non attingunt immediatè interiora animæ, ab extrinſeco duntaxat præmonſtrant bonum practicandum, nóſque moraliter excitant ad illud amplectendum: tales ſunt; lex divina, prædicatio Evangelij, correctiones, bona exempla &c.

Duo craſſiſſimi errores inſurrexerunt contra hujusmodi gratias interiores, & exteriores: errores, inquam, qui licèt ſibi invicem opponantur contradictoriè, non tamen exin minùs digni ſunt cenſurarum. Primus eſt error Pelagianorum, qui ſuper ruinam & rudera deſtructæ gratiæ interioris naturam in altum excitabant, docebántque, poſſe homines ſolis adjutos gratijs exterioribus exercere, ſi velint, bonum ſupernaturale, & acquirere gloriam æternam. Secundus eſt error Lutheranorum & Calviniſtarum, qui ſuper ruinas & rudera demoliti arbitrij liberi erigebant gratiam, aſſerentes, ſine gratia interiore exteriores non ſolùm eſſe inutiles ad vitam æternam, ſed ex ſeipſis non inſervire niſi ad reddendam animam magis culpabi-

Digitized by Google

lem, magis peccaminoſam; in hoc conſiſtere earum proprium & naturalem effectum; ex intentione Dei eas non eſſe ad aliud ordinatas, nec aliud producere, nec poſſe producere.

Hoc ultimo modo loquitur Quenellus: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt niſi ad illud magis obdurandum.* Tria continentur, ſuntque obſervanda in hâc exoticâ propoſitione.

I.^mò. Quòd ſine gratia efficace gratiæ exteriores magis obdurent peccatorem.

2.^dò. Quòd non producant alium effectum, niſi majorem obdurationem.

3.^tiò. Quòd eam producant ex ſe ipſis, nec alium effectum producere poſſint. totum ex ordine probabimus.

1. Evidens eſt Quenellum hîc verſari circa gratiam efficacem: præterquàm enim quòd nullam aliam agnoſcat, niſi eam, quæ ſemper ſuum ſortitur effectum, inſuper loquitur de gratiâ, quæ cor emollit; ſola autem gratia efficax emollit cor: *Hæc gratia*, ait S. Auguſtinus, (*a*) *à nullo corde reſpuitur, ideóque tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Igitur Quenellus hoc loco ſermocinatur de gratiâ efficaci, unde præſens propoſitio eundem errorem complectitur, quem antecedentes, quibus Quenellus docet, ſine gratia efficace mandata Dei eſſe impoſſibilia. Quod majus eſt, dictus error hoc loco fortiùs & patentiùs exprimitur, cùm Quenellus non ſolùm dicat, ſine gratiâ efficace nos nihil poſſe, ſed ſine illâ nos fieri magis obduratos, magis impios, & peccaminoſos.

2.dò Evidens eſt, Quenellum aſſerere; gratias exteriores non alium producere effectum, niſi majorem obdurationem: reverà enim ſunt ſynonima, *non inſervire ad aliud, & non producere alium effectum*; idem enim ſignificant ſecundùm ordinarium uſum terminorum.

(*a*) lib. de prædeſt. Sanct. c. 8.

3.tiò. Etiam manifeſtè patet, Quenellum hîc velle dicère, gratias exteriores ex ſeipſis cauſare hanc indurationem: ſic enim argumentor. Vel gratiæ exteriores producunt obdurationem cordis per accidens, vel ex ſeipſis; non eam producunt per accidens, ergò ex ſeipſis. Concluſio eſt neceſſaria: igitur probo, gratias exteriores in ſyſtemate Quenelli non producere obdurationem per accidens. Solum accidens, ſive ut clariùs loquar, cauſa occaſionalis obdurationis eſt ſecundùm totam Theologiam gratia interior, quam peccator ex malitia reſpuit, propter quod Deus paulatim ſuas gratias retrahit fortiores, ac deinceps magis ac magis debiles elargitur: jam verò Qnenellus poſitivè excludit mox dictam gratiam interiorem aſſerendo, *ſine gratiâ interiore gratias exteriores non inſervire niſi ad magis indurandum.* Vel aliter & melius: Quenellus non admittit aliam gratiam, quàm talem, quæ emollit cor, & cui non reſiſtitur; ergò gratia illa, quæ non emollit, & cui ex malitia reſiſtitur, juxta ipſum non eſt cauſa occaſionalis indurationis; conſequenter gratiæ exteriores peccatorem obdurant ex ſeipſis.

Occaſio obdurationis, dicit hoc loco Author Hexapl. (*a*) eſt contemptus gratiarum exteriorum à peccatore commiſſus, quæ exteriores gratiæ inquit, *non inſerviunt niſi ad indurandum propter contemptum, quo in eas peccamus*: frivolum reſponſum! an ergò ignorat Author Hexapl. eſſe de fide, converſionem peccatori eſſe impoſſibilem abſque gratia interiore? an non ipſemet vult, ſine interiore gratia nullum poſſe à nobis exerceri bonum cujuscunque naturæ ſit, & quòd conſequenter non ſit in poteſtate peccatoris obediendi his gratijs exterioribus, eáſque non contemnendi? nunc autem quis comprehendat Deum ſummè bonum, ſummè pium velle hominem punire ſubtractione gratiarum eò, quòd homo non fecerit aliquid ipſi impoſſibile, & quidem punitione omnium terribiliſſimâ? tametſi forſitan Author Hexaplarum comprehendat paradoxum tam monſtruoſum, nunquam illud Eccleſia, verique fideles comprehendent: Multò magis, & econtra facillimè comprehendent Catholici,

(*a*) pag. 117, col. 5.

quòd dicere, *ſine gratia interiore ſemper connexa cum ſuo effectu gratias exteriores non inſervire niſi ad indurandum*, ſit rotundè docere cum hæreticis maximè deteſtabilibus, gratias exteriores obdurare ex ſeipſis & naturâ ſuâ; obdurare neceſſariò; hunc eſſe unicum earum uſum & effectum proprium, non inſervire ad alia, ne quidem poſſe ſervire ad alia.

§. II.

Conformitas propoſitionis damnatæ cum doctrinâ Hæreticorum.

Luther. ſup. ep. ad Galat. c. 5. Quò magis homines conantur ſatisfacere legi, eò magis eam violant.

Idem in præf. ad ant. teſt. Dicimus, legem eſſe bonam & utilem, verùm ad bonum uſum; videlicet ad cognoſcendas & *augmentandas ſpirituales transgreſſiones.*

Calv. l. 2. *inſtit. cap.* 5. §. 4. Quando Dominus deſtinat, & mittit verbum ſuum ad reprobos, *quamvis id non faciat pro eorum emendatione*, nihilominus id facit ad alium uſum, nimirum ut nunc premantur teſtimonio conſcientiæ, & tunc in die judicij ſint inexcuſabiles.

Idem lib. 2. *inſtit. c.* 7. §. 2. S. Paulus nos docet, quòd lex data ſit, ut violaretur, hoc eſt, *ut homines convicti, ſe mereri damnationem, humiliarentur.*

Idem eod. loco. §. 6. Officium & uſus legis in his tribus continetur. 1.mò. ut, cùm lex facit cognoſcere juſtitiam, id eſt illam ſolam, quæ Deo grata eſt, unumquemque noſtrûm moneat de ſuâ injuſtitiâ: ut ipſa hominem de hâc certificet, de hâc convincat, *ac tandem de hâc condemnet.*

Idem eod. loco §. 10. Secundùm officium legis eſt, augmentare peccandi deſiderium: quò plus enim peccatores ſeſe retinent, eò

Digitized by Google

plus eorum concupiſcentia animatur, & inflammatur, cùm ſint diſpoſiti omnia facere, niſi timor legis eos impediret.

Contr. Remonſt. in ſpecim. Amſtel. art. 52. Deus loquitur reprobis verbo ſuo; ſed ut magis ſurdi fiant: ipſos illuſtrat lumine ſuo, ut magis cæci fiant; ipſos docet, ut magis ſtupidi fiant: ipſis dat remedia, ut non ſanentur, *ſed ut magis ægroti reddantur.*

Janſen. tom. 3. *l.* 1. *c.* 8. Quapropter ille fallitur abſurdè, qui ſibi perſuadet, quòd lex data ſit Judæis in hâc intentione immediatâ, ut illuſtrati lumine mandatorum faciliùs evitarent peccata, quæ antea commiſerant contra legem naturæ; tantùm enim abeſt, quòd inſtitutio legis faciliorem reddiderit praxin juſtitiæ ex datâ cognitione, quid agendum vel evitandum, ut econtra *potiùs eam reddiderit difficiliorem, immò impoſſibilem*, ad inſtar muri, quem oppoſuit ejus obſervationi.

Idem eod loco. Nihil toties repetitur in ſcriptis S. Auguſtini, & veterum defenſorum gratiæ, quàm quòd lex malum facere prohibens *potiùs accendat, quàm ſuffocet peccandi deſiderium:* cupiditas quippe ſuppreſſa magis augetur, videnſque ſe privari pro ſemper bono illo deſiderato, ardentiùs cupit eo frui.

Idem eod. loco cap. 9. Si præcedens effectus legis videbatur homini carnali obſtupeſcendus, ſine dubio effectus ille de quo loquemur, magis ſtupendus videbitur, imò putabitur multùm accedere ad blaſphemiam, nec tamen Authoritas eorum, qui hoc docent, nos retrahit â prætensâ noſtrâ temeritate: tertius effectus legis in ſcripturis & antiquis patribus celeberrimus eſt, quòd non ſolùm non auferat, nec diminuat peccata, ignorantes inſtruendo, quâ ratione vivere debeant, *ſed quòd ipſos adhuc efficiat majores peccatores;* cujus rei duas in Auguſtino rationes reperio. Verùm ut meliùs id capias, obſervandum, neceſſe eſſe, ut homo carnalis legem recipiens (non enim hîc loquimur de hominibus ſpiritualibus & ſanctis, quibus Lex juxta Apoſtolum non fuit impoſita) neceſſe eſſe, inquam,

ut homo carnalis legem recipiens velit, vel nolit facere, quòd lex præcipit; qualiſcunque ſit ejus diſpoſitio, *ordinariè tamen graviùs peccabit, quàm ſi peccâſſet ſine lege:* reverà graviter peccabit, ſi nolit facere, quod lex ipſi præcipit; verùm periculoſiùs peccabit quando vult facere legem. Nunquid admirabilis Ethica Janſenianorum?

§. III.

Probationes Veritatis Catholicæ, quæ opponitur propoſitioni damnatæ.

Ex Ratione.

Obduratio eſt nolle miſereri: ex hâc definitione obdurationis, deſumptâ ex S. Auguſtino (*a*) inferunt Theologi duplicem cauſam obdurationis; una appellatur poſitiva, altera negativa. Poſitiva eſt ipſe peccator, qui reſiſtit gratiæ, quique in dies nova committens peccata magis ac magis ſe conſolidat in malitia: cauſa negativa eſt ipſe Deus, qui permittit obdurationem, quique ad puniendam peccatoris infidelitatem & malitiam eidem recuſat quaſdam gratias, quibus vel impedita vel ſuperata fuiſſet peccatoris obduratio.

Hoc poſito manifeſtum eſt, gratias exteriores non obdurare ullo ex duobus modis aſſignatis. 1.º non obdurant poſitivè; abſit enim, ut hominem in peccatum inducant, potiùs enim intellectum illuſtrant, ejus voluntatem moraliter ad bonum inflectunt. 2.dò Neque obdurant negativè; abſit enim, ut nos privent gratiâ interiore, potiùs favent ejus motionibus, eáſque fovent: ergò nullo modo obdurant gratiæ exteriores.

Adde, quòd ſi gratiæ exteriores non deſervirent niſi indurandis peccatoribus, non ultra liceret hortari ad converſionem aut pænitentiam, nec ipſis peccatoribus poſthàc conſultum aut permiſſum foret audire conciones, inſtructiones, recipere conſilia & correctio-

(*a*) L. 1. ad ſimpl. q. 2.

nes, intueri bona exempla, vel reddere &c. ex timore & periculo ne magis indurarentur, aut alios indurarent, & ſic culpabiliores evaderent.

Ex Scripturâ.

Pſalm. 18. *v.* 8. Lex Domini immaculata *convertens animas*, teſtimonium Domini fidele, *ſapientiam præſtans parvulis*: præceptum Domini lucidum *illuminans oculos*. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum &c.

Prov. c. 6. *v.* 23. Mandatum *lucerna* eſt, & lex *lux*; & *via vitæ* increpatio diſciplinæ.

Iſa. 28. 19. Tantùmmodò ſola vexatio intellectum dabit auditui.

Jerem. 23. 20. Propheta, qui habet ſomnium, & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè.... *nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis*, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?

Math. 5. *v.* 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, *& glorificent Patrem veſtrum*, qui in cælis eſt.

Idem. cap. 18. *v.* 15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audièrit, *lucratus eris fratrem tuum.*

Rom. 7. *v.* 7. Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? *abſit*: ſed peccatum non cognovi niſi per legem. & v. 12. 13. *lex quidem ſancta*, & mandatum ſanctum, juſtum & bonum: quod ergò bonum eſt, mihi factum eſt mors? *abſit.*

2. *Timoth c.* 3. *v.* 16. *Omnis ſcriptura* divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitiâ: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

Hæ ſunt utilitates, ſecundùm ſcripturas, quas gignunt gratiæ

exteriores, hi ſunt inſignes effectus, quos producunt: hic tandem eſt finis, in quem Dominus eas concedit, ut nimirum inſtruamur, ad bonum excitemur, cordis durities frangatur, Pater cæleſtis glorificetur, ut gratiæ iſtæ exteriores nos Chriſto lucrifaciant, nos ad omne opus bonum præparent. Doctrina immensùm differens à doctrinâ Quenelli.

Ex Patribus.

Iren. l. 4 *adv. hær. c.* 28. Moyſes in Deuteronomio ait: Hi ſermones omnes, quos locutus eſt Dominus ad omnem Synagogam filiorum Iſraël in monte: & adjecit & ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis: & dedit mihi propter hoc, *ut cuſtodierent præcepta*. ſi velint ſequi eum.

Id. ibid. l. 3. *c.* 13. Et ea, quæ eſt ſecundùm Moyſen lex, & gratia novi teſtamenti; utraque apta temporibus *ad utilitatem humani generis* ab uno eodem ſunt præſtita Deo.

Clem. Alex. l. 2. *Strom.* Quomodò autem non eſt bona lex, quæ erudit & caſtigat, & quæ data eſt *Pædagogus ad Chriſtum; ut dum per timorem caſtigationis ratione dirigimur, ad eam, quæ eſt per Chriſtum, perfectionem convertamur.*

Idem ibid. l. 7. Lex enim hæc ab alto data eſt, ut, *qui velit, eligat virtutem.*

Athan. de incar. Verbi Dei. Cùm ſciret Deus hominum imbecillitatem, etiam huic negligentiæ remedium prævidit; ut ſi quando negligerent ex ſui ipſorum intuitu Deum agnoſcere, poſſent ſaltem ex naturæ operibus opificem intelligere. Sed cùm paulatim negligentia hominum in pejus procederet, rurſus etiam huic infirmitati Deus conſuluit, *emittens ad eos legem & prophetas* ipſis familiares; ut ſi gravarentur in cælum ſuſpicere, *haberent de proximo doctrinam.*

Idem ibid. Poterant quoque ex legis inſtitutione à ſceleribus averti, & vitam ſecundùm virtutem vivere. Non enim

in Judæorum duntaxat gratiam lex illa introducta fuit, aut Prophetæ ad ſolos Judæos miſſi; ſed in hoc deſtinati, ut univerſi orbis Magiſtri, & Pædagogi eſſent.

Greg. Nazianz. orat. 1. Huic (ſpirituali medicinæ) ſcopus eſt, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deóque dare.. *huc Magiſtra lex tendit*, huc inter Chriſtum & legem interjecti Prophetæ, huc ſpiritualis legis Perfector, & finis Chriſtus.

Greg. Nyſſ. de Reſurrect. Chr. Orat. 1. Lex, quæ umbram continet futurorum bonorum, *unum ſibi in primis propoſitum habet*: nempe, ut per varia præcepta, & interdicta homo *ab immixto vitio purgaretur.*

Ambr. in Ep. 2. *ad Cor. c.* 4. Manifeſtum eſt, *majorem eſſe gratiam legis fidei, quàm legis Moyſis.* Quamvis enim *ad hoc* data ſit lex Moyſi, *ut prodeſſet*; contempta tamen facta eſt lex mortis.

Idem in Pſalm. 118. *v.* 93. Lex ſecundùm Apoſtolum *Pædagogus eſt parvulorum*, donec ad perfectæ fidei maturiorem quandam veniamus ætatem.

Idem in Luc. l. 3. *c.* 3. Quid ergò? lex inutilis? *abſit*: ſed utilis *incredulis*, infirmis neceſſaria, quæ lubricos & errantes *præcepti ſalutaris auſteritate* cohiberet, & obſervationum attentione concluderet.

Id. in Epiſt. 2. *ad Cor. c.* 4. *Rectè* ergò data fuerat lex, ut timor eſſet peccanti.

Idem in Ep. ad Rom. cap. 1. Lex à Deo data eſt *ad correctionem diſciplinæ.*

Id. ibid. cap. 10. Ex lege autem juſtificari *timor* facit: Timet enim legem, quia videt illam pœnam inferre peccantibus. Ideò *non magna juſtitia legis eſt*, nec meritum collocat apud Deum, *ſed tantùm præſens.* Fides autem, quia incredulis ſtultitia eſt, mercedem habet apud Deum, de quo, quod non videtur, ſperatur.

Digitized by Google

Id. in Luc. l. 6. c. 7. Si lex non fuiſſet, peccatum lateret: agnoſcendo peccatum veniam peto. *Per legem* enim genera peccatorum, prævaricationis quoque crimen cognoſco; *curro ad pænitentiam, gratiam conſequor.* Lex ergò *Author eſt boni*, quæ mittit ad gratiam.

Chryſ. in Ep. ad Rom. c. 6. Cùm dixiſſet ingentia fuiſſe exorta mala ex mandato accepto: Ne legem malorum hujuſmodi auctorem eſſe putes, prius illius defenſionem, & eam uberrimam adhibet, illam accuſatione non ſolùm liberans, ſed *maximam illi laudem texens*: Scimus enim, inquit, quòd lex ſpiritualis eſt; tantùm abeſt, ut peccati Author ſit, & malorum perpetratorum crimen ſuſtinere debeat &c. vide, ut non illam modò accuſatione liberet, *ſed & ſummè laudet*; ſpiritualem enim cùm appellat, *magiſtram illam virtutis eſſe declarat, & vitioſitatis adverſariam.* Nam hoc demum eſt ſpiritualem eſſe, ab omnibus abducere peccatis: id, *quod lex factitabat*, territans, commonefaciens, animadvertens, corrigens; denique omnia ea conſulens, *quæ ad virtutis ſtudium facerent*: dicet aliquis: Unde ergò peccatum extitit, ſi tam admirabilis tamque eximius præceptor? *ex diſcipulorum ignavia.*

Id. in Ep. ad Gal. c. 4. Quod dicit Apoſtolus: *Cuſtodiebamur incluſi*, nihil aliud ſignificat, quàm *tutelam ex legis præcepto adhibitam.* Lex enim timore veluti muro quodam continens illos, ac ſecundùm illam vivendi neceſſitatem conſtringens reſervabat illos fidei. Itaque lex Pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide juſtificaremur. *Ergò non eſt adverſa*: Pædagogus enim non adverſatur Præceptori, ſed adjuvat, arcens adoleſcentem ab omni vitio, reddens illum idoneum omni ſtudio percipiendi, quæ tradit Præceptor. Itaque ſi lex eſt Pædagogus, & ſub hoc cuſtodiebamur concluſi; *non adverſatur gratiæ, ſed adjuvat.*

Id. in c. 10. *Joan. hom.* 60 Nihil adeò ad ſapientiam animum præparat, ut calamitas, & tentatio, ut afflictiones. (en gratias exteriores.)

Digitized by Google

Id. in c. 21. *Math. hom.* 40. Sicut autem duram terram ferrum emolht, ſic & verbum Dei (gratia exterior) *duri.iam cordis relaxat.*

Id. hom. 1. *de Lazar.* Pone neminem noſtris dictis fuiſſe perſuaſum, quanquam id fieri nequaquam poteſt: nimirum ut ſermo in tam multas aures diſſeminatus vacet omni fructu: verumtamen pone iſtud eſſe: ne ſic quidem nobis nihil afferat lucri ſermo noſter; nam etſi ingreſſi ſunt cauponam, non tamen *cum pari*, quà ſolent, *impudentia.*

Hier. in Ep. ad Gal. l. 2. *c.* 14. Pædagogus parvulis aſſignatur, ut laſciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera ſtudiis eruditur infantia, & ad majores Philoſophiæ, & regendæ Reipublicæ diſciplinas metu pœnæ coërcita præparetur. Itaque & Moyſis lex populo laſcivienti ad *inſtar Pædagogi ſeverioris* appoſita eſt, *ut cuſtodiret eos, & futuræ fidei præpararet.*

Aug. de utilit. cred. c. 3. Lex utilirer eſt data; quòd homines, qui revocari à peccatis non poterant, *tali lege coërcendi erant, pœnarum ſcilicet iſtarum minis, atque terroribus.*

Id. l. 2. *qq. in Exod. c.* 55. Eodem ſpiritu Dei, quo lex in tabulis lapideis conſcripta eſt, timor eſt incuſſus eis, qui gratiam nondum intelligebant, ut de ſua infirmitate, atque peccatis per legem convincerentur; *& lex illis fieret Pædagogus*, à quo perducerentur ad gratiam, quæ eſt in fide Chriſti Jeſu.

Id. ſerm. 25. *in pſal.* 118. Lex ad hoc *prodeſt*, ut mittat ad gratiam.

Id. Pſalm. 59. Bona eſt lex, inquit Apoſtolus, ſi *quis legitimè utatur.* Illæ autem filiæ Loth non benè uſæ ſunt Patre ſuo. *Quomodo autem naſcuntur bona opera, cùm quiſque lege benè utitur;* ſic naſcuntur opera mala, cùm lege quiſque malè utitur.

Id. in pſalm. 57. Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc eſt, quod antequàm lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt: ſed *ne ſibi*

Digitized by Google

homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt in tabulis, quod in cordibus non legebant. Appoſitum eſt oculis eorum, quod in conſcientia videre cogerentur; & quaſi forinſecùs admota voce Dei ad interiora ſua homo compulſus eſt. Sed *quia* homines appetentes ea, quæ foris ſunt, etiam à ſe ipſis exules facti ſunt, *data eſt etiam conſcripta lex*: Non quia in cordibus ſcripta non erat; ſed quia tu fugitivus eras cordis tui ab illo, qui ubique eſt, comprehenderis, & ad te ipſum intrò revocaris. Propterea ſcripta lex quid clamat eis, qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus ſuis? *Redite prævaricantes ad cor.*

Idem in pſalm. 123. Solent enim omnes hæretici maximè Manichæi reprehendere legem & dicere, quia Deus illam non dedit. Exponendus eſt locus iſte ut cognoſcatur, quia & legem Deus dedit, & lex per Moyſen data eſt, *ut nos ſalvaret.*

Idem de grat. Chr. c. 13. Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt; certè ſic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, *non ſolùm* per eos, qui plantant & rigant intrinſecùs: ſed etiam per ſe ipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus. *Reſ.* Igitur gratiæ exteriores faciunt aliquid, cùm S. Aug. dicat *non ſolùm. &c.*

Id. de Cor. & Grat. c. 5. Dolor quippe ille, quo ſibi diſplicet, quando ſentit correptionis aculeum, *excitat eum in majoris orationis affectum*; ut Deo miſerante, incremento charitatis adjutus deſinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda.

Idem ibid c. 6. Qui ſine correptione compunctus ſalubriter ingemit, & ad ſimilia bona opera, vel etiam meliora revertitur; nempe hic apertiſſimè *utilitas correptionis apparet.*

Cyril. Alex. in Evang. Joan. l. 9. *c.* 23. Nec Moſaicam legem *inutilem fuiſſe* putamus, ſed non conſummatè inde nobis bonum allatum contendimus. Præparatio enim quædam fuit ad Evangelium, figuris atque umbris *ad veram nos pietatem* inſtruens,

Greg. mag. Paſtor. 3. *part. c.* 28. Nec tamen ſuperbientem Deus deſeruit, qui *ad revocandum hominem* legem dedit.

Idem lib. mor. c. 37. Mens noſtra cæleſti diſciplinæ ſuppoſita, dum correptionis flagella (gratiam externam) recipit, à ſocietate carnalium *mundior recedit.*

Anſel. in Epiſt. ad Rom. c. 6. Data eſt lex ad oſtendendum, quantis peccatorum vinculis conſtringerentur, qui de ſuis viribus ad implendam juſtitiam præſumebant: & ideò peccata non minuit, ſed adjecit: Non tamen *propter hunc finem data eſt*, ſed ex hominum pravitate hoc contigit.

Bern. Serm. 24. *de diver.* Primùm quidem ſonans in auribus animæ vox divina (gratia externa) conturbat, terret, dijudicátque; ſed continuò, ſi non avertis aurem, *vivificat, liquefacit, calefacit illuminat, mundat....* Audiat illud peccator, & conturbabitur venter ejus: à voce illa carnalis anima contremiſcit.

D. Thom. 1. 2 *q.* 107. *a.* 2. *c.* Finis cujuscunque legis eſt, ut homines efficiantur juſti & virtuoſi... Unde *& finis veteris legis erat juſtificatio hominum.*

Id. 1. 2. *q.* 98. *a.* 2. *c.* Lex vetus homines ad Chriſtum ordinabat dupliciter: Uno quidem modo teſtimonium Chriſti perhibendo.... Alio modo *per modum cujuſdam diſpoſitionis*; dum retrahens homines à cultu Idololatriæ, concludebat eos ſub cultu unius Dei, à quo ſalvandum erat humanum genus per Chriſtum.

Idem 1. 2. *q.* 99. *a.* 6. *c.* Lex vetus per temporales *promiſſiones, & comminitationes manuducebat homines ad Deum*, qui temporalibus & terrenis affecti erant.

Id. 1. 2. *q.* 100. *a.* 12. *c.* Manifeſtum eſt, quòd *præcepta legis juſtificabant*, in quantum ſcilicet diſponebant homines ad gratiam Chriſti juſtificantem; quam etiam ſignificabant.

Id. 1. 2. *q.* 107. *a.* 1. *c.* Dicendum, quòd ſecundùm primum

Digitized by Google

modum lex nova non eſt alia à lege veteri : *quia utrinſque eſt unus finis* , ſcilicet ut homines *ſubdantur Deo.*

De imit. Chr. l. 1. *c.* 3. Bonum eſt, quòd patiamur, & quòd malè , & imperfectè de nobis ſentiatur.... iſta (gratiæ externæ) ſæpè *juvant ad humilitatem* , & à vana gloria nos defendunt.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* Scripturæ & Patres docent , legem ſuperveniſſe , ut peccatum plus abundaret ; quòd hæc lex occidat, quòd iram operetur , concupiſcentiam augmentet , & pruritum prævaricandi : imò S. Auguſtinus non timet eloqui , legem ſcriptam non potuiſſe in Judæis aliud operari , niſi violationem legis : ergò verum eſt , *gratias exteriores non deſervire niſi ad magis obdurandum peccatorem.*

Reſp. Divus Thomas (*a*) ad amuſſim reſolvit hoc dubium. ejus reſponſio ſit etiam noſtra. „ Ad ſecundum dicendum , quòd lex dicitur „ occidiſſe, non quidem effectivè , ſed occaſionaliter ex ſua imperfectio„ ne , in quantum ſcilicet gratiam non conferebat , per quam homines „ implere poſſent , quod mandabat , vel vitare , quod vetabat , & ſic „ occaſio iſta non erat data , ſed ſumpta ab hominibus. Unde & Apo„ ſtolus ibidem dicit , *occaſione accepta peccatum per mandatum* „ *ſeduxit me , & per illud occidit.* Ex ratione etiam dicitur , quòd „ lex ſubintravit , ut abundaret delictum , ut ly *ut* teneatur conſecuti„ vè , non cauſaliter , in quantum ſcilicet homines accipientes occaſio„ nem à lege , abundantiùs peccaverunt : tum quia gravius fuit pecca„ tum poſt legis prohibitionem : tum etiam quia concupiſcentia crevit, magis enim concupiſcimus , quod nobis prohibetur. „ Ergò falſum eſt peccatores , propriè loquendo , indurari per legem aliáſque gratias exteriores : falſum eſt has gratias ad nihil aliud deſervire ; obdurationem eſſe earum effectum naturalem , earumque uſum & officium , ut vult Quenellus cum cæteris hæreticis ; nam ſecundùm Angelicum Docto-

(*a*) 1. 2. q 98. a. 1. ad 2.

rem lex ne quidem occaſionem peccandi præbet; homo ipſemet occaſionem peccandi ex ea capit contra ejus uſum & finem proprium, inſtar araneæ ex ſelectiſſimis floſculis & ſaluberrimis herbis venena ſua colligentis.

2. *Object.* Scripturæ & Patres rurſum dicunt, legem datam eſſe, ut cognoſcamus peccatum; ut homines ſuæ infirmitatis argumentum haberent; ut de ea convicti cogerentur recurrere ad gratiam Liberatoris: alij Patres ſuperaddunt, legem datam eſſe hominibus, ut ex ea confundantur, humilientur, condemnentur; ergò ſecundùm Patres hic eſt finis naturalis, uſus & effectus proprius legis, aliarúmque gratiarum exteriorum.

Reſp. Agens rationale poteſt operari idem ex diverſo motivo: itaque univerſa hæc motiva ſtabiliendi legem non excludunt motivum eſſentiale, & finem principalem à Domino Deo ſibi propoſitum, eam ferendo: eſt autem hic finis principalis, hoc motivum eſſentiale apud S. Auguſtinum, ut intellectus humanus illuminetur, ut lex divina ſit Cynoſura & regula exponens legem naturæ, ſignatam in tabula carnea cordis; vel prout loquitur S. Hieronymus & S. Thomas, eſt data, ut præparentur Judæi ad adventum Meſſiæ & fidem futuram; ut fræno timoris reprimeret eorum paſſiones, eóſque conſervaret in ſervitio & cultu veri Numinis.

3. *Object.* S. Auguſtinus explicitè docet, eos, qui audiunt, & legunt doctrinam ſacram Scripturarum, ſine gratia exinde pejores fieri, ac deficiente gratia cognitionem noſtræ obligationis ex lege hauſtam plus proficere ad violandam quàm ſervandam legem: item, quòd lex plus detrimenti, quàm emolumenti afferat; nunquid Quenellus in ſua propoſitione ampliora loquitur?

Reſp. S. Auguſtinum non aliò tendere, quàm probare neceſſitatem gratiæ contra Pelagianos, volentes cognitionem legis ſufficere, ut eam ſerves: jam verò S. Doctor non efficaciùs probare poterat hoc falſum eſſe, quàm docendo, cognitionem legis tam parùm ſufficere ad ejus obſervantiam, ut, niſi eam ſervemus per gratiam

Chriſti, non tantùm cognitio illa nihil nobis profutura ſit, ſed quòd à contrario nos pejores efficiat, judicium & condemnationem augeat: non quaſi lex ex ſeipsâ effectum adeò funeſtum producat, ſed quòd ex eâ ſumamus occaſionem ruinæ, perditionis & judicij.

• Dicet Author Hexaplarum: Quare non ſumuntur verba Quenelli in ſenſu S. Auguſtini, cùm ſint ſimillima verbis S. Auguſtini? *Reſp.* hoc ideò fit, quòd propoſitio, quæ eſt Catholica in ore Patris Eccleſiæ, ſit econtra juxta eundem S. Auguſtinum (*a*) hæretica in ore Novatoris, qui manutenet principia, principijs cujuſdam S. Patris ex adverſo oppoſita: principia, quibus præventus eſt Quenellus, quæque conatur inſinuare hac ipſa propoſitione, in eo conſiſtunt, quòd non detur gratia niſi efficax, *cor emolliens*, & quòd abſque hac gratia *non ſolùm nihil fiat, ſed nec fieri poſſit*; unde neceſſariò ſequitur, prout ſuprà monſtratum eſt, gratias exteriores, deficiente gratia efficace, non inſervire ex ſeipſis & natura ſua, niſi ad magis obdurandum cor hominis; quòd hæc *obduratio major* ſit proprius & naturalis earum effectus; quòd alium procreare nequeant; tandem, quòd hæ gratiæ exteriores ſint illæ ipſæ, quæ præbeant & præſentent modo prorſus inevitabili peccatoribus occaſionem peccati; eò quòd non ſint concomitatæ ullâ gratiâ, quâ peccator valeat bonum per illas propoſitum exequi.

Toto cælo diſtat ab hoc ſyſtemate Quenelli doctrina S. Auguſtini: Magnum chaos inter hunc & illum. S. Doctor tot locis, tótque clariſſimis expreſſionibus mentem ſuam aperit circa exiſtentiam gratiæ ſufficientis omnibus conceſſæ ad ſervanda mandata, ad conſequendam ſalutem, ut nefas ſit ultra dubitare quid ſenſerit; adeóque cùm dicit, *legem non inſervire niſi ad reddendos nos magis culpabiles; quando non ſervamus eam mediante gratiâ efficace*, haud ægrè percipitur, eum nolle affirmare, hunc eſſe proprium & naturalem legis effectum, ſed nos ipſos eſſe in causâ, utpotè ſumentes anſam peccati ex lege contra finem naturalem legis, reſi-

(*a*) lib. de geſt. Pelag. c. 2.

Digitized by Google

ſtendo videlicèt gratiis ſufficientibus ſive proximis, ſive remotis, quibus lex ejúſque obſervantia continuò ſtipata meritò præſumitur.

§. V.

Qualificatio propoſitionis damnatæ.

HÆc propoſitio, qualiter extat in Quenello, patet ut falſa, ſcandaloſa, malè ſonans, & piarum aurium offenſiva.

1. *Falſa eſt*: quanquam enim verum ſit, gratias exteriores non poſſe ſolas efficere converſionem peccatoris; nihilominùs indubitatum eſt, Deum illis uti in favorem & adjutorium operationis gratiæ interioris, quia proprius ac naturalis earum effectus & finis eſt, nos ad bonum flectere; lex regulat noſtram vivendi methodum, prædicatio monſtrat hanc legem eámque explanat, exhortationes conſcientiæ remorſus acuunt, correctiones in ſe reverti compellunt, bona exempla ſacram æmulationem excitant, afflictiones nauſeam temporalium creant &c.

2do. Hæc propoſitio *ſcandaloſa eſt*; peccator enim perſuaſus, gratias exteriores ad nihil inſervire, quàm ad majorem indurationem & accumulanda crimina, deinceps averſabitur lectiones ſacras, acceptionem correctionis; non guſtabit bona exempla, nec frequentabit aſſiſtentiam Catecheſibus, inſtructionibus, concionibus &c. Mancipium corruptionis ac traditus in ſenſum induratum cordis expectabit tranquillitate imperturbatâ gratiam Quenellinam, quæ cor *emolliat*: quam tamen gratiam nunquam recipiet, niſi prævié ſe diſponat per opera bona.

3tio. Hæc propoſitio eſt *malè ſonans*; quamvis enim verum ſit in certo ſenſu, nimirum S. Auguſtini, quòd ſine gratiâ efficace exteriores gratiæ ad nihil inſerviant niſi ad majorem indurationem; attamen manifeſtum eſt, hanc propoſitionem intellectui præmonſtrare ideas exoticas, contrariantes communi modo loquendi inter ſcholaſticos.

Digitized by Google

4to. Eſt *offenſiva piarum aurium*; quis enim homo pietatem colens abſque indignatione poterit audire, gratias exteriores, cùm ſint dona Dei, non eſſe opportuna niſi ad malum?

§ VI.
Alij errores contenti in damnata propoſitione.

Dicere, quòd, ſi Deus cor non emolliat unctione interiore gratiæ ſuæ, gratiæ exteriores non inſerviant niſi ad magis indurandum, præter jam allata inſinuat. 1. ſine gratia efficace nihil fieri, nec fieri poſſe. 2. ſine tali gratia omnes actiones eſſe peccaminoſas: res patet, nec indiget explanatione.

Verùmtamen non oberit hic notare, quòd Quenellus hac ſua propoſitione paulatim incipiat ſtatuere unum ex principaliſſimis ſuis principijs, ex quo præſens propoſitio neceſſariò oritur; ſcilicet liberum hominis arbitrium non verè & liberè concurrere ad operationem gratiæ: ſemel enim poſito principio, arbitrium humanum gratiæ non cooperari, ſequitur infallibiliter, gratias exteriores eſſe inutiles; nam totus effectus, quem tandem poſſent producere, foret excitatio liberi arbitrij ad conſenſum cum gratia; cùm autem penès Quenellum gratia in voluntate hominis agat neceſſariò, eò quòd homo non ſit liber, ut ſe determinet ſub motione gratiæ; hinc evidens eſt, ad nihil inſervire gratias exteriores, vel ſi fortè ad nonnihil inſerviant, id eſſe ad majorem indurationem, ut vult Quenellus, & hoc ideò, quòd tribuant cognitionem boni impracticabilis & impoſſibilis.

Totum hoc clariùs eluceſcet in Analyſi cæterarum propoſitionum huc ſpectantium: interim videbatur non abs re, ſi per tranſennam Lectori monſtrarem, quàm ſint concatenatæ propoſitiones Quenellinæ inter ſe, & quàm monſtruoſum corpus doctrinæ conficiant, cujus partes & membra, tametſi appareant ſeparata, furtivis tamen juncturis coaleſcunt.

Digitized by Google

PROPOSITIO SEXTA.

QUantum Diſcrimen, ô mi Deus! inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt; utrumque pro conditione habet fugam peccati, & impletionem legis: in Judaico Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in Chriſtiano verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.

PROPOSITIO SEPTIMA.

QUÆ utilitas pro homine in veteri fædere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? quæ verò felicitas non eſt admitti ad fædus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

PROPOSITIO OCTAVA.

NOs non pertinemus ad novum fædus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

§. I.

Senſus naturalis propoſitionum.

INgens diſcrimen eſt inter fædus Chriſtianum & Judaicum, *eò quòd* utrumque pro conditione habeat, ut peccato renuntietur, & lex adimpleatur. Verùm in Judajco fædere Deus exigit fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia, *abſque largitione ullius gratiæ ſufficientis ad obſervantiam*

legis: èconträ in fœdere Chriſtiano Deus peccatori dat, quod jubet, illum purificando per gratiam *efficacem.*

Nulla utilitas pro homine in veteri fædere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati *abſque ullâ gratia*, imponendo ipſi ſuam legem: verùm *ingens* utilitas eſt admitti ad fœdus, in quo Deus *per ſuam gratiam efficacem* nobis donat, quod petit à nobis.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantùm participes ſumus ipſius novæ gratiæ *ſemper efficacis*, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

Nemo Catholicorum unquam non vidit, ingens intercedere diſcrimen inter novum & antiquum fœdus propter inſignes utilitates, quibus novum veteri antecellit. Utilitates, reſpectu inſtitutionis fœderum: Illud enim per Moyſen erectum eſt, qui legem tabulis lapideis digito Dei inſcriptam Hebræis tradidit; Novum verò dedit Unigenitus Dei Filius, qui Spiritûs Sancti gratiâ legem ſuam inſculpſit in tabulis carneis humanorum cordium. Utilitates, reſpectu finis intenti in inſtitutione utriuſque fœderis; primum enim datum eſt, ut homines diſponerentur in adventum Meſſiæ, ac fræno timoris cohiberentur in cultu Veri Dei; ſecundum verò datum eſt, ut frueremur Deo per amorem. Utilitates, reſpectu modi Deo ſerviendi, eúmque colendi: Vetus enim fœdus *pauciſſimis cæremoniis exterioribus proviſum* gravatum innumeris fermè cæremonijs, iiſque difficillimis ſerviebat Deo per cultum magis externum; èconträ verò novum fœdus pauciſſimis cæremonijs exterioribus proviſum adorat Deum in ſpiritu & veritate per charitatem, ad quam omnia Dei mandata referuntur. Utilitates tandem, ex parte gratiarum: Moſaicum enim fœdus utpote ſancitum à puro homine fragili & impotente nullam ex ſeipſo contribuebat gratiam ad praxin legis injunctæ, & ad fugam transgreſſionis prohibitæ; Chriſtianum verò, utpote inſtitutum à Deo-Homine, & Authore gratiæ, ſuccurrit fidelibus cum abundantia gratiarum ad perfectè ſervandam legem.

Ex hac ultima utilitate Sectarij noviſſimis his diebus ſumpſerunt anſam abſurdiſſimè errandi circa diſcrimen utriuſque fœderis: cæcâ enim ſuâ ſectâ, quæ nullis arctatur finibus, præcipites arbitrantur, nequaquam ſufficere ad majorem novi fœderis dignitatem, ſi dicas, antiquum fœdus nullam tribuiſſe gratiam ex ſe ipſo, ſed omnes ejus gratias defluxiſſe à Chriſto, illius umbris & figuris præſignato: ſed inſuper volunt dicendum eſſe, quòd Judæi ſub lege omni prorſus gratiâ caruerint, quòd Deus ab ipſis exigens fugam peccati & implementum legis reliquerit eos propriæ infirmitati, quòd eos deſeruerit in impotentia obſervantiæ: Exinde inferunt impietate intollerabili, Deum non dediſſe legem Hebræis ad fugam mali, & exercitium boni per legem indicati, ſed èontra dediſſe legem, ut difficiliorem redderet fugam mali, & praxin boni, ut numerum & pondus peccatorum aggravaret, ut pejores evaderent, & magis inexcuſabiles.

Puto, neminem hæſitare utrum Quenellus hoc dogma tenuerit in ſuis tribus propoſitionibus hìc præfixis. Ejus Apologiſta non audet eum deſuper excuſare; potiùs amat confirmare ejus eloquia.

„In primo fœdere, inquit, (*a*) homo agnoſcebat voluntatem „Dei; ſed juſto judicio mancipatus propriæ ſuæ infirmitati, & cor„ruptioni cordis noluit eam adimplere, vel duntaxat eam adimple„bat extrinſecùs, ſpe mercenariorum, & timore ſervili mancipiorum „.... Hìc nota, quòd talis obſervantia tam Apologiſtæ, quàm Quenello ſit verum peccatum, ut deinceps videbimus. Sed pergit Author Hexapl. „In ſecundo fœdere, inquit, Deus conjun„git præcepta cum gratiâ potente, quæ ſanat corruptionem cordis, „ac perficit implementum legis ex motivo amoris... talis eſt ſen„ſus naturalis harum propoſitionum, includentium doctrinam S. Pau„li omniúmque Patrum Eccleſiæ, & quæ per conſequens nunquam „juſto judicio damnari poſſunt „.... Igitur conſtat ex conceſſione Authoris Hexapl. allatas propoſitiones à Papa damnatas eſſe in earum ſenſu proprio & naturali: non plùs petunt Catholici; inde pe-

(*a*) Author Hexapl. pag. 97, col. 5.

Digitized by Google

nitùs perſuaſi ſunt, jam non licere aſſerere, Hebræos ſub lege veteri nullam habuiſſe gratiam ſufficientem ad ſervanda mandata, & ſalvandas animas.

Sed audiamus & videamus, quid ergò penes Authorem Hexaplarum cenſurâ dignum ſit quoad fœdus antiquum: „ Cenſurâ dignum fuiſſet, ait Author Hexapl. „ ſi Quenellus voluiſſet renovare „ hæreſin veterum Manichæorum; ſi cum illis teneret, legem ex ſe„ ipsâ malam eſſe; ſi doceret, nullum extitiſſe juſtum, nullum „ electum tempore Moyſis & Prophetarum: Verùm non labo„ rat Quenellus quoad hoc; faciliter ſe defendit: docet enim, legem „ in ſeipsâ eſſe bonam legem; homini non eſſe nocivam niſi ex de„ pravatione cordis; extitiſſe juſtos & ſanctos tempore Moyſis & „ Prophetarum. „

Quid concludendum ex hâc Apologiâ? nihil aliud, quàm Quenellum non eſſe magis hæreticum, ac quemlibet Calvinianum & Lutheranum rigidiſſimum, qui æquè docent, quòd, quamvis Judæi generaliter loquendo nullas ſub lege habuerint gratias ſufficientes ad implementum legis, nihilominùs inter ipſos extiterint nonnullæ animæ ſelectæ, quibus Deus ſpeciali favore gratias ſpeciales conceſſerit: ex tali numero fuerunt Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moyſes, David &c. Prophetæ, alijque, quorum nomina Deus novit: adeòque Quenellus ſuis aſſertionibus ab Apologiſtâ allatis non juſtificatur, nec differt à cæteris ſectarijs.

Quòd verò Quenellus dicat, legem ex ſeipsâ bonam eſſe, non ſequitur, eum quoad hoc innocentem eſſe, cùm id pronuntiet in ſenſu non magis Catholico, quàm hæretici, quorum principia tam clarè adoptat. In quo ergò ſenſu vult legem eſſe bonam & utilem? Reſpondet Quenellus: (*a*) *Bona eſt lex propter obligationes, quas præſcribit ſive reſpectu Dei, ſive reſpectu proximi, ſive reſpectu noſtri:* non verò bona & utilis eſt reſpectu illorum, quibus præſcribit obligationes: cùm enim hæc lex nullam tribuerit gratiam, nec homines aliam aliunde receperint, ideò impoſſibile erat ſervare

(*a*) in Rom. 7. 12.

has obligationes, & non peccare. Quâpropter juxta Quenellum lex non eſt bona, nec utilis niſi in quadam abſtractione Metaphyſica; eſt verò mala & pernitioſa in ejus applicatione, quia, cùm nullæ gratiæ eam comitentur, data non eſt, ut ſervetur, ſed multò magis ut violetur, & ut per conſequens Judæos pejores redderet, colla eorum humiliaret, & capita condemnaret. Hæc eſt elegans Theologia Quenelli, omniûmque Sectariorum, quorum veſtigia premit ſtudioſâ fidelitate.

§. II.

Conformitas propoſitionum damnatarum cum doctrinâ Hæreticorum.

Luther. ſup. ep. ad Galat. c. 3. Lex nobis ſpiritualiter oſtendit peccatum, nos terret, nos humiliat: *ecce totum uſum, & proprium uſum legis.*

Idem in praf. ſup. ant. teſt. Lex nihil aliud efficit *in vero ſuo uſu*, quàm facere ut cognoſcatur peccatum, quàm operari iram, & perterrere homines; ita ut non valde elongentur à deſperatione.

Calv. ant. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Sequitur ergò, quòd lex armet Dei iram in peccatorum perditionem, *quia ex ſeipsâ nihil poteſt, quàm accuſare, condemnare, & perdere.*

Kemnit. Exam. conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 18. Tempore promulgationis legis populus dicit: faciamus totum, quod Deus dixit; ſed Deus volens deſtruere hanc falſam perſuaſionem promulgavit legem ſuam ſub figurâ tam terribili, ut dixerint toti attoniti: *non audiamus ultra vocem Domini, ne moriamur.* Et cùm petiiſſent, ut Moyſes eſſet eorum Mediator, & Moyſes reſpondiſſet, quòd ipſemet eſſet exterrefactus; Deus repetijt promiſſionem factam de Meſſiâ & doctrinâ Evangelij, & dixit, *Benè locuti ſunt. verùm quis ipſis inſpiravit cogitationem iſtam, ut crederent, quòd poſſent cu-*

Digitized by Google

ſtodire cuncta mandata mea omni tempore? Sacer textus ſic habet: *benè omnia ſunt locuti: quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea omni tempore, ut benè ſit eis & filijs eorum in ſempiternum?* Deut. 5. v. 29. judica Lector de Kemnitio.

Contr. Rem. in ſpecim. Amſtelod. a. 57. Judæi quibus prædicabat Chriſtus nec poterant ſe convertere, nec credere in eum, nec Deus unquam ipſis dedit *unicam gratiam ſufficientem* ad converſionem & aquiſitionem ſalutis æternæ.

Gomar ſuper cap. 23. *S. Math.* Quod objiciunt, Judæos non obedaviſſe legi extrinſecùs datæ per miniſterium Angelorum, & quòd ſic per inobedientiam reſtiterint divinis mandatis: unde concludunt, quòd Deus ipſis dederit legem ex intentione, ut eam obſervarent. *Hoc falſum eſt, ſi agatur de reprobis.* Et id, quod inſuper dicunt, nimirum certum eſſe, ſpiritum ſanctum ex ſuâ parte feciſſe quidquid neceſſarium erat, & pro eorum converſione ſufficientiſſimum, item pro converſione ſuorum parentum, *prorſus frivolum eſt.*

Janſ. tom. 3. *l.* 1. *cap.* 11. Intentum Dei dando Judæis legem, non erat, *ut per gratiam ſufficientem* viverent benè, cuſtodiendo hanc legem; quòd enim hoc necdum poſſent, benè prævidebat Deus: ſed ut ex multitudine peccatorum & magnitudine prævaricationum, quas Dominus prævidit ſequuturas ex lege, & quam implere non poterant, ſuperbia eorum humiliaretur.

Idem tom. 3. *l.* 3. *c.* 7. Homines, qui vivebant ſub antiquâ lege, *nec unicam habebant gratiam ſufficientem ad obſervandum ullum præceptum*, ſed potiùs gratiam, quæ ipſos impedivit ab obſervantiâ præceptorum: (intellige; habebant gratiam legis externam, & quæ juxta Janſenium eſt obſtaculum obſervantiæ legalis.)

Idem eod. loco. c. 5. Erat ſtatus quidam ſub lege; id eſt, ante adventum Salvatoris, in quo univerſim *omnes homines*, pauco numero excepto, nullam recipiebant gratiam ſufficientem, ad explen-

dum, quod ipſis erat præceptum: multò minùs recipiebant *gratiam ſufficientem* ad ſalutem: imò èontra hujuſmodi gratia fuiſſet *capitaliter oppoſita* inſtitutioni legis, & intentioni divinæ.

§. III.

Probationes Veritatis Catholicæ, quæ opponitur propoſitionibus damnatis.

Ex Ratione.

TAmetſi jam probaverim exiſtentiam gratiæ ſufficientis conceſſæ omnibus hominibus ad ſervandam legem, & ſalvandas animas, opportunum tamen erit hic afferre rationes, & authoritates, quæ ſpeciatim Judæos concernunt.

Gratia fuit abſolutè & neceſſariò jungenda legi ad aſſequendum finem, quem ſibi Dominus condendo legem præfixerat: ergo indubitatum eſt, legem fuiſſe concomitatam cum aliquâ gratiâ; qui enim rationabiliter vult finem, vult quoque ad finem conducentia media: finis à Deo intentus, cùm legem Hebræis daret, ſecundùm S. Hieronymum, & D. Thomam fuit, ut ſervando legem moderarent ardentes ſuas paſſiones; ut revocarentur ab idololatria; ut adhærerent cultui unius, ac veri Numinis, ut ſic diſponerentur ad adventum Meſſiæ, & fidem futuri Evangelij: Atqui certum eſt, legem haud potuiſſe recitatos effectus producere ſine ſuccurſu & concurſu gratiæ: ergò Deus dando legem ſimul dedit & gratiam, ſine qua lex non produxiſſet effectus à Deo intentos in conſtitutione legis.

Ex Scriptura.

Iſai. 5. 4. *Quid ultra* debui facere vineæ meæ, & non feci? an quòd *expectavi, ut faceret uvas*, & fecit labruſcas?

Iſai. cap. 65. v. 2. *expandi manus meas* totâ die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.

Ezech.

Ezech. 18. v. 32. Et quare moriemini domus Iſrael? *quia nolo mortem morientis*, dicit Dominus Deus; revertimini & vivite.

Oſe. cap. 13. v. 9. Perditio *tua Iſraël*; tantummodò in me auxilium tuum.

Math. 23. 37. *Quoties volui congregare* filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas?

Luc. c. 18. v. 21. *Hæc omnia cuſtodivi à juventute meâ.* *Reſ.* Utique juvenis ille Evangelicus non cuſtodivit omnia mandata ſine gratiâ.

Act. cap. 7. v. 51. Durâ cervice & incircumciſis cordibus, *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*; ſicut Patres veſtri, ita & vos.

Reſ. Si Judæi reſtiterunt Spiritui Sancto, certè habuerunt gratias ſufficientes: niſi velis cum Janſenio dicere; Deum quaſi ad ſpectaculum Theatricum luſiſſe cum Judæis.

Ex Patribus.

Orig. de princip. l. 1. *c.* 1. Si populus meus audiſſet me: Iſraël ſi in vijs meis ambulâſſet, in nihilum utique inimicos ejus humiliâſſem: per quod oſtendit, *quòd erat in populi poteſtate* audire & intercedere in vijs Dei.

Ambr. in pſalm. 96. Reddidit ergò Eccleſia, quam accepit à Domino pecuniam charitatis, ſed *Synagoga non reddidit*: Ideóque Judæis dicitur: *ſi non veniſſem &c.* Probatum eſt ergò, quia *mutuati ſunt peccatores*, & non ſolverunt. Peccator igitur eget ſemper; juſtus autem abundat, & tribuit, cujus dives eſt conſcientia: Ideóque Judæi *in ſuis divitijs eguerunt.*

Id. in Ep. 1. *ad Cor. c.* 13. Scientia legis *firmat animos & provocat* ad ſpei melioris profectum. *Reſ.* Utique nec firmat nec provocat ſine gratiâ.

Idem in Luc. l. 2. *c.* 2. Lex *Unumquemque*, qui viam gentium ſequebatur, *revocat ab errore*, *reſtringit à crimine*, *pænitentiam ſuadet*; ut gratiam conſequatur. ... Itaque lex Eccleſiæ prænuntia & gratiæ prævia eſt.

Digitized by Google

Aug. Ep. 140. *ad Honor. c.* 3. Hæc eſt gratia novi teſtamenti, *quod in vetere latuit*: nec tamen figuris obumbrantibus prophetari, prænuntiariſque ceſſavit; *ut intelligat anima Deum ſuum*, *& gratiâ ejus transnaſcatur illi.*

Idem tract. 3. *in Joan. c.* 1 Omnes itaque homines ſub lege conſtitutos reos facit lex; & hoc illis ſuper caput eſt, ut oſtendat peccata, non tollat. Lex ergò jubet, *Dator legis miſeretur in eo*, *quod jubet lex.*

Id. tract. 53. *in Joan.* Fecerunt ergò peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet. Et ideò, *ſi non malum*, *ſed bonum facere voluiſſent*, non prohiberentur.

Id. in pſalm. 57. Judæi non erant ſurdi, ſed ſe fecerunt ſurdos; quia nempe aures patentes in corde non habebant. Violentia tamen verbi per aures carnis irruens etiam *ipſis auribus cordis vim faciebant*, Clauſerunt & aures corporis & ièrunt ad lapides.

Id. l. 1. *ad Simp. q.* 2. Noluit ergò Eſau & non cucurrit: ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam *velle & currere adjuvando præſtaret*, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret.

Id in pſalm. 101. *Vocata* prima Jeruſalem noluit audire: Jeruſalem! Jeruſalem! Luget; *clamat* & non reſpondetur. Quoties volui congregare? & noluiſti; non reſpondetur. Pluitur deſuper, (per gratiam) & pro fructu ſpinæ proferuntur.

Clem. Alex. in Iſa. c. 1. Quomodo facta eſt meretrix Sion civitas fidelis.... Admiratur Judaicæ Synagogæ adeò flaccidam & lubricam mutationem.... Ex Moyſis ſiquidem lege notitiam ejus, quod utile eſt, docebatur; Et cùm Dei ſermonem quaſi internuntium & tabellarium haberet, qui ſingula, quæ agenda ſunt, refferret; *illuſtris ac admiratione digna fuit*, *ac percelebris apud quamplurimos homines*, *in quibus juſtitiæ fructus opulenter & affatim effloruit*.... Ad extremum verò his tot ac tantis bonis, &

Digitized by Google

antiquâ adeò illâ probitate quaſi orbata inconſideratè maluit agere.

Id. ibid. infra. Quomodo igitur facta eſt meretrix civitas fidelis Sion? ... Perinde ac ſi diceret: quæ ad intelligendum occaſiones accepit; imò verò, *quæ ſpiritualibus adjumentis abundavit,* in defectionem & apoſtaſiam defluxit.

Id. in c. 5. Iſa. Cùm autem, inquit, fecerim, *ut per omnia benè ſe haberet,* expectabam, ut uvam proferret. Putabam enim, inquit, eam non aliud quàm vitis fructum nobilem ac generoſum eſſe reddituram, at protulit ſpinas.

Id. ibid. infrà. Demonſtrare conatur Propheta *inexcuſabilem omninò* Judæorum ignaviam, & adverſùs legem impudentiam: Cùm enim præclaram & laudatam legitimæ vitæ *& Chriſtianæ inſtitutionis viam* inire potuiſſent, ipſi obliquam & deviam coluerunt, & *facultate fructificandi neglectâ* infructuoſa velut terra facti ſunt.

Et infra. Prodeant igitur, inquit, qui inter vos ſunt ſapientes: Judicent inter me vineæ Dominum, & ipſas vites. *Quid igitur boni illis defuit, ut inutiles fierent?* Si enim rerum ad uſum & utilitatem neceſſariarum quidpiam à me, qui plantaveram, fortè prætermiſſum fuerit, cauſæ nihil dicam, nec pænas exigam. Quid enim facerem, inquit, quod non fecerim? Cùm verò rebus eam utilibus *plenam, nulliúsque rei indigam* fecerim, etiam ſpinas tamen pariat; etiamſi expectaverim, ut eam pulchris fructibus ornatam viderem. Quis tandem à Judice referetur calculus? Num igitur inertem, num deſidioſum Agricolam dicet? an potius illos accuſabit, qui *tanta ſolicitudine curati à me,* adeò fertilitatem ſuam neglexerunt, ut inanem ſylvam, ac turbam ſpinarum pro racemis pepererint.

De Vocat. gent. l. 2. c. 3. Unde apparet, quòd iſte populus ... *Spiritualis antè fuit,* eâ utique voluntate, cui *Spiritus Sanctus*

Digitized by Google

præſidebat : ſic impendens moderaminis ſui regimen, ut declinandi ad vitia *non adimeret poteſtatem* : Quâ poteſtate hic populus, ſi non uteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, eſſétque ille, de quo dictum eſt : *Felix qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.*

D. Thom. 1. 2. *q.* 98. *a.* 2. *ad* 4. Quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum hominem ; *tamen aderat illud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant* ; ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur : *& ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.*

§. IV.

Reſpondetur objectionibus.

1. *Object.* NIhil frequentiùs occurrit in ſacra ſcriptura, & Patribus, quàm quòd lex antiqua fuerit impotens, infirma, non vivificans, non ſalvans. Quòd ſi verò connexam habuiſſet gratiam, fuiſſet vivificans, & ſalvans Judæos æternaliter ; ergò non fuit concomitata cum gratia.

Reſp. Ad hanc objectionem jam reſponderunt noſtri Epiſcopi in ſuis inſtructionibus paſtoralibus. Dicunt enim, eſſe notabilem diverſitatem inter has duas propoſitiones : *Lex eſt impotens ex ſe ipſa* : Deinde : *Deus reliquit in impotentia eos, qui ſunt ſub lege.* Igitur ſcriptura & Patres non aliud intimare volunt, niſi legem non vivificare, non conducere ad ſalutem ex ſe ipſa, ſed ex gratia JESu Chriſti venturi, qui per umbras & figuras legis præſignabatur.

2. *Object.* Patres ſæpiſſimè repetunt, hominem in teſtamento veteri fuiſſe relictum proprijs viribus ; nullam ei datam eſſe gratiam, ut ſentiens ſuam fragilitatem agnoſceret, quantùm indigeret Liberatore. En quid Quenellus intenderit cum ſanctis Patribus.

Reſp. Cùm certum ſit ex textibus jam citatis, SS. Patres agnoviſſe gratiam ſufficientem omnibus hominibus, præſertim verò

Digitized by Google

pòpulo Hebræorum conceſſam; idcircò favorabiliter interpretandi ſunt Patres, ſi quando ſpecietenus contrarium aſſerunt: ſenſus autem favorabilis eſt, ſi dicas, Sanctos Patres intellexiſſe, Judæos potiſſimùm habuiſſe gratias remiſſiores, remotiores, & non tam intenſas, proximas, & abundantes, quibus nos gaudemus in novo teſtamento gratiæ; quod utique ſufficienter Hebræis inſinuabat hæreditariam fragilitatem, ac ſummam indigentiam Liberatoris.

Deinde, quomodò potuiſſent Judæi ſentire ſuas fragilitates; convinci, ſe indigere Liberatore; ac tandem deſiderare adventum hujus Liberatoris abſque adjutorio gratiæ? Itaque eo ipſo, quòd SS. Patres dicant, Judæos quodammodò fuiſſe relictos proprijs viribus, ut agnoſcerent ſuos manes, quos patiebantur, ſuámque indigentiam Liberatoris, neceſſariò concludendum eſt, eos fuiſſe proviſos gratijs ſufficientibus ſaltem remotis: abſit concludere cum Quenello; Judæos penitus fuiſſe deſtitutos.

3. *Object.* Scripturæ & Patres dicunt, legem Moyſis fuiſſe impoſſibilem, quam Judæi tanquam intollerabile jugum ferre non poterant, ergò non habebant gratias ſufficientes.

Reſp. Hæc impotentia, ſeu impoſſibilitas, de quâ loquuntur Scripturæ & Patres, non eſt vera, & propriè dicta impotentia, ſed potiùs dicit grandem difficultatem: poteſt etiam reſponderi in alio ſenſu, legem Moyſis fuiſſe impoſſibilem ex ſeipsâ, quòd non tribuerit neceſſariam gratiam: erat autem quàm maximè poſſibilis ex gratiâ Mediatoris, quem annuntiabat, & à quo recipiebat influxus ſuos.

4. *Object.* Scripturæ & Patres, ſpecialiter S. Auguſtinus, ſæpius dicunt, differentiam inter fœdus antiquum & novum conſiſtere in eo, quòd in novo Deus nos faciat ambulare in præceptis ſuis, quòd nobis det cor novum, ac imprimat legem ſuam in cordibus noſtris. Hæc autem non fiunt niſi per gratiam; ergò gratia data eſt in novo, non veteri teſtamento.

Reſp. Differentia inter novum & antiquum fœdus, de qua Scriptura & Patres, conſiſtit in eo, quòd lex antiqua ſit quaſi epiſtola exte-

Digitized by Google

rior, non homini intrinſeca, & conſequenter impotens immutandi intellectum, aut tangendi cor, aut voluntatem humanam: cùm econtra *lex nova*, prout teſtatur S. Thomas, *principaliter ipſa ſit gratia Spiritûs Sancti in corde fidelium*, intellectum illuminans, affectum cordis inflammans per ſeipſam & per cæteras gratias actuales, quarum eſt fons & ſcaturigo: non tamen ex hoc toto ſequitur, ut vult Quenellus cum ſuo Apologiſtâ, quòd lex antiqua omni prorſus caruerit gratiâ, neque ſequitur, quòd lex nova, per gratiam baptiſmi cordibus noſtris quaſi inſculpta, nunquam violetur, neque quòd gratia iſthæc ſemper ſit efficax. In exemplo clariùs patebit inſulſa hæc conſequentia.

Certè lex naturalis cordibus noſtris inſculpta hæret digito Creatoris tanquam ſtylo ferreo: Ideóque hæc lex illuminat intellectum, ac tangit voluntatem & corda ex ſeipsâ. Interim nónne violatur in dies & momenta? nónne Adam ipſemet eam violaverat in paradiſo terreſtri? ergo concludendum non eſt, legem gratiæ, quòd ſit exarata & intus hærens in animabus noſtris, nunquam violari; ſemper efficacem eſſe.

§. V.

Qualificatio Propoſitionum damnatarum.

EVidenter hæ propoſitiones reducuntur ad primam Janſenij: *Quædam præcepta Dei ſunt impoſſibilia hominibus juſtis &c.* certum eſt enim, Judæos fuiſſe juſtificatos vel per circumciſionem, vel per aliud ſimile remedium: Si ergò Judæi derelicti ſunt proprijs viribus & impotentijs abſque ullâ gratiâ, nónne manifeſtè ſequitur; præcepta Dei hominibus juſtis in ſtatu naturæ lapſæ fuiſſe impoſſibilia, ac defuiſſe ipſis gratiam, quâ poſſibilia fierent? Propoſitio temeraria, impia, blaſphema, jam anathemate animadverſa, apertè hæretica.

§ VI.

Alij Errores contenti in propoſitionibus damnatis.

QUantus errorum theſaurus, dicam potiùs, quàm ingens abyſſus iniquitatis abſconditur in his propoſitionibus? præter errores mox refutatos inſuper ſex alios primæ craſſitudinis deprehendo.

1. Quenellus ſuis reflexionibus ſuffragatur ſecundæ ſententiæ Janſenij, quæ jam dudum damnata eſt ut hæretica: *In ſtatu naturæ lapſæ gratia interiori nunquam reſiſtitur.* Penes Quenellum character eſſentialis internæ gratiæ novi fœderis conſiſtit in hoc, *quòd Deus det, quod jubet, & in nobis perficiat*; atqui Deus non dat, quod jubet, niſi donando gratiam efficacem, ergò gratia novi fœderis eſt gratia efficax, & quidem ſemper efficax; hic eſt enim Quenello eſſentialis & diſtinctivus character gratiæ novi fœderis: demonſtratio patet.

2. Quenellus in propoſitione ſextâ manifeſtè confundit gratiam actualem cum gratia ſanctificante, videtúrque inſinuare nos non juſtificari per juſtitiam formaliter *inhærentem*, & annexam perſonæ, ſed per gratiam actualem & tranſeuntem: quod eſt hæreticum, atque damnatum in Concilio Tridentino. In novo fœdere, inquit Quenellus, *Deus homini dat, quod jubet, eum purificando per gratiam*; gratia, per quam Deus dat, quod jubet & per quam obedimus præceptis, eſt gratia actualis ſecundùm ſanam Theologiam: jam verò juxta Quenellum Dominus nos *purificat* à peccato; id eſt, nos juſtificat per talem gratiam, quâ facimus, quod jubet: ergo nos juſtificat per gratiam actualem & tranſeuntem, non autem per formaliter immanentem, inhærentem, ac perſonæ annexam.

Non negatur poſſe dici, nos purificari per gratiam actualem *efficienter*, non *formaliter*, id eſt, quòd gratia in nobis producat charitatem actualem, & per conſequens gratiam, ſeu charitatem habitua-

Digitized by Google

lem, quâ formaliter juſti conſtituamur. Verùm Quenellus non capit verbum iſtud; non ſic loquitur, nec loqui poteſt in ſuo ſyſtemate. Gratia ſecundùm ipſum, quâ facimus, quod Deus jubet, nimirum gratia actualis, eſt illa ipſa gratia novi fœderis, per quam novum fœdus ingredimur, & per quam ad hoc ipſum fœdus pertinemus: atqui gratia novi fœderis, gratia, quæ nos introducit in novum fœdus, gratia, per quam pertinemus ad hoc ipſum fœdus, eſt profectò illa gratia, quæ nos juſtificat, quæ nos reddit formaliter Chriſtianos, juſtos, filios & amicos Dei: ergò Quenellus prætendit gratiam actualem nos juſtificare formaliter; ergò penitus confundit gratiam actualem cum ſanctificante.

3. Si gratia novi teſtamenti ſemper eſt efficax, ſequitur neceſſariò, hominem per talem gratiam ſemel juſtificatum non poſſe imposterum hanc gratiam perdere: qui error jam percuſſus eſt anathemate in Concilio Tridentino. (*a*) Eccur non poſſet perdi? quia gratia duntaxat amittitur, & poteſt perdi, cùm ei reſiſtitur, cùm ex corde fugatur: jam ſi juxta Quenellum gratiæ novi fœderis nunquam reſiſtitur, nec reſiſti poteſt, tunc ejus character eſſentialis erit, *quòd ſemper ſit efficax*: ergò nunquam amitti poterit, nunquam per peccatum poterit expelli foras.

Si poſſibile ſit, adhuc clariùs rem explicemus: Nequit amitti divina gratia niſi per violationem legis, ac ruptionem fœderis cum Deo: jam ſecundùm Quenellum non poteſt violari lex, nec rumpi fœdus: ergò non poteſt amitti gratia. Probo, quòd ſecundùm Quenellum non poſſit rumpi fœdus, nec violari lex Dei. Lex & fœdus novum juxta S. Thomam & omnes Theologos eſt ipſa gratia Spiritûs Sancti diffuſa in cordibus noſtris; atqui ſi juxta Quenellum hæc gratia ſemper eſt efficax; ſi hæc lex nos faciat operari, quidquid imperat, conſequenter qui ſubſunt huic legi, eam violare non poſſunt, nec amittere gratiam per peccatum.

Quid reponent ad hæc Quenelliſtæ? dicéntne fortaſſis, quòd Deus ex juſto judicio ſuas gratias retrahat, & ſic juſtus in pecca-

(*a*) Seſs. 6. can. 23.

tum prolabatur ? planè hoc aſſerere non attentabunt, niſi impingere velint in errorem, quem hucuſque nullus Janſeniſta auſus eſt libera voce profiteri: nimirum dicendo; quòd Deus prior fœdus rumpat; prior hominem juſtum derelinquat, etiam per ſubtractionem gratiæ fœderis, antequam ab homine deſeratur. Igitur probatum manet, ſemel juſtificatum in ſyſtemate Quenelli non poſſe ultrà excidere gratiâ per peccatum.

Ut plenè convincamur, mox allatam doctrinam non eſſe peregrinam Quenello, audiamus pauliſper ejus interpretem Authorem Hexaplarum, qui ſic loquitur: (*a*) „ Si ex alterâ parte Deus ineundo „ fœdus cum juſtis non alia poſſit auxilia illis elargiri ad perſeverantiam in fœdere, niſi gratiam dependentem ab impetu moroſo liberi „ arbitrij: ſi non poſſit, metu lædendi libertatem hominis, fixum & „ determinatum reddere illud arbitrium, tollendo ejus inconſtantiam, & applicando idipſum ad praxin in caſibus & cauſis prægnantibus, ac quoties ſe præſentat occaſio transgreſſionis lethalis; „ haud ægrè conjecturatur, quàm ſit ſubditum hoc fœdus diruptioni, „ quàm ſit fragilis hæc juſtitia. Quando ſemel intellectus repletus eſt „ hiſce Ideis, verba Apoſtoli (*b*) jam non ſunt legenda, niſi cum limitatione & reſtrictione mentis occultâ: *Exſpectantes beatam „ ſpem, & adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem „ bonorum operum &c.* Hoc erat propoſitum & finis Chriſti, dicet „ aliquis Moliniſta, ſed liberum arbitrium ſe opponit, & quidem „ ex maximâ parte juſtorum. „

Quis non palpat hunc diſcurſum vaferrimum non aliò collimare, quàm ad inſinuandum dogma de juſtitiâ inamiſſibili? omnes Catholici Doctores unanimiter ſentiunt docentes, quòd, exceptis quibuſdam animabus ſelectis, ſpeciali privilegio in gratiâ firmatis, nul-

(*a*) pag. 31. colum. 4.

(*b*) Epiſt. ad Titum. 2. 14.

Digitized by Google

lus ſit noſtrûm, in quocunque ſanctitatis gradu conſtitutus, qui non in continuo verſetur diſcrimine amittendi gratiam per peccatum. Inde tot adhortationes millies reiteratæ in ſacris paginis & ſanctis Patribus, ut oremus; ut vigilemus, ne intremus in tentationes: inde Concionatorum frequentiores æſtus & ignes vehementium increpationum in Chriſtianos diſſolutos, temerariè ſe exponentes peccandi periculis: inde ſacri terrores, & ſalutares inquietudines Sanctorum maximè celebrium, qui audientes conſulentem Apoſtolum in timore & tremore ſemper pavidi operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Verùm interpres Quenelli ſive Quenellus ipſe circa hæc tam tranquillus eſt ac Calvinus. Fraus eſt & illuſio, inquiunt, credere novum fœdus poſſe tam cito rumpi, ac juſtitiam eſſe rem adeò fragilem: ſecundùm ipſos intelligenda ſunt verba Apoſtoli abſque *reſtrictione* & *limitatione*, cùm dicit, quòd Chriſtus *dederit ſemetipſum pro nobis, ut ſibi mundaret populum acceptabilem bonorum operum:* ſed quare? reſponſio meretur non communem attentionem. Ideò, inquiunt, quia gratia novi fœderis eſt talis, quæ non dependet à moroſo impetu liberi arbitrij, ut ab eo acceptetur, vel reſpuatur. *Gratia*, inquiunt, *novi fœderis abſque periculo lædendæ libertatis fixam reddit ejus inconſtantiam, determinat ad bonum in eventibus ponderoſiſſimis & occaſionibus periculoſiſſimis.* Quid expreſſiùs, quid explicatiùs proferri poſſit in patrocinium gratiæ inamiſſibilis? Quis me arguet de peccato calumniæ, quòd imputaverim Quenello tale dogma Calvinianorum? ſed pergamus cæteram Anatomiam trium propoſitionum, perſcrutando reliquos errores in iiſdem contentos.

4. Si verum ſit, quod prætendit Quenellus in propoſitione 8.va *Nos non pertinere ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit;* neceſſariò ſequitur, eos, qui non faciunt, quod Deus præcipit, non pertinere ad novum fœdus. En

omnes peccatores ſtante hoc dogmate membra abſciſſa à corpore Eccleſiæ. Novus error, quem refutabimus in Analyſi Propoſitionum Eccleſiam concernentium.

5. Ex hâc 8.va propoſitione ulteriùs ſequitur, parvulos per baptiſmum juſtificatos & regeneratos non ſpectare ad Corpus Eccleſiæ: ſi enim non ſumus de Corpore Eccleſiæ, niſi in quantum operamur, quæ Deus præcipit, evidens eſt, parvulos non eſſe de Corpore Eccleſiæ; quòd ante uſum rationis & annos diſcretionis ſint inhabiles ad operandum, ea, quæ Deus præcipit, rationabili obſequio & virtutis exercitio.

6. Quenellus videtur aſſerere ſuâ ſeptimâ propoſitione, Judæos nullas habuiſſe utilitates ex antiquo fœdere. Interrogatio enim, *quæ utilitas pro homine in veteri fœdere &c.?* hîc & ſic poſita in ſenſu ſuo naturali & obvio inſinuat intellectui, legem veterem Judæis fuiſſe inutilem; talis quippe error naturali ſequelâ fluit ex principio Quenelli; ſi enim verum ſit, ut vult Quenellus, quòd Deus reliquerit Judæos propriæ infirmitati, & impotentiæ ſervandi legem in antiquo teſtamento latam; tunc manifeſtè deducitur, illud antiquum fœdus Judæis non tantummodò fuiſſe inutile, ſed ècontra extremè funeſtum, quòd duntaxat ipſis inſerviêrit, ut ſint magis culpabiles, & minùs excuſabiles. Verùm Doctor Gentium Paulus non eſt opinionis Quenelli. Factâ enim demonſtratione, legem Moſaicam non juſtificare ex ſeipsâ, ſtatim ſic proſequitur: (a) *Quid ergò ampliùs Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? multùm per omnem modum: primùm quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei &c.* & rurſum: (b) *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum Patres, & ex*

(a) Rom 3. 1.
(b) Rom. 9

Digitized by Google

quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen. Quis jam patienter ferat loquelas tantoperè contradictorias & oppoſitas verbis Apoſtoli? quis ſine labe hæreſeos aliter ſentiat quàm Vas Electionis?

PROPOSITIO NONA.

GRatia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

OMnis gratia Chriſti eſt ſuprema, *hoc eſt victorioſa*, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

Nemo utique controvertet ſenſum, quem tribuimus termino *ſuprema*. Manifeſtum eſt, gratiam ſupremam eſſe eam, quæ regnat inſtar Reginæ in corde hominis, cui omnia ſubduntur, & quæ per conſequens eſt efficax, & *victorioſa*.

Hoc poſito quilibet videt, præſentem propoſitionem reduci ad ſecundam, ac iiſdem favere falſitatibus, nimirum, nullam exiſtere gratiam ſufficientem; omnem gratiam eſſe efficacem; eum, qui non confitetur Chriſtum, eſſe, ut olim propugnavit M. Arnaudus, in impotentia eum confitendi, ipſique deeſſe ad hoc neceſſariam gratiam. Qui errores cùm ſupra jam fusè ſint refutati, ſuperfluum foret diutiùs illis immorari.

Verumtamen Hexapliſta moras injicit noſtræ accelerationi; proteſtatur, & probat, Quenellum admiſiſſe gratias debiles, languidas, & initia gratiarum, conſequenter purè ſufficientes. Audiamus ipſum „de hoc iterum (*a*) „Hæ ſunt gratiæ illæ, inquit, ſcilicet debiles, „languidæ, & initia gratiarum, quas nunquam præſumpſit negare

(*a*) Pag. 205. col. 4.

„ Quenellus ; imò de quibus in pluribus locis explicitè ſermocinatus „ eſt ; attamen in ipſis ejusmodi gratijs paret omnipotentia Dei ; quia „ Deus tunc operatur in corde hominis illa deſideria , quæ ibi vult ex„ citare abſolutâ ſuâ voluntate ; & quia verum remanet , quòd ſi vellet „ Deus abſolutè operari plenâ voluntate agendi , nemo manum ejus „ cohiberet ab hâc operatione. „ Siccine hiſce loquelis admittuntur gratiæ verè ſufficientes ? ſiccine carent illo effectu , pro quo ſunt conceſſæ ? annon ex adverſo his verbis formaliter declaratur contrarium, nimirum omnes eſſe efficaces, nullâ exceptâ , nequidem debiliſſimâ & minutiſſimâ ? annon ſic potiùs toti iuſultatur Eccleſiæ, atque impiè vilipenditur vaferrimâ ſimulatione ſacratiſſimum pondus Religionis ?

Quòd ſi quiſpiam etiamnum dubitaret , an Quenellus reipsâ nullas verè ſufficientes admiſerit gratias , non pigeat attendere ad ea, quæ circa hæc reflectit ejus Apologiſta Author ſex Columnarum , qui haud dubiè in rejectione gratiarum realiter ſufficientium ejusdem eſt mentis cum ſuo Cliente ; ſic enim loquitur. (*a*) „ Non gra„ vantur Theologi Moliniſtæ plenis & largis manibus diſpergere Chri„ ſti gratias ſuper omnes populos terræ , etiam eos , qui neſciunt „ Chriſtum Domini : gratias ſufficientes .... quæ utpote dependentes „ ab eorum libero arbitrio ſæpe in his Infidelibus aſſequantur effectus „ ſuos , & quidem modo ad ſalutem utili .... „ Et rurſum (*b*) „ Quandoquidem Deus habeat Fœdus cum juſtis , haud ægrè perci„ pitur , tale fœdus perquàm fragile eſſe, & facillimè rumpi, ſi ita „ ſit , quòd Deus non alia habeat auxilia juſtis ſuis tribuenda, „ quàm gratias dependentes à volubili levitate liberi arbitrij ; & ſi „ ita ſit, quòd Deus nequeat firmare arbitrij inconſtantiam, nec volun„ tatem poſſit determinare ad bonum ſine læſione libertatis, nequi„ dem in circumſtantijs periculoſis & ponderoſis, & quoties ſe offert „ occaſio morttalis transgreſſionis &c.

[*a*] pag. 291. col. 4.
(*b*) pag. 311. col. 4.

Digitized by Google

Ex his collige ſenſum & mentem pronuntiantis Queſnelli; *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema &c.* Nimirum ſemper efficax, & nunquam verè ſufficiens abſque ſuo effectu.

PROPOSITIO DECIMA.

Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardere.

PROPOSITIO UNDECIMA.

Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.

§. I.

Senſus naturalis propoſitionum.

Omnis gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei; *operatio*, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

Gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & *qui ipſemet* facit, quod jubet.

Jam diximus in Analyſi ſecundæ propoſitionis, quòd tam ſit de fide, exiſtere gratias ſine effectu, quæ vocantur purè ſufficientes, quàm eſt de fide, dari gratias cum effectu, quas nuncupant efficaces. Verùm, ut ſis Catholicus, non ſufficit fateri exiſtentiam utriuſque gratiæ: oportet præterea corde credere, & ore confiteri, quòd ſicut ſufficiens poſſit habere ſuum effectum, ſic viciſſim efficax poſſit non habere, & quòd voluntas humana poſſit gratiæ vires vincere, eámque inutilem reddere. In hoc vertitur cardo rei: quod etiam præcipuè diſtinguit Catholicos ab hæreticis moderni temporis, qui non modò docent, omnem gratiam ex Chriſtò eſſe efficacem, ſed ita prævalenter efficacem, & robuſtam, ut ſit impoſſibilitas ei reſiſtendi, aut ejus effectum impediendi: hæc eſt lingua uſitata

Quenelli : gratia, id eſt, *omnis gratia* (cùm enim propoſitio ſit indefinita, eſt univerſalis, ut jam ſuprà notavi) *Gratia*, inquit, *eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Quæ hominis impotentia tanta eſt, ait ulteriùs, ut non ſit magis poſſibile reſiſtere gratiæ, quàm Omnipotentiæ Dei, quòd gratia ſit ipſa voluntas Omnipotentis.

Quis non ſtupore circumdatus, & attonitus hæreat ad tam validas expreſſiones, cùm intelligit, Authorem Hexaplarum attentare auduciſſimâ præſumptione juſtificationem Quenelli, quaſi non docuerit dogma hæreticum de gratia inamiſſibili ? ſed quomodo procedit hæc juſtificatio ? quia, inquit Author Hexapl. (*a*) Quenellus formaliter & explicitè tenet, dari gratias, quas plures reſpuunt, plures violenter repellunt, quibus plures in faciem reſiſtunt ; item, quia terminis præciſis & abſolutis aſſeverare non dubitat, hominem ſub dominio gratiæ non neceſſitari, nihil perdere ſuæ libertatis : ſi hæc ita ſint, certè Quenellus ſe ipſum ferit turpiſſimâ contradictione ; ergò labor labiorum ipſius operiet eum ; ergò mendacium & veritas, obviaverunt ſibi, dum loquitur *eſt & non* de eodem, ſecundùm idem : Ergò bilinguis eloquio, civis Babylon, & Jeruſalem ; ſi profectò Lutherus & Calvinus laxatis inferni repagulis ad nos aſcenderent, dogma ſuum de gratiâ neceſſitante & inamiſſibili potentiùs & patentiùs vix exprimerent.

Abſit : Quenellus non ſibi contradicit : nihil horum affirmat, quod non ſuaviſſimè conciliari valeat cum expreſſiſſimis aſſertionibus circa impotentiam reſiſtendi gratiæ. Quid enim verò ſibi vult per reſiſtentiam hujus modi ? quid penes ipſum eſt reſiſtere gratiæ ? reverà nihil aliud, niſi reſiſtere gratijs exterioribus, id eſt, adhortationibus, correctionibus, bonis exemplis : vel, eſt reſiſtere gratiæ *luminis* ſive cognitionis in intellectu reſidentis ; non autem gratijs voluntatem moventibus. Quid inſuper eſt juxta ipſum reſiſtere gratiæ ? eſt ſentire repugnantiam interiorem obediendi ſtimulis gratiæ, quamvis hi ſtimuli, & impulſus ſint inimpedibiles : eſt, non perſeverare in

(*a*) pag. 163. col. 5.

bonis deſiderijs, & intentionibus ſubitò inſpiratis per gratiam; quamvis non ſit, amplius noſtræ poteſtatis in illis perſeverandi, & hoc ex defectu novæ ſupervenientis gratiæ, quæ ſit æquè potens, & valida, ac prior: addamus tandem cum Authore ſex Column. (a) reſiſtere gratiæ ſecunpùm Quenellum nihil eſt aliud, quàm *reſiſtere primis motibus & deſiderijs, primis velleitatibus quibusdam gratijs excitantibus, quæ in ordine ad actionem dant potentiam, eam exercendi*; Verùm in ordine ad cupiditatem dominantem relinquunt in impotentia reali & propria. *His gratijs*, ait Quenellus cum ſuo Apologiſta, *reſiſtitur non faciendo actiones, ad quas excitant*, quamvis tam impoſſibile ſit eas facere, ac impoſſibile eſt equeſtrem agere ſine equo; volare ſine pennis, *in quo*, adjungunt iſti, *adhuc apparet omnipotentia Dei, quòd tunc Deus operetur in corde humano deſideria, quæ vult ibi excitare:* Habes, quid ſibi velit ſecundùm Quenellum, *reſiſtere gratiæ.* Ecquis non videt quod hâc explicatione conſtanter pergat in ſuo ſyſtemate, nimirum, tam eſſe impoſſibile impedire effectum, pro quo gratia datur, ac eſt impoſſibile reſiſtere ipſi Omnipotentiæ divinæ, & per conſequens non ſibi contradicit, niſi apparenter.

Idem aſſerendum de libertate, quam Quenellus teſtatur non amitti ſub dominio gratiæ. Liberè & abſque neceſſitate operari juxta ipſum non exigit, utquis poſſit ſe determinare ad hanc ſive ad aliam actionem, cum electione arbitraria hujus vel illius: Liberè agere penes ipſum nihil eſt aliud, niſi poſſe ſe determinare ad unam actionem, quæ ſit contraria illi operationi, quam gratia ſuggerit, ſi hæc gratia abſens foret: Liberé agere eſt conſervare liberi arbitrij potentiam, ex natura ſua flexibilem ad hanc vel illam partem. Verbo, eſt agere ſine coactione, libenter & voluntariè, tametſi non poſſis non agere: propemodum inſtar Beatorum in Patriâ, qui amant Deum voluntariè, quamvis eum non poſſint non amare. Si ergò licuit Quenello aſſerere, hominem operari liberè abſque neceſſitate

(a) pag. 163. col. 5.

Digitized by Google

ſub imperio gratiæ, quamvis ſibi ipſi perſuaſerit, impoſſibile eſſe, ut homo tali gratiæ reſiſtat, aut contrarium agat; cur non liceat Quenellum annumerare cunctis hæreticis noviſſimorum dierum, qui, æquè ac ipſe, admiſerunt libertatem quandam à coactione ſub ſceptro deſpotico gratiæ efficaciſſimæ, ac poteſtatem reſiſtendi tam realem, vel potiùs tam chymericam, quâm Quenellus vix conceſſiſſet.

§. II.

Conformitas Propoſitionis damnatæ cum doctrina hæreticorum.

Luther. in Geneſ. c. 2. Abſurdè decipiuntur Papiſtæ in eo, quòd nullam faciant differentiam inter gratiam regenerationis, nobis conceſſam in ſtatu naturæ corruptæ, & inter gratiam Adæ conceſſam, *& quam potuiſſet reÿcere, ſi voluiſſet.*

Idem tom. 3. *de lib. arb. Eccl.* Sequitur, quòd agamus neceſſariò: *dico neceſſariò, & non cum coactione*, id eſt, quòd homo ſpiritu Dei impulſus non agat renitens, & contra voluntatem, aut cum violentia tractus, ſed voluntariè, & libenter.

Calv. l. 5. *cont. Pigh. p.* 185. Quâpropter defendo, ac teneo, quòd noſtra voluntas formata ſit efficaciter; ut neceſſariò ſequatur motum ſpiritûs Sancti; & quòd non ſolùm excitetur ad faciendum bonum, *ſi velit.*

Idem l. 2. *inſt. c.* 3. §. 10. Clarè videmus, quòd hic motus, ſeu impulſus indifferens, quem ſophiſtæ excogitârunt poſſe liberè rejici, vel amplexari, *ſit excluſus*, quamprimum ſtatuitur conſtantia *efficax*, perſeverandi.

Idem Ant. Conc. Trid. ſeſſ. 6. *c.* 6. Quid vult dicere S. Auguſtinus, cùm loquitur de libertate voluntatis, niſi id, quod toties repetit? nimirum quòd homines *non cogantur contra eorum voluntatem* per gratiam Dei; ſed quòd moveantur voluntariè, ut ei

obediant, eamque ſequantur ex plenâ eorum voluntate.

Contr. Remonſt. in ſpecim. Amſter. a. 72. Gratia, cujus virtute homo extrinſecùs vocatus venit ad Deum, eſt *attractio omnipotens*, & ipſa eſt tam efficax, ut homines taliter tracti *nec velint, nec poſſint reſiſtere huic attractioni, neque poſſint velle ei reſiſtere.*

Ibid. art. 73. Hæc gratia meritò dicitur *inimpedibilis*, quia non ſolùm tollit reſiſtentiam, & duritiem cordis in homine, *ſed etiam ipſam poteſtatem ei reſiſtendi.*

Cham. tom. 3. *l.* 3. *c.* 6. §. 12. Si ſit quæſtio de ſuccurſu exteriore gratiæ, verum eſt, quòd ei poſſit reſiſti: ſi verò agatur de auxilio interno, *illud operatur neceſſariò.*

Janſen. t. 3. *l.* 2. *c.* 24. Quâpropter S. Auguſt. ſtatuit gratiam tam victorioſam liberi arbitrij in voluntate, ut ſæpiùs aſſeveret, *hominem non poſſe reſiſtere Deo operanti per gratiam.* Unde haud difficulter videtur, quantùm remoti ſint á Doctrina, & mente hujus S. Doctoris, qui talem fabricârunt gratiam, quæ obſervet, & expectet voluntatem hominis. Ita quidem, ut ſi fortuitò fiat prævaricator, hæc gratia ſit vana, & inutilis, & ut effectus miſericordiæ Dei annihiletur per potentiam hominis.

Idem tom. 3. *l.* 3. *c.* 25. Quòd ſi jam velimus, quando Deus miſeretur noſtri, certè gratia, utpote effectus miſericordiæ, & producens bonam voluntatem, *non poteſt ſuperari per Voluntatem aut volitionem hominis*, cui Dominus facit miſericordiam.

Idem tom. 3. *l.* 6. *c.* 6. In Doctrinâ S. Auguſtini duæ diſtinguuntur ſpecies neceſſitatis: una, quæ producit ſuum effectum, quamvis eum nolitis, & quamcunque faciatis reſiſtentiam: Altera, per quam ſimpliciter neceſſarium eſt, ut aliquid fiat ſine ullâ voluntatis reſiſtentiâ. Prima penitùs contraria eſt libertati, eamque totaliter deſtruit, *non autem hac neceſſitas, qua ſimul eſt voluntaria*, per quam ſimpliciter neceſſe eſt, ut aliquid fiat ſine ulla repugnantia voluntatis, quamvis id velit *modo immutabili.*

Digitized by Google

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitioni damnatæ Oppoſita.

Ex Ratione.

SI nihil impedire aut retardare valeat operationem gratiæ in nobis operantis; ſi ſub actuali impulſu & motione hujus gratiæ non gaudeamus potentiâ completâ & immediatâ, faciendi bonum aut malum ſecundùm bene viſam electionem, ſequitur inde, præcepta à Deo data eſſe frivola; admonitiones, recta conſilia, bona exempla, juſſu divino ad invicem danda, eſſe inutilia; minas & promiſſiones, à Deo factas pro fuga peccati & implemento legis, eſſe joculares; laudes, & encomia, quibus ſancti Dei homines in ſacris litteris extolluntur, eſſe calvas adulationes; mercedem in Cælis repoſitam, ac tandem ſolvendam eſſe injuſtam, immeritam: Quis enim rationabiliter mandat aliquid impotenti? quis ſenſatè hortatur ad impoſſibile? quis meritò laudat, vel juſtè remuneratur actionem, quæ fuit inevitabilis, quamque homo omittere haud potuit? quis non miretur caliginem, cæcitatem Novatorum, non advertentium ſequelas tam monſtruoſas, tam neceſſarias? vel ſi advertant, quis non indignetur obſtinatiſſimè determinatis propugnare agnitas falſitates contra univerſa Eccleſiæ Anathemata?

Ex Scriptura.

Deut. cap. 30. *v.* 19. Teſtes invoco hodie Cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: *Elige ergo vitam*, ut & tu vivas.

Joſue 24. 15. *Optio* vobis datur: *Eligite* hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis.

Joſue cap. 24. *v.* 25. Et Joſue ad populum: Teſtes, inquit vos eſtis, quia *ipſi elegeritis* vobis Dominum, ut ſerviatis ei: reſponderuntque, teſtes.

Digitized by Google

Pſalm. 94. *v.* 25. Hodie ſi vocem Domini audieritis, *nolite obdurare corda veſtra.*

Eccl. cap. 15. *v.* 16. Si *volueris* mandata ſervare, conſervabunt te.... appoſuit tibi aquam & ignem, *ad quod volueris, porrige manum tuam.*

Idem cap. 31. *v.* 10. Beatus, qui *potuit transgredi*, & non eſt transgreſſus: *facere mala, & non fecit.*

Iſaj. 1. 16. Lavamini, mundi eſtote, aufferte malum cogitationum veſtrarum.... ſi *volueritis* & audieritis, bona terræ comedetis.

Zach. 11. 12. Si bonum eſt *in oculis veſtris*, afferte mercedem meam; & *ſi non*, quieſcite.

Mach 6. 30. Tu ſcis, quia cùm à morte *poſſem* liberari duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundùm animam verò propter timorem tuum *libenter* hæc patior.

Math. 19. 21 ſi *vis* perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes; & veni, ſequere me.

1. *Cor.* 7. 21. Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens *neceſſitatem*, *poteſtatem* autem habens ſuæ voluntatis.

Rom. cap. 2. *v.* 4. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? ſecundùm autem *duritiam tuam & impænitens cor* theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis judicij Dei.

Ex Patribus.

Conc. Conſtan. ſeſſ. 8. *Damn. art.* 27. *Wicleffi*, *ubi is dicebat.* Omnia de *neceſſitate abſoluta* evenire.

Serm. Anno 1528. *Decr. fidei* 15. Non eſt tale trahentis gratiæ auxilium, *cui reſiſti non poſſit.*

Trid. Seſſ. 6. *c.* 5. Tangente Deo cor hominis .... inſpirationem illam recipiens *abijcere poteſt.*

Idem ibid. c. 13. Deus, *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet.

Idem ibid. can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum ...., *Non poſſe diſſentire, ſi velit*: Anathema ſit.

Clem. Rom. Ep. 3. Si quis audiens ſermonem veri Prophetæ *velit* recipere, aut *nolit* amplecti onus ejus, habet *in ſua poteſtate*. Quia liberum eſt animæ, in quam velit partem inclinare judicium ſuum, & quam probaverit eligere viam.

Idem Conſt. Apoſt. l. 6. c. 20. Non impoſuit *neceſſitatem*; ſed poteſtati utpote *libera* permiſit.

Ignat. Ep. ad Magnes. Quandoquidem actiones ipſæ ſua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ: Et ſinguli, qui *hoc aut illud elegerunt*, in ejus, quod *elegerunt*, locum habituri: fugiamus mortem, & *eligamus* vitam.

Juſtin. Apolog. ad Imp. Anton. Neque ille remuneratione aut laude dignus eſſet, ſi *per ſe ipſum* bonum *non eligeret*.

Idem Apolog. ad Senat. Neque quiſquam horum laude dignus eſſet; niſi illi *utramque in partem* convertere, & quaſi flectere ſe poſſent.

Iren. l. 4. adv. hær. c. 9. Homo rationalis, & ſecundùm hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus & ſuæ poteſtatis, *ipſe ſibi cauſa eſt, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.*

Id. ibid. c. 72. Sed quoniam omnes ejuſdem ſunt naturæ, & *potentes* retinere, & operari bonum, & *potentes* rurſum amittere, id eſt, non facere, juſtè laudantur, & dignum percipiunt teſtimonium *electionis bonæ & perſerverantiæ.*

Clem. Alex. l. 2. Strom. Nos autem *liberâ & abſolutâ poteſtate eligere & vitare* à Domino datum eſſe hominibus, à ſcripturâ accepimus.

Orig. hom. 20. *in Num.* Sui arbitrij eſt anima, *in quam voluerit partem*, eſt ei liberum, declinare.

Cypr. l. 3. ad Quirin. c. 1. Credendi vel non credendi libertas *in arbitrio* eſt poſita.

Athan. hom. de Semente. Cùm ultroneus ſit hominum motus; & *ſui arbitrij mens*, in te ſitum eſt, *veliſne* temetipſum lolium fieri, & pabulum brutorum animalium, an potiùs in frumentum mutari.

Hilar. in pſalm. 2. Unicuique noſtrûm libertatem vitæ ſenſúmque permiſit, *non neceſſitate in alterum affigens.*

Id. in pſalm 118. *litt. T.* Unicuique, ad quod volet, via eſt propoſita vivendi & appetendi, atque agendi permiſſa libertas: Et ob id *unicujuſque* aut pœna, aut præmijs afficietur *electio.*

Baſil. in pſalm. 61. Corporea pondera libræ momentis exploramus; quæ verò in vitâ eligenda ſunt, libero arbitrio diſcernimus, quod & ſtateram vocavit; eò quod talem nutum *in utramlibet partem capere poſſit.*

Id. Orat. Quod Deus non ſit Author malorum. Virtus ex voluntate, *non ex neceſſitate* ſit: voluntas verò ex his, quæ in nobis ſunt, dependet.

Ambr. l. 1. *de vitâ beatâ, c.* 1. Non *ſervili* ad obediendum conſtringimur *neceſſitate*; ſed *voluntate arbitrâ*, ſive ad virtutem propendemus, ſive ad culpam inclinamur; Et ideò nos liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat rationem ſecuta.

Greg. Nyſſ. l. 7. *de Philoſop. c.* 1. Si nullius actionis ita eſt principium homo, ut in illius poteſtate ſit eam facere, aut non facere; ex ſuperfluo habet, unde conſulat: ad quid enim utetur conſilio, *nullius exiſtens actionis Dominus?*

Ibid. c. 3. Qui conſultat quaſi in ejus poteſtate exiſtente electione, de operabilibus conſultat, *ut, quod per conſilium decernit, eligat*, & eligens faciat. Neceſſe eſt igitur, eum, qui conſultat, *eſſe Dominum actionum.*

Chryſoſt. hom. 82. *in Math.* 26. Dei vocatio *nullum cogit*, nec mentem eorum, qui virtutem volunt contemnere, ullo modo violentat; ſed hortatur quidem ac conſulit, & omnibus modis bonos eſſe perſuadet.

Id. hom. 46. *in Joan.* 6. Non enim vi *& neceſſitate quâdam* Deus bonos facere conſuevit: neque electio ejus violenta eſt, *ſed ſuaſoria*: Ut enim intelligas non cogere vocationem, mul-

tos vocatos perire continget : Quamobrem conſtat *in noſtrâ eſſe arbitrio , an ſalvemur , an perdamur.*

Idem hom. 22. *in Gen.* 5. Nonne manifeſtum eſt, *ſuâ quemque voluntate* vel virtutem vel malitiam *eligere ?* Nam niſi ita eſſet.... neque illos puniri , neque iſtos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm , *quia in noſtrâ voluntate totum poſt gratiam Dei relictum eſt* , ideò & peccantibus ſupplicia propoſita ſunt , & operantibus retributiones.

Idem hom. 2. *de Lazaro.* Perſpicuum eſt , quòd *in nobis ſitum ſit* , ut vel obtemperemus , vel non obtemperemus diaboli inſidijs : neque *ullam neceſſitatem* patimur.

Hier. ep. 147. Dedit eis liberum arbitrium , dedit mentis propriæ libertatem , & ut viveret unusquiſque *non ex imperio Dei , ſed ex obſequio ſuo :* id eſt , non ex *neceſſitate* , ſed ex voluntate , ut virtus haberet locum.

Id. ep. 8. *ad Demetr.* Si vis , inquit , perfectus eſſe : non cogo , non impero ; ſed propono palmam , oſtendo præmia. *Tuum eſt eligere* , ſi volueris in agone atque certamine coronari.

Id. l. 2. *cont. Jovin. c.* 2. Liberi arbitrij nos condidit Deus : nec ad vitia *neceſſitate* trahimur , Alioquin *ubi neceſſitas eſt , nec damnatio , nec corona eſt.*

Id. in c. 55. *Iſaj.* Denique infertur : aut facite arborem bonam , & fructus ejus bonos : Ex quo perſpicuum eſt , *unumquemque propriâ voluntate facere animæ ſuæ bonam & malam arborem* , cujus fructus varij ſunt.

Auguſt. de Spir. & litt. c. 34. Miſericordia Dei prævenit nos : conſentire autem vocationi Dei , vel ab eâ diſſentire *propriæ voluntatis eſt.*

Id. l. 50. *hom.* 16. *In tuo arbitrio* Deus poſuit , cui pares locum , Deo , an diabolo.

Id. de grat. & lib. arbit. c. 2. Si volueris , conſervabis mandata &c. Nemo ergò Deum cauſetur in corde ſuo ; ſed *quiſquis*

ſibi imputet, cùm peccat: neque cùm aliquid ſecundùm Deum operatur, *alienet illud à propriâ voluntate.*

Id. tract. 53. *in Joan.* Audiamus Evangeliſtam dicentem: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: Ne omninò exiſtimemus in noſtrâ poteſtate non eſſe, quod credimus.

Id. Tract. 36. *in Joan.* Trahit ſua quemque voluptas; *non neceſſitas*, ſed voluptas.... vide quomodo trahit Pater: docendo delectat, *non neceſſitatem imponendo.*

Id. de grat. & lib. arbit. c. 5. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur in alijs, quibus dicit: *Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ut quid enim eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt, *ut propriam perderent voluntatem.* (hoc eſt, libertatem agendi vel non agendi.)

Ibid. c. 12. Gratiam *repellebant*, & in Chriſtum propterea non credebant.

Id. de cathech. Rud. c. 26. A quo interitu, hoc eſt pœnis æternis, Deus miſericors volens homines liberare, *ſi ſibi ipſi non ſint inimici & non reſiſtant miſericordiæ* Creatoris ſui, miſit Unigenitum filium ſuum.

Id. in pſalm. 50. Paratus eſt dare indulgentiam, *claudis contra te.* Ille paratus eſt dare; *noli ponere obicem offenſionis.*

Id. de correp. & grat. c. 14. Erat *in poteſtate* Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere: quod, utique in eorum erat poſitum voluntate.

Id. de prædeſt. SS. c. 5. Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? Non quia credere vel non credere *non eſt in libero arbitrio voluntatis humanæ*; ſed in electis præparatur voluntas à Domino.

Id. de ver. Relig. c. 14. Tales ſervos meliores judicavit; ſi ei ſervirent *liberaliter*: quod nullo modo fieri poteſt; ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.

Id. tract. 27. *in Joan.* Per fidem copulamur, per intellec-

Digitized by Google

tum vivificamur. Priùs hæreamus per fidem, ut ſit, quod vivificatur per intellectum. Nam *qui non hæret, reſiſtit*: qui reſiſtit, non credit. *Nam qui reſiſtit (Deo)* quomodo vivificatur? Adverſarius eſt radio Solis, quo penetrandus eſt: non avertit aciem, *ſed claudit mentem.*

Id. de grat. Chr. c. 14. Omnis, qui didicit, venit ad me. Quis non videt & venire quenquam ad Patrem, & non venire *ex arbitrio pendere voluntatis.*

Cyril. Alex. l. 9. *in Joan. c.* 10. Rationali creaturæ liberam poteſtatem Creator largitus eſt, & ſuæ voluntatis habenas *unicuique* comiſit; *ut in eo ſit, quidquid probaverit, eligere.*

Proſp. Reſp. ad cap. gall. Prædeſtinationem Dei ſive ad bonum ſive ad malum in hominibus ineptiſſimè dicitur; ut ad utrumque homines *quadam neceſſitas* videatur impellere.

Auth. de Vocat. gent. l. 2. *c.* 12. Qui judicio rationis utuntur, ideò liberum eſt diſcedere, ut non diſceſſiſſe ſit præmium: Et ut, quod non poteſt niſi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, *quorum id potuit voluntate non fieri.*

Ibid. c. 18. Deus ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat; ut etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem, *qua poteſt nolle*, non auferat .... Alioquin nemo unquam fidelium receſſiſſet à fide ... & *collatam ſibi gratiam nemo negligeret.*

Joan. Damaſ. l. 2. *Orthodox. fid. c. ult. In nobis eſt*, virtuti immanere, & ſequi Deum, nos ad illam vocantem, aut deſerere virtutem.

Anſelm. de conc. praſc. & grat. Dei cum lib. arbitr. p. 1. *c.* 6. Licèt neceſſe ſit aut vitam aut veritatem relinquere; *nulla tamen neceſſitas determinat*, quam ſervet, aut deſerat. Nempè *ſola voluntas determinat* ibi, quid teneat: nec aliquid facit *vis neceſſitatis*, ubi operatur *electio ſola* voluntatis.

Ibid. p. 2. *c.* 15. Qui eandem gratiam non accipit, *aut acceptam reÿcit*, ejus eſt, non Dei, quod in ſuâ duritiâ & iniquitate permanet.

Bern. de grat. & lib. arbitr. Eſt ratio data voluntati, ut inſtruat illam & non deſtruat: deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ullam ei imponeret, quò minùs liberè pro arbitrio ſe volveret; ſive in malum conſentiens appetitui, aut nequam ſpiritui; ſive ad bonum gratiam ſequens.... *Ubi quippe neceſſitas, jam non eſt libertas.*

D. Thom 1. *p. q.* 62. *a.* 3. *ad* 2. Omnis forma inclinat ſuum ſubjectum ſecundùm modum naturæ ejus: Modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, ut liberè feratur in ea, quæ vult: & ideò inclinatio gratiæ non imponit *neceſſitatem*: ſed habens gratiam *poteſt eâ non uti, ſed peccare.*

Id. Quodlib. 1. *a.* 7. *ad* 2. Divina motio à quibuſdam participatur cum neceſſitate, à naturâ autem rationali cum libertate: propter hoc, quòd virtus rationalis ſe habet ad oppoſitum: Et ideò ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, *quòd tamen poteſt huic motioni reſiſtere.*

Id. l. qq. 6. *q. de Elect.* Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate moveretur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur; non enim omne neceſſarium eſt violentum.... *Hæc autem opinio eſt hæretica:* tollit enim rationem meriti & demeriti.... Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed *ex neceſſitate movemur* ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.

Id. 1. 2. *q.* 9. *a.* 6. *ad* 3. Sine univerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem *determinat ſe ad volendum hoc vel illud.*

Id. ibid. q. 119. *a.* 2. *ad.* 1. Homo *eſt Dominus ſuorum actuum*, & volendi & non volendi, propter libertatem rationis, quæ poteſt flecti vel ad unam partem, vel ad aliam.

Id. ibid. q. 10. *a.* 4. *c.* Quia voluntas eſt activum principium, *non determinatum ad unum*, ſed indifferenter ſe habens ad multa: ſic Deus ipſam movet, *quòd non ex neceſſitate ad unum determinat*, ſed remanet motus ejus contingens, *non neceſſarius.*

Digitized by Google

D. Bonav. l. 2. *D.* 25. *p.* 1. *a. unic. q.* 1. Voluntas etiam compeſcit ſe ipſam & refrænat, incipiens odire frequenter, quod priùs diligebat, *& ex ſui ipſius imperio & dominio.*

Ibid. q. 3. Potentia poteſt eſſe in actu, & ceſſare ab actu *ſecundùm ſuum imperium*, & ſecundùm proprium motum.

Ibid. l. 2. *D.* 26. *q ult.* Pro tanto dicitur gratia movere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratiâ informatum *movet ſeipſum.*

Et infra. Sicut voluntas movet ſeipſam ad opera naturalia, ſic adjuta per gratiam *movet ſeipſam* ad opera meritoria.

De imit. Chr. l. 3. *c.* 53. Abjicere ergò oportet *omnia impedimenta gratiæ*, ſi optas *ejus infuſionem ſuſcipere.*

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus,

1\. *Object.* SI poſſemus impedire, aut retardare operationem gratiæ, eámque reddere ſterilem & inutilem, ſequeretur nos eſſe dominos gratiæ, eámque ſubeſſe noſtræ voluntati, quod abſurdum ſimul eſt & impium.

Reſp. Sumus, nec tamen ſumus Domini gratiæ ſub diverſo reſpectu. Non ſumus Domini, quòd ſit donum gratuitum miſerentis Dei: ſumus tamen Domini, quòd, ex miſeratione divina ſemel conceſſâ gratiâ, poſſimus ejus effectum impedire, ac omittere illam actionem, quam nobis inſpirat. Si hoc dicere involvit minimum abſurdum aut impium, certé non minus impietatis & abſurditatis redolet, ſi vel cum ipſiſmet Janſenianis ſentias, quòd Adam in ſtatu innocentiæ fuerit liberrimus, ut conſentiat vel reſiſtat gratiæ: Nónne enim illa quoque gratia, æquè ac noſtra, erat opus manuum Domini Omnipotentis & miſerentis?

2\. *Object.* Si ex proprio penderet arbitrio conſentire, vel reſiſtere gratiæ, haberes aliquid, quod non recepiſti à Deo; haberes etenim tuum conſenſum & laudabilem uſum gratiæ: atqui hoc repugnat ſcripturæ: *Quid enim habes, quod non recepiſti?* quærit Apoſtolus.

Digitized by Google

Reſp. Semper verum manet in ſyſtemate Catholicorum, nos nihil habere, quod non à Deo receperimus, quandoquidem vel ipſum aſſenſum ac laudabilem gratiæ uſum à Deo recipiamus; cùm enim voluntas noſtra *ex ſe* ſit inhabilis ad ſentiendum vel minimum impulſum ſupernaturalem, idcircò aſſentiri nequit gratiæ prævenienti, niſi per auxilium gratiæ concomitantis. Unde conſenſus ille non minùs eſt effectus gratiæ, quàm voluntatis.

3. *Object.* Scriptura cum Quenello dicit, Deum inclinare cor noſtrum, ejúſque duritiem frangere per efficaciam ac fortitudinem gratiæ; Eccleſia Catholica Dominicâ 4.tâ poſt Pentecoſten precatur in ſecretis Miſſæ, ut noſtras rebelles ad ſe propitius cogat, id eſt, neceſſitet voluntates. Quid validiùs exprimeret gratiam invincibilem & victorioſam?

Reſp. Deus flectit & inclinat corda, frangit & compellit eorum duritiem mediante gratiâ efficace ſine pondere neceſſitatis: cùm Deo non deſint facultates & media taliter agendi: quoad preces ſecretas Eccleſiæ, reponitur, non niſi hæreticos ſic interpretari illa verba; *compelle rebelles voluntates*; tanquam idem ſignificarent, ac *coge*, *neceſſita rebelles voluntates*. Compellere enim propriè loquendo, non eſt idem, quod cogere, neceſſitare, ſed eſt idem quod animare, urgere, incitare, fortiter propellere, ac valenrer promovere ad aliquid: adeóque Author Hexapl. tam infideliter latinum in Gallicum tranſponens contraxit notam ſuſpectæ hæreſis.

4. *Object.* Gratia, juxta modum loquendi Scripturarum & Patrum, eſt operatio Dei: *operatur enim in nobis velle & perficere*; atqui divinæ operationi Omnipotentis quis reſiſtet? ergò nemo reſiſtere valet gratiæ.

Reſp. Dato non conceſſo verum eſſe, quòd gratia ſit operatio voluntatis Dei: non tamen exinde ſequeretur, ei reſiſti non poſſe. Quoniam Deus, ut docet S. Thomas ſuprà citatus, non operatur in cauſis ſecundis niſi conformiter naturæ cauſarum ſecundarum; jam

Digitized by Google

verò de naturâ voluntatis humanæ eſt, liberè ſe determinare ad id, quod vult: ergò actio divina voluntati humanæ nullam imponit neceſſitatem; ergò poteſt voluntas hominis divinas illas actiones & impulſiones ſequi vel non ſequi: abſit, concludas, non poſſe reſiſti voluntati divinæ in nobis operanti per gratiam, quòd ſit Omnipotens: potiùs contrarium inferas, dicendo poſſe reſiſti Deo, quòd ſit Omnipotens. Paradoxum hoc dixerint Novatores ſuis præventionibus excæcati; ſed probo:

Ideò Deus eſt Omnipotens, quòd faciat & poſſit facere, quidquid vult, & eo modo, quo vult; atqui vult, ut faciamus bonum conformiter ad exigentiam noſtræ naturæ; id eſt, modo prorſus indifferente, & ut bonum operantes ſemper maneamus liberi ad id operandum vel non operandum; ergò manifeſtè ſequitur, nos poſſe reſiſtere gratiæ; operari vel non operari, quando actualiter operamur, præcisè ex eo, quòd Deus ſit Omnipotens.

5. *Object.* S. Auguſtinus & cum ipſo plures alij Patres non ſemel repetunt, gratiam eſſe invictiſſimam, omnipotentem, inſuperabilem: ergò ſecundùm iſtos *gratiæ nunquam reſiſtitur*

Reſp. Vires gratiæ non conſiſtunt in eo, quòd captivam circumducant hominis voluntatem, & in ſervitutem redigant: Vix enim aliquid tantopere riſu & exploſione dignum, quàm conſtituere vires robuſtiſſimi & invictiſſimi viri in ſubjugatione hominis infirmi & languidi; in hoc ergò conſiſtit gratia omnipotens, invictiſſima & inſuperabilis, quòd nobis tantas ſuppeditet vires, nóſque modo tam forti tam valido ad volendum & agendum bonum manuducat, ut quantumvis infirmi & fragiles ſimus, nullâ tamen tentationum violentiâ ſuperari valeamus, dummodò velimus. Hic eſt verus, Orthodoxus ſenſus ſententiarum Sanctorum Patrum, in quibus Author Hexapl. mirificè gloriatur.

6. *Object.* S. Auguſtinus loquens de gratia efficace expreſsè dicit, voluntates humanas non poſſe reſiſtere Deo, nec impedire, ne, quod vult, faciat: ergò juxta S. Doctorem reſiſti non poteſt gratiæ efficaci.

Reſp. Grandis diſparitas, non poſſe reſiſtere voluntati divinæ; & non poſſe reſiſtere gratiæ divinæ. *Non utique dubitandum eſt*, inquit Auguſtinus, *voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere*: voluntas hominis poteſt reſiſtere gratiæ, tametſi non poſſit fruſtrare aut inutilem reddere voluntatem Domini efficacem ſalvandi hominem, quandoquidem eum ſalvet certiſſimè & infallibiliſſimè abſque impoſitione ullius neceſſitatis; ecquis niſi impius negaverit, Deum hoc poſſe?

In Analyſi propoſitionum ſequentium reſpondebitur ad alias objectiones Hexaplarum.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

NEmo non videt, has duas propoſitiones reduci ad ſecundam & quartam Janſenij. *In ſtatu naturæ lapſæ gratiæ interiori nunquam reſiſtitur.* Item: *Semi-Pelagiani in hoc erant hæretici, quòd voluerint dari gratiam, cui humana voluntas reſiſtere poſſit, vel obedire.* Cùm igitur hæ duæ propoſitiones in Janſenio ſint damnatæ ut hæreticæ, hinc etiam præſentes duæ Quenelli propoſitiones ad apicem Janſenizantes non meliorem merentur notam, ſeu qualificationem.

§ VI.

Alij errores incluſi in propoſitionibus damnatis.

QUenellus dicit, gratiam *eſſe operationem Omnipotentis Dei*: non debet permitti tranſire hæc propoſitio, utpote falſa verſatis Theologis. Verum eſt, quod Apoſtolus loquitur, *Deum in nobis operari velle, & perficere.* Sed quâ ratione id operatur? per gratiam: hanc adhibet ad ſuam operationem. Igitur gratia non eſt

ipſa Dei operatio ; nemo enim ſenſatus dixerit, inſtrumentum, quo agens utitur, eſſe ipſam operationem agentis.

Dices forſitan, has eſſe tricas & nænias innocenti Quenello intentatas ex arbitrariâ velitatione Scholaſticorum. Tenent enim nonnulli Theologorum, gratiam actualem non eſſe accidens creatum, nec aliud eſſe, quàm ipſam Dei actionem in nobis. Tranſeat ergò, ſi ita oportet, periculoſa hæc opinio. Quis verò conniveat Quenello poſt inde aſſerenti, gratiam nihil aliud eſſe, niſi ipſam Dei voluntatem? profectò hic eſt error omnium ſolemniſſimus ; error tantò pernitioſior, quòd ſit baſis & fundamentum ſuæ hæreſis de gratiâ inimpedibili, eò quòd probet, ideò non poſse reſiſti gratiæ, quia nemo poteſt reſiſtere voluntati Omnipotentis, quæ eſt ipſa gratia.

Igitur probandum, quòd gratia non ſit voluntas Dei. Gratia ſecundùm cathechiſmos communiter receptos, eſt donum Dei nobis conceſſum in tempore ex meritis Chriſti, ut per eam operemur noſtram ſalutem. Nihil horum poteſt divinæ voluntati convenire ; ergò gratia non eſt voluntas Dei, nec voluntas Dei eſt gratia. 1.ò enim voluntas Dei non eſt donum Dei, cùm voluntas Dei ſit ipſe Deus. 2.dò Hæc voluntas, quam Quenellus vult eſſe ipſam Dei gratiam, eſt æterna, gratia verò eſt tranſiens. 3.tiò Hæc voluntas non eſt fructus & effectus meritorum Chriſti, cùm ſit ipſamet divinitas, quam nemo poteſt mereri : igitur evidenter falſum & erroneum eſt, quòd gratia *nihil aliud ſit quàm voluntas Dei.*

Sed fortè inſtabis : ſi licet affirmare, gratiam nihil aliud eſſe, quàm actionem Dei in nobis ; cur non ſimiliter liceat pronuntiare, gratiam non eſſe niſi voluntatem Dei ? actio enim Dei realiter non diſtinguitur à voluntate actrice Dei ? negatur iſtud poſterius ſimiliter licere : neutiquàm ſic pronuntiare licet : quamvis enim actio Dei realiter ſit ipſe Deus, nihilominus certum eſt, talem actionem quid aliud inſinuare, quàm ipſummet Deum, quòd Deus poſſit eſſe ſine tali actione, ſitque Deo liberrimum eam ponere vel non ponere. Clareſcet

hæc veritas in exemplo. In ſententiâ negantium modos realiter diſtingui à modificato certum eſt, quòd motus meæ dexteræ ſcribentis ſit realiter ipſa dextera, quæ ſcribit. Quis verò non percipit motum eſſe quid rei plurimum differentis à meâ dexterâ? quódque ſit modus ſeu ratio eſſendi valdè accidentalis manui, quem modum mea manus poteſt non habere? pariter, quanquam actio Dei ſit realiter ipſe Deus, nemo tamen dixerit, talem actionem nihil aliud eſſe, quàm ipſe Deus, cùm Deus poſſit ſe habere ſine tali actione.

Sed necdum finis errandi. Error errorem ſicut abyſſus abyſſum invocat. Dicit Quenellus audentiore reflexione, gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem *Dei jubentis & facientis totum, quod jubet:* penetráſne recentiſſimum paradoxum? per eandem *voluntatem Deus jubet & facit in nobis per gratiam omne, quod jubet.* Inſiſtendo huic principio ecce Dei præcepta identificata, ſeu confuſa non tantùm cum gratijs, verùm etiam cum actione hominis Deo obedientis, & quidem taliter confuſa, ut jam ſint unum & idem. Itaque, ſi penes Quenellum ſtet fides & veritas, Deus non fert leges, non dat præcepta, quin ſimul det gratias ea ſervandi, & quin ea in effectu adimpleamus. Deus juxta Quenellum in nobis *facit totum, quod jubet.* Econtra ſi non operemur bonum, ſi non honoremus parentes, ſi non reſtituamus ablatum &c. id fit, quòd Deus non *jubeat*: ſi enim juberet, idipſum quoque per gratiam faceret, quod jubet; nam ſecundùm Quenellum gratia non eſt aliud, quàm voluntas Dei jubentis & facientis, quod jubet. quid abſurdiùs.

PROPOSITIO DUODECIMA.

QUuando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

PRO-

PROPOSITIO DECIMA TERTIA.

QUando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

§. I.

Senſus Naturalis propoſitionum.

SI Deus vult ſalvare animam *ſuâ gratiâ*, quocunque tempore, quocunque loco hæc gratia *producit* indubitabiliter & *neceſſariò* effectum, quem Deus *vult*, *ut gratia illa producat.*

Quando Deus *ex ſpeciali ſuâ bonitate* vult ſalvam facere animam, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana reſiſtit *nec reſiſtere poteſt* huic gratiæ. Adverbium *quandò*, vel *ſi*, quo Quenellus utitur in hâc binâ propoſitione, ſatis annotat, quòd paulatim incipiat inſinuare ſuum errorem de morte Chriſti pro ſalute hominum; facilè enim quilibet advertit ex modo loquendi Quenellino, Deum aliquas animas nolle ſalvare: ſed alibi de hoc errore fuſiùs & commodiùs diſcurremus; maneamus circa materiam, quam Quenellus continuat de gratiâ inimpedibili, id eſt, cui nemo reſiſtit, nec poteſt reſiſtere.

Quando igitur, inquit Quenellus, Deus vult ex omninò ſpeciali bonitate ſalvare animam, & conſecutivè ad hanc ſinceram voluntatem ſalvandi eam tangit manu interiore ſuæ gratiæ, nulla voluntas humana reſiſtere poteſt tali gratiæ, utpote quæ neceſſariò ſortitur effectum à Deo intentum: Hic eſt ſenſus genuinus utriuſque propoſitionis. Verum eſt, quòd Quenellus non dicat formaliter & expreſsè, voluntatem humanam non poſſe reſiſtere gratiæ, eámque ſuum effectum producere neceſſariò; ſed tantùm *nulla voluntas humana ei reſiſtit*; Item, *Effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*;

attamen liquet ex ejus principijs, alium ſenſum utrique propoſitioni non convenire præter aſſignatum: ſi enim verum ſit, quod vult Quenellus, gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei, nónne conſequitur innegabiliter nec reſiſti gratiæ, nec poſſe reſiſti, nónne manifeſtè patet, hanc gratiam producere illum effectum, à Deo volitum non ſolummodò indubitàbiliter ſed neceſſariò. Non ergò tali interpretatione injuriam facimus Quenello: at videamus, an ab Authore ſex Columnarum S. Auguſtinus, & S. Proſper nullam patiantur injuriam, cùm utrique impoſtor affingit ſuam hæreſin.

§. II.

Reſpondetur Objectionibus.

I. *Object.* DUodecima propoſitio, teſtatur Author Hexapl. (a) exprimitur in Quenello duobus verſibus ſeu rithmis gallicis, ex poëmate latino S. Proſperi tranſpoſitis hoc modo:

Quand Dieu veut ſauver l'ame en tout tems, *en* tout lieu.
l'indubitable effet ſuit le vouloir d'un Dieu.

Ergò hæc propoſitio damnari nequit; ſin minùs damnetur ipſemet S. Proſper.

Reſp. Tranſpoſitio, quam Quenellus mutuam accepit ab Arnaldo, eſt infidelis æquè ac tranſpoſitio Arnaldi: non eo candore tingitur, quo arbitratur Author ſex Columnarum: Sic ſonant verba S. Proſperi: *Nam ſi nemo unquam eſt, quem non velit eſſe redemptum; Haud dubiè impletur, quidquid vult ſumma poteſtas*: ac ſi diceret: ſi nemo in mundum venit, & in orbe vivit, quem Deus non velit redemptum eſſe, tunc, quod ſuprema poteſtas vult, ſine dubio adimpletur. Hæc eſſet fidelis & litteralis traductio duorum verſuum S. Proſperi, longè diſtans à tranſlatione gallicâ Quenelli: nec tamen vim facimus, aut differentiam ponimus in eo, quòd Quenellus variaverit terminum *redemptum*, vel *redimere*, in terminum *ſalvare*. Scitur hæc verba eſſe propè ſynonima, & quòd æquè dica-

(a) pag. 173. col. 41.

tur filium Dei veniſſe in mundum, ut nos *ſalvaret*, quàm ut nos *redimeret*: imò reperitur in Auguſtino; (*a*) illos, qui non ſunt ſalvati (intellige actualiter & reipſa) neque etiam redemptos eſſe. *Qui non eſtis redempti pretio mei ſanguinis, non eſtis mei.... currat unusquiſque & ejus ſanguine pretioſo redimatur, ne, cùm non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum....* conſtat igitur ex Auguſtino, *ſalvare* & *redimere*, *ſalvatos* & *redemptos*, eſſe ſynonima.

Falſificatio, quam deprehendimus in verſione Quenelli, conſiſtit in hoc, quòd paſſivum verbi *redimere*, *quem non velit eſſe redemptum*, mutaverit in activum verbi *ſalvare*. Ut rem capias oportet exponere mentem S. Proſperi in famoſis duobus verſibus: Igitur S. Doctor non aliò tendebat niſi ad refutandam opinionem aſtruentium in Deo voluntatem ſalvandi omnes homines tam generalem, indifferentem & æqualem versùs omnes homines, ut omnem ſpecialem providentiam in Deo circa electos excluderent; quod tamen falſiſſimum eſt; nam profectò non ſolùm ſalvari non poſſumus ſine adjutorio gratiæ divinæ, ſed neque reipsâ ſalvabimur unquam abſque gratiâ ſpeciali; & prorſus ſingulari; neque hoc ipſum præcisè ex noſtro velle, aut ſimplice conſenſu voluntatis, cùm talis conſenſus ſecundùm univerſam Theologiam non conſtituat formaliter & principaliter efficaciam gratiæ. Unde dicit S. Proſper, quòd, ſi Deus vellet omnes ſalvari voluntate æqualiter abſolutâ & efficace erga omnes, ſequeretur nullum forè damnandum: *quidquid enim ſupremæ voluntas vult voluntate abſolutè efficace, illud impletur indubitanter.*

Hoc poſito non eſt difficile advertere, qualis conſequentiæ, quantæque ſit conſiderationis, ſi in textu S. Doctoris mutes paſſivum verbi *redemptum*, in activum verbi *ſalvare*: quamvis enim uſitato modo loquendi poſſit utrumque dici, & Deum velle omnes homines ſalva-

(*a*) de ſymb. ad Cath. l. 2. c. 8.

Digitized by Google

tos ſive redemptos, & Deum velle omnes homines ſalvare ſive redimere; nihilominùs certum eſt, quòd *paſſivum* meliùs & explicatiùs exprimat ſpecialem Dei voluntatem reſpectu omnium electorum: nam *ſalvari; redimi;* eſſe ex numero ſalvatorum & redemptorum, eſt idem, quod eſſe ex numero prædeſtinatorum: Hinc S. Auguſtinus tractando de reprobis dicit; reprobos ſeu non ſalvatos *non eſſe redemptos*, & quòd unuſquiſque debeat currere, ut ſit in numero *redemptorum & ſalvatorum*, hoc eſt in numero prædeſtinatorum: atqui in tali numero non conſtituimur niſi ex ſpeciali Dei voluntate; ergò hoc paſſivum eſſe *redemptum*, eſſe *ſalvatum* multò diſtinctiùs exprimit ſpecialem Dei voluntatem reſpectu electorum, quàm activum *ſalvare, ſeu redimere.*

Sed quidquid tandem ſit de hac reflexione mox factâ, quam libenter ſubjicio cryſi & judicio ſenſati Lectoris; manet tamen inconcuſſa veritas, quòd S. Proſper hoc loco non agat de voluntate Dei generali aut conditionata circa omnes ſalvandos, ſed de voluntate ſpeciali & abſolutè efficaci circa electos; quæ voluntas ſemper ſuum effectum aſſequitur, non quidem neceſſitanter ſed indubitanter; conſtat inſuper de mente S. Proſperi, quòd nimirum non prætendat aliud ſuo carmine aſſerere, niſi, Deum non habere hanc voluntatem abſolutam, ſpecialem & efficacem in ordine ad omnes homines, cùm non omnes ſint actu redempti, id eſt, ſalvati.

2. *Object.* S. Auguſtinus explicitè teſtatur, quòd ſi Deus velit ſalutem hominis, talis homo neceſſariò ſalvari debeat: talis autem homo nequit ſalvari niſi mediante gratiâ; ergò neceſſitatur per gratiam; ergò gratiæ non poteſt reſiſtere.

Reſp. Verum eſt, quòd, ſi Deus hominem velit ſalvare voluntate abſolutè efficace, talis homo debeat neceſſariò ſalvari: ex quo tamen non infertur hujuſmodi hominem ſeſe ſalvare neceſſariò, non verò liberè: benè advertendum eſt, nec unquam oblivione delendum illud diſcrimen inter duas has propoſitiones; *neceſſe eſt impleri, quidquid Deus abſolutè vult;* Et: *quidquid Deus abſolutè vult, impletur*

Digitized by Google

neceſſariò , id eſt, modo neceſſario. Prima propoſitio eſt Orthodoxa; Secunda eſt Heterodoxa. Si enim de fide ſit, adimpleri, quidquid Deus abſolutè vult; etiam de fide eſt ob paritatem rationis, quidquid Deus abſolutè vult, adimpleri eo modo, quo vult illud impleri: atqui de fide eſt, Deum velle, ut homo ſe liberè ſalvet & non neceſſariò; itaque non ſolùm concludendum non eſt, hominem *neceſſariò* ſalvari, eò quòd Deus abſolutè velit ejus ſalutem, ſed potiùs ſequitur contrarium, ut dixi, nimirum, neceſſe eſſe, quód homo liberrimè ſalvetur, cùm Deus abſolutè velit ejus ſalutem: in exemplo hæc veritas clariùs eluceſcet.

Quando Deus voluit Saulum Tarſenſem formare vas electionis; neceſſe erat Saulum priùs converti, nec tamen neceſſe erat, ut ſe neceſſariò convertat; imò contrarium: neceſſe erat, ut ſe liberè convertat, quia Deus in hâc converſione voluit, ut Saulus retineat ſuam libertatem & poteſtatem reſiſtendi. Quapropter ſollicitè conſideremus verba S. Auguſtini, nec patiamur nos dimoveri à propoſito verſutiâ Authoris ſex Columnarum: Non igitur vult S. Doctor, aut dicit, hominem *ſalvari neceſſariò*, hoc eſt modo neceſſariò, ſi Deus ejuſmodi hominem velit ſalvum, ſed dicit duntaxat, quòd ſi Deus velit ſalvari hominem, *neceſſe ſit*, eum hominem ſalvari: non utique modo aut actu hominis neceſſario ſed libero: hinc etiam ſubjungit, *ideò rogandus eſt Deus, ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.* Qui modus loquendi plurimùm diſtat à priore.

Hæc reſponſio haud dubiè ſufficit & abundat ad explicandas omnes Patrum authoritates, quas Author Hexaplarum coacervat in receptaculum ſui dogmatis hæretici de gratia neceſſitante: Cùm verò immotus perſiſtat iterando eaſdem authoritates, hinc dandum eſt ipſi reſponſum ultimatò convincens, ſi ſe convinci permittat in veritatibus noſtræ fidei. Mutemus clypeos retorquendo in Hexapliſtam eas ipſas, quas objicit, authoritates, ac monſtrando, quòd illi textus nimium probent, ſi ſumantur in ſenſu, quem intendit.

Digitized by Google

Sic argumentor: Vel Deus voluit ſalutem Angelorum, vel noluit; ſi noluit, ejus voluntas impleta non fuit: ſi verò voluit, & ſi verum ſit, quod prætendit Author ſex Column. neceſſariò adimpleri, quidquid Deus vult, certè ſequitur, Angelos neceſſariò fuiſſe ſalvatos, non potuiſſe ſe non ſalvare, nec reſiſtere gratiæ; per conſequens non extitiſſe liberos libertate indifferentiæ; quæ tamen conſequentia falſa eſt ipſis Janſenianis docentibus, non niſi in ſtatu naturæ lapſæ amitti libertatem indifferentiæ; item homines in ſtatu innocentiæ ſicut & Angelos fuiſſe liberrimos ad conſenſum vel diſſenſum cum gratiâ. Quid ad hæc?

§. III.

Qualificatio Propoſitionum damnatarum.

HÆ Propoſitiones ſunt propemodum in immenſum *captioſæ, ſuſpectæ de hæreſi, faventes hæreſi, & hæreticis.* Sub verbis, quibus tribui poſſet ſenſus Catholicus, latet, ſéque ſubtiliter inſinuat duplex hæreſis. 1. Quòd Deus *nolit verè* ſalutem omnium hominum, & quòd Chriſtus non ſit mortuus niſi pro prædeſtinatis; Quæ eſt quinta propoſitio Janſenij damnata ut impia, blaſphema, injurioſa divinæ bonitati & hæretica. 2. Quòd nunquam reſiſtatur gratiæ, nec poſſit reſiſti: quæ eſt ſecunda & quarta propoſitio eiuſdem Janſenij cenſurata & hæretica.

PROPOSITIO DECIMA QUARTA.

QUantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

Senſus Naturalis Propoſitionis.

QUantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, *neceſ-*

Digitized by Google

ſarium eſt, ut ſe dedat *huic gratiæ*, ut accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

Hæc propoſitio ſimul & ſemel in ſuo ſenſu proprio & naturali tres errores exprimit. 1. Quòd gratia ſemper ſit efficax, & quòd non detur ſufficiens. 2. Quòd omnis peccator, qui non convertitur, careat gratia converſionis, ſitque in impotentia ſe convertendi. 3. Quòd peccatores, quando convertuntur, neceſſitentur ad converſionem, nec valeant reſiſtere gratiæ.

Profectò, cùm peccator ſe *dedit* gratiæ, gratia eſt efficax; Jam ſi verum ſit, quòd peccator ſemper ſe *dedat* gratiæ, *quando Jeſus ſe ei videndum exhibet*, nónne ſequela eſt evidens, gratiam ſemper eſſe efficacem? pariter quando peccator non ſe *dedit* gratiæ, non convertitur, id fit ſecundùm Quenellum, quòd Chriſtus non ſe videndum exhibuerit lumine ſalutari ſuæ gratiæ: Certum eſt enim penes ipſum, quòd, dum Chriſtus ſe videndum exhibet peccatori, *oporteat*, ut ſe dedat. Si deinde *oportet*, vel *neceſſe eſt*, ut ſe dedat, nónne ulteriùs ſequitur, eum non poſſe reſiſtere gratiæ; eum neceſſitari ad converſionem? ad hoc veritatis lumen ſol obſcuratur meridianus.

Sed ecce aliam præterea hæreſin, quam in ſuperficie propoſitionis non ſtatim adverteris. Videtur enim Quenellum hîc conſtituere totam eſſentiam & virtutem gratiæ in lumine intellectûs: dicit enim; *Quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat.* Satiſne eſt, ad hoc, ut peccator ſe dedat, ut accurrat, ſe ſéque humiliet, ſi Jeſus illuminat intellectum hominis ſalutari lumine gratiæ ſuæ? an non inſuper motio voluntatis requiritur per unctionem ſecretam? quapropter vel in hoc ſolo præſens propoſitio eſt hæretica & falſa: Concedo Quenellum propoſitione ſequente admittere gratiam, quæ voluntatem movet, & cor attingit; cùm verò hæ duæ propoſitiones non cohæreant, cùm una ex reflexione in Marcum, altera in Lucam procedat, adeóque nullam inter ſe relationem habeant hinc fatearis neceſſe eſt ſaltem eam, de quâ hic agitur, eſſe peſſimam in ſe ex hoc ſolo & unico reſpectu.

PROPOSITIO DECIMA QUINTA.

QUando Deus mandatum ſuum & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

PROPOSITIO DECIMA SEXTA.

NUllæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

Senſus Naturalis Propoſitionis.

QUando Deus *ex ſpeciali bonitate, quâ non erga omnes fertur*, mandatum ſuum & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui Spiritûs, & interiori vi ſuæ gratiæ, *hæc gratia nunquam deficit in operando, & ſemper neceſſariò operatur*, in corde obedientiam, quam petit.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, & *quæ poſſint non cedere gratiæ*, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

Quenellus his dictionibus repetit tres errores propoſitione antecedente complexos. 1. dicit: *Quando Deus comitatur, mandatum ſuum unctione ſuæ gratiæ* &c. præpoſitio *quando*, quâ hîc utitur, patenter denotat, Deum non ſemper comitari ſuum mandatum unctione ſuæ gratiæ; & per conſequens nos non ſemper habere gratiam, quâ mandata ejus fiant poſſibilia. 2.dò Dicit; gratiam operari in corde obedientiam, quam petit, nulláſque eſſe illecebras, quæ gratiæ non cedant. Hæc propoſitio, cùm ſit indefinita, & generalis, exprimit in ſuo ſenſu naturali, omnem gratiam nullâ exceptâ, eſſe efficacem; nunquam reſiſti gratiæ; nullam dari ſufficientem. 3.tiò dicit:

Digitized by Google

nullas eſſe illecebras , quæ non cedant gratiæ, *eò quòd nihil reſiſtat Omnipotenti* : hæc ratio & cauſa, quam affert de efficacia gratiæ, prodit Quenellum ejúſque mentem ; nempe non ſolùm gratiæ nunquam reſiſti , ſed neque poſſe reſiſti ; cùm ſit indubitanter verum , non tantùm non reſiſti, ſed nec reſiſti poſſe divinæ Omnipotentiæ : dein quis ignorat, eſſe principium ſolemne & punctum fundamentale Janſenianis , quòd voluntas ſemper & neceſſariò ſequatur illas illecebras, quæ majores ſuppeditant delectationes ; & quòd eas tam neceſſariò ſequatur, ut nequeat deflectere in partem contrariam. Hoc dogma erroneum manifeſtè continetur in hâc propoſitione; *Nulla ſunt illecebræ* &c. audiamus adhuc ſemel loquentem Quenellum, priuſquàm reſpondeatur nonnullis objectionibus Hexaplarum.

PROPOSITIO DECIMA SEPTIMA.

GRatia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum, quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem filij, nullatenùs eſt doctus à Patre.

PROPOSITIO DECIMA OCTAVA.

SEmen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

§. I.

Senſus naturalis propoſitionum.

OMnis gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet *efficaciter*, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum : quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filij , nullatenùs eſt doctus à Patre ; *nec ab eo recipit ullam gratiam.*

Digitized by Google

Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum: & *cùm non fert fructum ſuum, id inde provenit, quòd Deus hoc ſemen Verbi non irrigaverit.*

Ac ſi diceret ſine longo verborum ambitu Quenellus, nullas dari gratias ſufficientes, cùm omnes ſint efficaces; & quòd ille, qui bonum non operatur, nullam habeat gratiam ad id operandum. Reverà, ſi gratia *ſit vox illa Patris, quæ homines facit venire ad Chriſtum*; ſi hæc gratia *ſemper afferat fructum ſuum*; evidenter ſequitur, eam ſemper eſſe efficacem, nullámque dari ſufficientem; quippe quòd purè & ſimpliciter ſufficiens non faciat venire ad Chriſtum, nec afferat fructum ſuum: quicunque igitur non venit ad Patrem, nec facit fructum bonum, nullam recipit gratiam; ſi enim gratia, inquit Quenellus, docuiſſet & irrigâſſet hominem, utique homo veniſſet & fructus attuliſſet: Eſt etenim proprietas gratiæ, quòd ſemper faciat venire, & fructum ſuum afferre. Hæc nullam patiuntur difficultatem, nec minimum admittunt effugium.

§. II.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* PRopoſitio XVII. eſt deſumpta de Verbo ad Verbum ex S. Auguſtino: *Si omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me; profectò omnis, qui non venit, non audivit à Patre nec didicit.*

Reſp. Quenellus tam infidelis eſt verſor, quàm eſt infidelis Catholicus. S. Auguſtinus non docet, ut Quenellus prætendit, quòd, quicunque non venit ad filium, non ſit edoctus à Patre; ſed econtra, quòd, quicunque non audivit à Patre, non veniat ad filium; grandis differentia: *doceri & edoctum eſſe* eſt idem, ac recipere gratiam, quæ nos illuminat, nóſque provocat, ut veniamus ad Filium: *audire* autem & *diſcere* eſt idem quod conſentire gratiæ, ſéque captivum reddere illi motui & lumini: ad oculum rem demonſtrabimus in exemplo.

Sicut invanùm quis docet, nobíſque præmonſtrat exquiſitiſſimas rerum ideas, niſi præbeamus aures benignas atque attentionem debitam nos inſtruentibus; ſicut eâdem ſemper & inveteratâ laborabimus ignorantiâ vel inter Doctores, niſi dociles & ad rem attenti ſuſcipiamus verba magiſterij nos informantis; ſic pariter invanùm nos docet Pater cæleſtis gratiâ ſuâ interiore, niſi velimus audire & diſcere ejus inſtructiones; hoc eſt, niſi humili cum ſujectione doctrinæ datæ adhæreamus, nunquam perveniemus ad Filium: Ergò inſignis eſt differentia inter *edoceri* à Patre, & inter *diſcere* & *audire* à Patre: *edoceri* à Patre inſinuat gratiam ſufficientem, *diſcere* & *audire* à Patre ſignificat gratiam efficacem. Quando ergò S. Auguſtinus dicit, *quicunque non venit ad Filium, non audivit & didicit à Patre*; non vult aſſerere, quòd homo tunc nullam receperit gratiam ſufficientem, ut veniat; ſed intendit, hominem non conſenſiſſe gratiæ, vel non obtinuiſſe gratiam efficacem: Si enim talem obtinuiſſet, veniſſet; *cùm ſit impoſſibile*, ait præclarè S. Fulgentius dignus Auguſtini diſcipulus, (*a*) *ut quis recipiat gratiam efficacem, nec tamen faciat eadem opera, quando gratia in eo operatur illa opera, quæ ipſi ſunt propria.*

Quis verò fidelior ſit interpres S. Auguſtini, quàm ipſemet Auguſtinus: audiamus loquentem: (*b*) „Quando Doctor plantat & rigat verbis ſuis, poſſumus dicere, quòd *forſitan* ille, qui audit, crediturus ſit; forſitan etiam, quòd crediturus non ſit: Cùm verò incrementum dat Deus, tunc dicendum eſt *infallibiliter*; crediturus eſt, & progreſſum facturus." Quis vel modicæ tonſuræ Theologus, qui non videat S. Auguſtinum hoc textu utpote priori totaliter ſimili, velle loqui de gratiâ efficace, imò gratiam ſufficientem non ſolùm ab eo non excludi, ſed & verè ſupponi? 1.ò Gratia, de quâ hic Auguſtinus, eſt ea, quæ dat incrementum: atqui non niſi efficax dat incrementum; ergò loquitur de efficace. 2.dò S. Auguſtinus hoc loco ſcribit de auxi-

(*a*) de præd. & grat. c. 6.
(*b*) l. 2. op. imp. c. 1.

lio, cum quo forſitan homo crediturus eſt, forſitan non crediturus eſt, verbo, de auxilio, cum quo poſſumus credere: atqui de fide eſt, neminem poſſe credere verbis cujusdam Doctoris, *qui plantat & rigat*, niſi adjutus per gratiam interiorem; ergò S. Auguſtinus gratiam ſufficientem non ſolummodò non excludit, ſed eam ſupponit. Idem reſpondendum ad textum, de quo eſt quæſtio: Nimirum, cùm dicit, *qui non venit ad Filium, non audivit à Patre*, non vult per hoc affirmare, quòd hujusmodi non veniens ad Filium nullam prorſus receperit gratiam. Sed duntaxat, quòd non receperit efficacem: hâc enim receptâ utique perveniſſet ad Filium.

2. *Object.* S. Auguſtinus expreſſè dicit, quando Dominus irrigat terram noſtrarum animarum rore cæleſti, dulci & inviſibili, ut afferat fructus ſuos, tunc terra iſta non manet ſterilis, ſed profert fructus debitos: ecce propemodum formaliſſimis terminis propoſitionem Quenelli.

Reſp. Eadem propoſitio eſt hæretica in ore Quenelli & Catholica in ore S. Auguſtini. Hâc propoſitione Quenellus vult dicere, ut jam oſtenſum ſuprà, quòd gratia ſemper producat fructus ſuos: Econtra S. Auguſtinus vult tantùm dicere, quòd non maneamus ſteriles nec ſine fructibus, quando Deus abſolutè vult, nóſque facit ferre fructus mediante gratiâ ſuâ efficace; enimverò impoſſibile eſt, ut non feramus fructus, quando Dominus ipſemet eos donat, & voluntas per aſſenſum actualem eos recipit. Quæ reſponſio, ut ſatis patet, coincidit cum præcedente.

PROPOSITIO DECIMA NONA.

DEi gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.

PRO-

PROPOSITIO XX.

VEra gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

Senſus Naturalis Propoſitionis.

QUot modis, quot induſtrijs, quàm ardente & indefeſſo ſtudio laborat Quenellus, ut dogma ſuum præcipuum de gratia neceſſitante ſuadeat; non fatigatur illud iterum atque iterum inculcando: parùm eſt Quenello, ***nunquam reſiſti gratia Chriſti***, eam eſſe gratiam ***fortem***, ***potentem***, ***ſupremam***, ***invicibilem***, tam eſſe impoſſibile, ut gratiæ reſiſtas, *ac ipſi divina omnipotentia.* Hæc & alia necdum Quenello ſufficiunt; prætendit inſuper, gratiam *eſſe Dei Omnipotentis operationem*, *nihil eſſe aliud niſi ipſam voluntatem Dei:* fruſtra reclamas, libertatem hominis inauditâ hac definitione annihilari; noli moleſtus eſſe Quenello urgentiore inſtantia; aliàs tandem pronuntiabit, prout actu pronuntiat; ***quòd gratia ſit ipſe Deus***, qui vult ſecundùm totam divinæ voluntatis ſuæ extenſionem ſibi à nobis ***obediri***, ***& obeditur***; ***imperat & omnia fiunt***; ***loquitur***, & quidem ut ***Dominus***, ***& omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*** Hæc, ait, ***vera gratia idea eſt***: omnis alia idea huic non accedit, éſtque idea falſa & chymerica.

Sed quàm falſam, quàm inconceptibilem chymeram hoc loco ſuis Lectoribus depingit Quenellus in gratiam *omnipotentis gratia!* ſi vera ſit ejus idea de gratiâ, jam nihil deinceps diſtinguendum, nil conſiderandum in Deo, quàm ipſe Deus. In hâc idea mixta ſunt omnia & confuſa ad invicem; gratia Dei cum mandatis ejus, mandata Dei cum eorum impletione, voluntas creaturæ cum voluntate Crea-

toris, & totum iſtud cum divinâ eſſentiâ: in hac idea Quenellinâ jam datur non in Deo niſi ſolus & unus volendi modus, & quidquid Deus volet, neceſſariò fiet, quomodocunque id velit: in hoc ſyſtemate, quando non obeditur Deo, id fit, quòd Deus nolit ſibi obediri; & quando bonum non operamur, id fit, quòd Deus illud non imperaverit ut Dominus & Magiſter. Ita eſt, aſſeverat Quenellus gravitate dogmaticâ tanquam poteſtatem habens: ita ſanè; *Vera idea gratiæ hæc eſt*: ſincerè fatearis, Quenellum malè verſatum in formandis rerum ideis claris & diſtinctis, hîc defeciſſe ſcrutando ſcrutationes.

Ampliora accipe. Gratia ſecundùm Quenellum nihil aliud eſt, *quàm Dei omnipotens voluntas*, & *hæc eſt*, inquit, *idea, quàm Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.* Hoc adjectivum in *omnibus* meretur ſpecialem reflexionem. Quid enim verò? ergóne poſſibile, ne quidem unicum textum eſſe reperibilem in *omnibus* ſcripturis poſt iteratam ſacri Codicis evolutionem, qui deſignet aliam Ideam de gratia? ita profectò, reſpondet Quenellus, nec unicum aſſignabis textum: tota mea eſt ſacra Scriptura, mea ſunt ejus eloquia univerſa: Quouſque ruit cæca præoccupatio viri, qui datus eſt in reprobum ſenſum, ut abiret poſt ſpiritum erroris & mendacij? Si nulla penitùs occurrit authoritas in *omnibus* ſcripturis, quæ nobis aliam Ideam de gratia præbeat, Ideæ Quenelli adverſantem, quid ergò dicere vult Dominus Deus, quando jurat per ſemetipſum: *Vivo ego, quia nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat?* quando teſtatur, quoties voluerit nos congregare ſub alas, & noluerimus? quando nobis per Apoſtolum annuntiat, quòd velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire? quid vult inſuper indicare Dominus, quando peramanter petit ab unoquoque noſtrûm: *fili, præbe mihi cor tuum!* quando tenerrimo dilectionis affectu ſtat ad oſtium & pulſat, rogando, *aperi mihi, ſoror mea ſponſa;* ut recluſâ januâ intret & habitet ibi, cùm ſint ejus deliciæ, eſſe cum filijs hominum? fortiùs inſto: Quid dicere vult Dominus Deus, cùm

ferendo leges ſuas hominî proponit vitam & mortem, aquam & ignem, cum plenâ libertate & poteſtate eligendi quodcunque placuerit? cùm ut nos invitet & excitet ad obſervantiam legis promittit præmia, minatur ſupplicia? quando denique tactus dolore cordis intrinſecùs amarè conqueritur, quód rebelles ſimus & recalcitrantes divinæ ſuæ voluntati, quòd eam non adimpleamus? an hæc & alia favent ideæ, quam Quenellus de gratia fingit? an repræſentant Deum, *qui vult ſibi obediri, & obeditur? imperat, & omnia ſiunt? loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt?* abſit. Verùm audiamus iterum Quenellum, quid novi fabricet circa ideas gratiæ: ſequamur eum, quantum poſſibile, per vias ejus difficiles & extravagantes.

PROPOSITIO XXI.

GRatia JEſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis & reſuſcitantis filium ſuum.

PROPOSITIO XXII.

COncordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illicò nobis in Incarnatione veluti in fonte, atque architypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

PROPOSITIO XXIII.

DEus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

PROPOSITIO XXIV.

JUſta Idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & JEſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.

PROPOSITIO XXV.

DEus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſolâ ſuâ voluntate; jubet & ipſi obtemperatur.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

QUantumvis exotici hucuſque videantur exceſſus & extaſes Quenelli in explicanda efficacia gratiæ; fatendum tamen eſt in ingenti numero propoſitionum, quas hâc de re edidit nullas pejores eſſe, nullas Quenelli mentem clariùs exprimere, quàm ſtatim hîc poſitas: videtur omninò, vix aliquid ſuperaddi poſſe monſtruoſis Quenelli ideis de gratia, cùm dicit, *gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei, qui vult ſibi obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia ei ſubmiſſa ſunt.* Tametſi verò hujusmodi conceptus de gratia excludat omnem hominis libertatem, non tamen excludit formaliter, vel ſaltem non excludit tam poſitivè cooperationem voluntatis cum operatione gratiæ: nunc autem præſentibus hiſcè propoſitionibus formaliter excluditur non libertas duntaxat, ſed & ipſa voluntatis humanæ cooperatio; comparat enim Quenellus actionem gratiæ

cum operatione Dei incarnantis & reſuſcitantis ſuum filium, ſanantis ægrotos, creaturas è nihilo producentis; quàmvis ſit evidens, nec Chriſtum, nec ægrotos, nec creaturas, nec mortuos reſuſcitatos concurriſſe, aut potuiſſe concurrere cum operatione Dei in incarnatione, creatione, ſanatione, reſuſcitatione. ..

Interea manet veritas de fide deciſa in Concilio Tridentino contra noviſſimos Sectarios, quòd, licèt nihil poſſimus ſine gratia, gratia tamen viciſſim nihil poſſit ſine nobis. Bona actio meritoria, ajunt Catholici Theologi, eſt ſimul effectus gratiæ, & effectus libertatis humanæ, pendétque ſuo modo & ratione ſpeciali ab hâc & ab illâ: pendet à gratia tanquam à cauſa divina & ſupernaturali; pendet à libertate hominis tanquam à cauſa vivente & naturali; ſúntque hæ cauſæ tam neceſſariæ ad actionem, ut una deficiente alterâ neceſſariò ſterilis & otioſa remaneat. Hoc eſt dogma Catholicæ fidei, quod tenemur credere, ſi ſimus orthodoxi, & quod Quenellus ſúſque déque vertit, aſſimilando operationem gratiæ operationi Dei incarnantis, ſanantis ægrotos, creaturas è nihilo producentis, mortuos reſuſcitantis; quæ operationes univerſim & evidenter excludunt omnem cooperationem ſubjectorum, circa quæ exercentur à Deo illæ operationes.

Sicut ubique ſic etiam hoc loco Author Hexapl. malâ fide inſignis eſt: dicit enim (*a*) *Quenellus admittit cooperationem hominis cum gratia, quia docet formaliter voluntatem non eſſe inſtrumentum inanimatum in Dei manibus, ſed agere cum gratia:* Frivola ratio. Ut ſis Catholicus, ſufficitne dicere, quòd voluntas agat cum gratia? nónne oportet præterea credere, quòd agat ex propria ſua electione? & dum agit, poſſe non agere, vel contrarium agere actualiter, ſi velit?

Talis eſt cooperatio humanæ voluntatis, qualem etiam credere fide tenemur; quòd ſi cooperatio taliter non ſit conſtituta,

(*a*) Pag. 163. 185. col. 5.

Digitized by Google

confeſtim ſequitur voluntatem non cooperari cum gratiâ : ſic rem quoque intellexerunt omnes ſectarij penultimi ſæculi, qui in hoc magis ſinceri, quàm Quenellus cum armigero ſuo Hexapliſtâ, apertè rejecerunt omnem voluntatis cooperationem cum gratiâ, quanquam aliàs docuerint, ut & Quenellus, voluntatem non eſſe inſtrumentum inanimatum in Dei manibus, ſed agere cum ipſo Deo : Unicus ad hoc comprobandum abundat Kemnitius.

„ Gratia, inquit, (*a*) non ita operatur, ut converſio in homine „ ſit tanquam aliquid animale, ſine ullâ motione, ſine ullâ actione in„ tellectûs & voluntatis, aut cordis, ut quando Aſina Balaam loquuta eſt, neque etiam eſt aliquid violentum, ut cùm lapis proijcitur. Ne quidem eſt aliquis enthuſiaſmus, quo tenebantur olim divino ſpiritu afflati pandentes oracula &c. ſed cùm converſio ſit quædam motio & mutatio intellectûs, cordis & voluntatis, neceſſe eſt, ut in verâ converſione dentur quidam motus, quales ſunt cogitatio & cognitio legis & Evangelij, deſiderium voluntatis, *& vis, quam ſibi facit* ad conſentiendum, ex quo oritur conflictus, diffidentia ac rebellio veteris hominis. Verbo, in omni converſione oportet adeſſe aut fieri quidam motus, quædam actio, quâ intellectus *incipiat ſeſe applicare*, & intelligere, voluntas conſentire, deſiderare & velle, cor verò concipere ſerias affectiones erga res nobis propoſitas in lege & Evangelio . . . . quando igitur Spiritus ſanctus incipit ſanare naturam verbo ſuo, excitando modicas quaſdam ſcintillas roboris, potentiæ ſpiritualis, tunc neque voluntas, neque intellectus manent in otio aut in actione ; verùm hæ facultates habent novas quaſdam emotiones, *quas debent retinere meditando, orando, vim ſibi inferendo, præliando &c.* „

Quid magis deciſivum quiſquam dixerit de actione voluntatis cum gratiâ, quàm quod hîc dicit Kemnitius? num idcircò credendus eſt ſincerè Catholicus? certè non: ſimiliter, teſtetur Quenellus

(*a*) Exam. Conc. Trid. Seſſ. 6. can. 4.

Digitized by Google

centies, nós agere cum gratiâ, nos gratiæ aſſenſum præbere, nos bonum illud velle, quod facit gratia, ut faciamus. Totum iſtud haud expurgabit Quenellum ab hæreſi, quamdiu docet & dicit ſuis reflexionibus ultra ſeptuagies ſepties, iterando hunc aſſenſum eſſe voluntati neceſſarium, nos non poſſe non velle, quod gratia vult & ſuggerit, ut velimus & faciamus.

Nec meliùs ſuccedit juſtificatio Quenelli ex occaſione propoſitionis XXII. Infelix eſt Apologiſta in causâ ſui clientis ſive eum protegat circa cooperationem voluntatis cum gratiâ in ſpecie, ſive in genere. „ Quenellus, inquit Author Hexapl. (a) „ Factam ſuam compa„ rationem operationis gratiæ non facit cadere in ea, quæ in Incarna„ tione vel Perſona Chriſti geſta ſunt, ſed in Perſona Virginis Mariæ, „ ejúſque conſenſu, quem Angelo nuntianti & ſalutanti præbuit: ſu„ per quod Quenellus illicò reflectit. *Deus honorat ſuam creatu„ ram, petens ejus conſenſum.* „ Hâc juſtificatione nihil infirmius: ne enim dicam reflexionem iſtam cum illâ, de quâ hìc agitur, nullatenùs cohærere, cùm ipſe Quenellus eas ſeparet ab invicem virgulâ intercalari: ne etiam dicam, propoſitiones, quibus ſcatet totum ejus teſtamentum reflexivum, tam apertè prodere ſenſus & cogitationes Quenelli, ut non remaneat dubitandi locus; his prætermiſſis patet inſuper evidentiâ rei, eſtque manifeſtum ex ipsâ propoſitione XXII. (quam Author Hexapl. incaſsùm juſtificare nititur.) quòd facta illa comparatio unicè cadat in ea, quæ geſta ſunt circa Perſonam Chriſti, non verò in conſenſum à Virgine datum ad verba Angeli nuntiantis.

Quæ eſt enim operatio illa, cum qua operatio Omnipotentis gratiæ juxta Quenellum comparatur? reſpondet Quenellus: *eſt operatio originalis, fons, atque Architypus omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ.* Jam verò nemo dixerit, conſenſum Virginis ad verba Angelici Paranymphi fuiſſe fontem, originem, architypum omnium operationum gratiæ & miſericordiæ: ſed dicendum potiùs contrarium; videlicet, quòd gratia, quam Dominus Ma-

(a) pag. 219. col. 4.

riæ dedit ad præbendum aſſenſum, fluat ex hoc fonte, & Architypo, cùm omnes gratiæ, nullâ exceptâ, procedant ex tali operatione originali: Ergò conſenſus Virginis non eſt illa operatio, cui Quenellus aſſimilat operationem gratiæ, ergò Quenellina illa comparatio non cadit in conſenſum hominis, ſed in operationem ipſius Dei incamantis Filium ſuum. Quis præſumat reſiſtere demonſtrationi adeò ſtringenti, & ineluctabili? quàm ſpiſſæ ſint tenebræ hæreſeos, ſi pergant occulere veritatem tam palpabilem! quàm incircumciſa & indurata ſint corda hæreticorum, ſi dicant, ſe lumen hujus Veritatis non videre! ſed iterum aures demus hæreticis noviſſimi temporis, qui aſſociantes impudentiam hæreſi rotundè docent æquè ac Quenellus, voluntatem non cooperari gratiæ, quanquam æquè ac Quenellus teneant, voluntatem humanam in manu Dei non eſſe inſtrumentum inanimatum, ſed agere ſimul cum gratiâ.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum Doctrinâ hæreticorum.

Luth. tom. 1. *in ſolut. prop. Leip. Conc.* 2. Fruſtra garruli ſophiſtæ afferunt hanc diſtinctionem nimirum, actionem eſſe totam à Deo, ſed non totaliter: *eſt enim à Deo tota, & totaliter.*

Idem in toto l. de lib. arb. &c. Homo regeneratus non agit, nec ullam vim facit perſeverandi in regno Spiritûs S. *omnia facit in nobis*, ita quidem, ut nihil libero arbitrio faciendum remaneat, *nihil, dico, & prorſus nihil.*

Kemn. exam. Conc. Trid. ſeſſ. 6. *can.* 4. Lutherus utens modo loquendi ſcholaſticorum dixit pro explicandâ ſuâ mente, quòd voluntas, *ſit purè paſſiva ſub operatione gratiæ*: nihilominùs non docuit, quòd converſio fiat abſque cogitatione intellectûs, & abſque conſenſu voluntatis; ſed voluit dicere, Deum trahere illos, quos convertit, per voluntates, quas ipſe operatur in illis per Spiritum ſuum ſanctum, ut dicit S. Auguſtinus: *ergò iſte modus loquendi non eſt malus, ſi benè intelligatur.*

Digitized by Google

Calv. Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. *c.* 6. Cùm impietas Pelagij fuerit rejecta communi conſenſu antiquæ Eccleſiæ ex ſpeciali beneficio divinæ providentiæ; non ampliùs licitum erat loqui cum tanta impudentia de meritis hominum: interim Patres Concilij Tridentini excogitârunt medium, nimirum *ne omnia tribuantur Deo, ſed etiam ne omnia ei tollantur in juſtificatione hominis*: itaque videntur nonnihil modeſtiores, quâm olim fuerat Pelagius.

Idem eod. loco. Verùm in quo faciunt hominem Dei conſocium? *quia, inquiunt, liberè recipit gratiam Dei, quam poſſet reſpuere.* Quantùm in hoc diminuunt virtutem Dei deſcriptam à propheta!

Idem l. 3. *inſtit. c.* 24. §. 7. Si evidenter impium ſit *partiri bonum opus inter gratiam Dei & voluntatem hominis*; ne dubitemus, Apoſtolum voluiſſe, ut totum referatur ad Deum, *nihil relinquendo noſtris voluntatibus.*

Janſ. tom. 2. *l.* 2. *c.* 23. Evidens eſt, quòd ſit *impietas, partiri cum Deo laudem boni operis, & bonæ voluntatis*: nam poſt lapſum hominis *tota laus* boni operis debet referri *ad ſolam gratiam.*

Idem tom. 1. *l.* 5. *c.* 11. Dicere, quòd gratia nos excitet, nóſque attrahat, & quòd agat cum voluntate, *ſunt modi loquendi Pelagianorum.*

Idem tom. 3. *l.* 2. *c.* 23. Quando S. Auguſtinus tractat ſecundùm ſacras ſcripturas de bonis volitionibus hominis lapſi, *nullum eſt quantumlibet tenue bonum, quod poſſimus velle partiri cum Deo, ita ut permittat id tolli gratiæ.*

Idem eod. loco. Quid vult dicere hic locus Apoſtoli: *Deus operatur velle?* niſi quòd Deus operetur & efficiat *ipſam determinationem voluntatis.*

§. III.

Probatio Veritatis Catholicæ propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

Omnes hucuſque allatæ rationes, quòd homo poſſit reſiſtere gratiæ, etiam huc pertinent; Si enim operatio talis gratiæ ſimilis

eſſet operationibus Dei incarnantis ſuum Filium, ſanantis ægrotos, è nihilo producentis creaturas, & mortuos reſuſcitantis; ſi non ageremus cum gratiâ liberè & ex propria arbitraria electione, ſed neceſſariò, tunc utique nugaces forent invitationes ad bonum; fruſtra proponerentur exempla ædificationis; inaniter promitterentur præmia, ſtatuerentur ſupplicia &c. ad commendandas virtutes & eliminanda vitia.

Ex Scriptura.

Pſalm. 69. Deus in *adjutorium meum intende*, Domine ad *adjuvandum me* feſtina.

Sap. 9. *v.* 10. Mitte Sapientiam de Cælis Sanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, *& mecum laboret.*

Ezech. 18. *v.* 31. *Facite vobis* cor novum & Spiritum novum.

Rom. 2. 6. Reddet unicuique *ſecundùm opera ejus*, ijs quidem, qui ſecundùm *patientiam boni operis*, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.

1. *Corinth. c.* 3. *v.* 8. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem; *Dei enim ſumus adjutores.*

1. *Corinth. c.* 4. *v.* 5. tunc *laus erit unicuique* à Deo.

1. *Corinth. c.* 15. *v.* 10. Abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei *mecum.*

2. *Tim.* 4. 8. Repoſita eſt mihi corona *juſtitiæ.*

Ex Patribus.

Conc. Arauſ. c. 9. Quoties bona agimus, Deus in nobis *atque nobiſcum*, ut operemur, operatur.

Senon. in Præfat. Non ego, ſed gratia Dei mecum: unde rectè conficitur, ipſum divinæ gratiæ etiam ut reliquos *cooperatum fuiſſe.*

Trid. Seſſ. 6. *c.* 7. Juſtitiam in nobis recipientes .... ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, *& cooperationem.*

Ibid. c. 32. Opera bona ſunt ita Dei dona, ut etiam *bona ſint juſtificati merita.*

Ibid. can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium *nihil cooperari* aſſentiendo Deo excitanti. Anathema ſit.

Hilar. in Math. 7. *v.* 28. De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda. Præſtandum eſt aliquid *de proprio*, ut bonum velimus, malum omne vitemus.

Greg. Nazian. Orat. 21. Quod etiam ipſum ſingularis & eximiæ Dei bonitatis argumentum eſt; *ut noſtra quoque* aliquâ ex parte ſit virtus, nec naturâ tantùm nobis inferatur; *ſed voluntate etiam animi, qua propoſito excolatur*, arbitriique libertate, parem in utramque partem motum habente.

Chryſ. hom. in c. 4. *Gen.* Non enim *ſicut in corporalibus vulneribus* videri ſolet, ita & in voluntate eſt.... & neceſſitatem utique non imponit; ſed congruis remedijs appoſitis *totum jacere in agrotantis ſententiâ dimittit. Reſſ.* Propoſitio longè diſtans à propoſitione Quenelli, qui comparat operationem gratiæ operationi Dei ſanantis ægrotos, & mortuos reſuſcitantis.

Id. hom. 2. *in ep. ad Tim. c.* 1. Qui enim, cùm nos perditi, inimicíque eſſemus, ſalvos per gratiam fecit, multò magis, *cùm operatores viderit, cooperator accedit.*

Id. hom. 1. *ad Eph. c.* 1. Virtutíque deditos nos fieri ac credere, & hoc ipſum quidem vocantis eſt, verùmtamen *ſimul & noſtrum.*

Id. hom. 3. *ad Tim. c.* 1. Vides, ut omnibus in locis (Apoſtolus) ſuam ſemper juſtitiam ſupprimat, totúmque Deo adſcribat, ita tamen, ut libertatem non tollat arbitrij. Dixiſſet enim infidelis quiſpiam: ſi totum Dei eſt, nihil à nobis infertur; ſed veluti ligna & lapides ad virtutem à vitijs transfert: quid eſt, quod Paulum quidem talem facit, Judam verò longè diſſimilem? Hujuſmodi igitur objectis occurrens, vide quàm prudenti ſermone uſus eſt: *Creditum*, inquit, *mihi eſt Evangelium.* Hoc jam *ipſius rectè factum*, ipſius dignitas eſt: verùm non ipſius totum. Nam protinus ſubdit: *Gratias ago ei, qui me confortavit:* Hoc profectò jam Dei eſt. Deinde rurſus, quod ſuum erat, adjecit: *Quoniam fidelem me exiſtimavit*: prorſus, quia *ex ſemetipſo* intulerat aliquid.

Id. in Ep. ad. Hebr. c. 8. *hom.* 13. Neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Non hoc dixit, quia invanùm currimus, ſed quid? Quoniam invanùm currimus, ſi noſtrum univerſum eſſe putaverimus, ſi non plurimam partem Deo tribuerimus. *Neque enim Deus totum ſuum eſſe voluit*, ne videatur ſine causâ nos coronare: neque iterum noſtrum, ne in ſuperbiam incidamus.

Aug. tract. 4. *in ep. Joan. c.* 3. Omnis qui habet ſpem hanc, caſtificat ſeipſum, ſicut & ipſe caſtus eſt. Videte quemadmodùm non abſtulit liberum arbitrium ut diceret: *caſtificat ſeipſum.* Quis nos caſtificat, niſi Deus? ſed Deus *te nolentem* non caſtificat. Ergò *quòd adjungis voluntatem tuam Deo*, caſtificas te ipſum. Caſtifica te, non de te, ſed de illo, qui venit, ut habitet in te; Tamen *quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum eſt.*

Id. ſerm. 94. *de temp.* Si Deus operatur in nobis, quare dictum eſt? *Veſtram ſalutem operamini*; quia ſic Deus in nobis operatur, *ut nos operemur. Adjutor meus eſto*: Deſignat eſſe *cooperatorem*, qui invocat Adjutorem.

Idem ep. 106. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. *Non quia nullus eſt hominis atque voluntatis curſus*; ſed quia nihil poteſt, niſi ille miſereatur. *Non ego*, inquit Apoſtolus, *ſed gratia Dei mecum.* Non quia nihil ipſe agebat, ſed quia nihil ageret, ſi illa non adjuvaret.

Id. in pſalm. 35. Oſtendit Deus, quia ipſe vincit; *ſi ſe* homo *ſubjungit* Deo.

Id. l. de merit. pecc. c. 5. Nec ideò tamen de hâc re ſolis votis agendum eſt, ut non ſubinferatur admittendo *noſtra efficacia voluntatis*: Adjutor enim noſter dicitur Deus: nec adjuvari poteſt, *niſi qui etiam ſponte aliquid conatur.*

Id. l. 4. *cont. Julian. c.* 8. Calumniaris me dicere, nihil ſtudij *expectari ab humanâ voluntate* debere.

Id. l. 1. *Retr. c.* 23. Credere & facere bonum *utrumqe noſtrum eſt*, propter arbitrium voluntatis; & utrumque tamen datum per ſpiritum ſidei & charitatis: Et eâdem regulâ, & utrumque ipſius

eſt, quia ipſe præparat voluntatem: *& utrumque noſtrum*, quia non fit, niſi volentibus nobis.

Id. de grat. & lib. arb. c. 5. Cùm dixiſſet: *gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus laboravi &c.* ſubjungit: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum:* id eſt, non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc *nec gratia Dei ſola*, nec ipſe ſolus; ſed gratia Dei cum illo.

Ibid. c. 17. Ut velimus, ſine nobis operatur. Cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, *nobiſcum cooperatur.*

Id. l. 1. *ad ſimpl. q.* 2. Ut velimus enim, & ſuum eſſe voluit & *noſtrum*: ſuum volendo, noſtrum ſequendo.

Id. de corr. & grat. c. 2. Non ſe itaque fallant, qui dicunt: ut quid nobis prædicatur, & præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis. Sed intelligant, ſi Filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, *agant*... Aguntur enim, *ut agant*; non ut ipſi nihil agant.

Paulin. ep. 2. *ad Sever.* Quæ igitur nobis gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus; niſi *de proprio* ſerviamus, id eſt, de libero arbitrio.

Auth. de vocat. gent. l. 1. *c.* 1. Inter quam (voluntatem) & gratiam Dei quorundam non ſana diſcretio eſt, exiſtimantium, quòd prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec advertentium eandem regulam ſibi poſſe obijci, quòd gratiam negent, cùm eam voluntatis humanæ non ducem volunt, ſed comitem. Si enim tollitur voluntas, *ubi ipſa eſt vera origo virtutum?* Si tollitur gratia, ubi ipſa eſt bonorum cauſa meritorum!

Ibid. l. 2. *c.* 8. Datur gratia ante illum laborem, unde mercedem quiſque accipiat *ſecundùm ſuum laborem.*

Ibid c. 9. Sed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidijs, *ut divino in ſe cooperetur operi*, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtadium.

Fulgen. de inc. & grat. c 30. Voluntas gratiæ ſecum operanti ſervitium *obedientiæ cooperatricis* exhibet.

Digitized by Google

Greg. Mag. l. 16. *Mor. c.* 10. Superna pietas ſubſequente *noſtro libero arbitrio* bonum, quod appetimus, agit *nobiſcum*.

Id. ibid. l. 33. *c.* 20. Bonum, quod agimus, & Dei eſt & *noſtrum:* Dei per prævenientem gratiam: noſtrum per conſequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum agimus? Rurſum, *ſi noſtrum non eſt*, unde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergò non immeritò gratias agimus, ſcimus, quòd ejus munere prævenimur: & rurſum quia non immeritò retributionem quærimus, ſcimus, quòd ſubſequente libero arbitrio *eligimus*, quæ ageremus.

Beda de var. qq. q. 13. Deus bona ſua promittit, ut tamen *labore noſtro* acquirantur. Quòd ſi voluerimus ad laborem in omnibus, quæ benè agemus, *nobis cooperabitur.*

Bern. de grat. & lib. arbit. c. 14. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo actu præveniat, in cæteris comitetur: Ad hoc utique præveniens, ut jam ſibi deinceps cooperetur, ita tamen, quod à ſolâ gratiâ cæptum eſt, *pariter ab utroque* perficitur: ut mixtim, non ſigillatim, ſimul non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia; partim liberum arbitrium; ſed eorum ſingula opere individuo peragunt.

Id. eod. libr. circa finem. Non autem ego, ait Apoſtolus, ſed gratia Dei mecum. Potuit dicere, *per me*; ſed quia minus erat, maluit dicere: *mecum:* præſumens ſe non ſolùm operis eſſe miniſtrum per effectum, *ſed etiam operantis quodammodo ſocium per effectum.*

D. Thom. 1. 2. *q.* 3. *a.* 2. *c.* In illo effectu, in quo mens noſtra & movet, & movetur, operatio non ſolùm attribuitur Deo, *ſed etiam animæ.*

D. Bonav. l. 2. *D.* 26. *a.* 1. *q.* 6. *ad* 1. Sic voluntas movetur à Deo, quòd movetur etiam *à ſeipsâ.* Et ideò omne opus meritorum attribuitur gratiæ, *& libero arbitrio.*

Id. l. 4. *d.* 5. *a.* 3. *q.* 1. *c.* Cooperari alij eſt dupliciter, vel per

modum veræ efficientis : ſic natura cooperatur Deo in productione naturalium, & *liberum arbitrium gratia* in faciendo opus meritorium : vel per modum diſponentis, *ſicut cooperatur homo*, quantùm ad gratiam recipiendam, quia ſe diſponit.

De imit. Chr. l. 1. *c.* 24. Veniet ad te Chriſtus oſtendens tibi conſolationem ſuam, ſi dignam illi *ab intus paraveris manſionem* .... Eja anima fidelis ! *prapara* huic ſponſo *cor tuum*, quatenùs ad te venire & in te habitare dignetur.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

EX univerſa maſſa textuum, quos congeſſit Author Hexapl. juſtificandis propoſitionibus Quenellinis non niſi duo videntur probare aliquid, aut mereri nonnullam attentionem. Primus eſt S. Auguſtini ; dum aſſerit, *non eſſe exemplar prædeſtinationis illuſtrius & evidentius, quàm ipſe Chriſtus.* Secundus eſt S. Fulgentij, qui docet, *nos reperire in carne Chriſti exemplar omnium eorum, quæ nobis ſpiritualiter agnoſcenda ſunt in noſtra fide.*

Reſp. Juxta præſcriptum S. Auguſtini obſervandum, in quid vel ſuper quid cadat ſimilitudo ſive comparatio, & in quo unum cum alio aſſimiletur, ad hoc ut pateat, an ſimilitudo ex toto claudicet, vel utrùm ſit accomoda & rationabilis ſaltem ex parte ; quandoquidem nulla adæquatè & plenè coincidat cum aſſimilato. Quando igitur S. Auguſtinus teſtatur, Chriſtum eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis, vult dicere ſolummodò, noſtram prædeſtinationem ad gratiam eſſe tam gratuitam, ac prædeſtinatio Chriſti : de hoc enim tantùm tractabat S. Doctor, ut videre eſt circa initium illius capituli, ex quo præallatus textus citatur : *Quid dicam ampliùs*, inquit, *(a) credo me ſufficienter & plus quàm ſufficienter demonſtràſſe, quòd initium fidei, & perſeverantia uſque ad finem ſint dona Dei.*

(a) lib. de dono perſev. c. 24.

Ecce! de quo tunc agebatur contra Semi-Pelagianos, de initio fidei & finali perſeverantiâ, non verò de vi & robore divinæ gratiæ in noſtras voluntates; non ergò aliud vult, aut loquitur S. Doctor, quàm quod ſtatim diximus.

Idem reſpondendum ad Authoritatem S. Fulgentij, *(a)* ubi non alia ex intentione comparat fidem noſtram cum Incarnatione verbi, quàm ut probet, fidem eſſe effectum gratiæ Spiritûs ſancti; *ſicut enim*, ait ſanctus Doctor eodem loco, de quo eſt quæſtio: *ſacratiſſima Virgo non potuiſſet nec incipere, nec parere carnem Jeſu Chriſti ſine operatione Spiritûs ſancti; pariter fides non poterit concipi, nec creſcere in corde hominis, niſi Spiritus ſanctus ſe in illo diffundat, fidémque in corde conſervet: Eandem enim recepimus Nativitatem ab eodem Spiritu, quo natus eſt Chriſtus.* Quis in omnibus iſtis offendit vel minutiſſimum veſtigium illius gratiæ fortis, præpotentis, ſupremæ, invincibilis, inimpedibilis? in quam tamen Quenellus totam ſuam comparationem claudicantem refundit & applicat.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

HÆ propoſitiones ſunt evidenter captioſæ, falſæ, & hæreticæ. 1. Sunt *captioſæ*, quòd verum cum falſo miſceant fraudulentiâ perquam ſeductoriâ: Verum eſt 1.ò quòd gratia Chriſti ſit imitatio Dei incarnantis Filium ſuum, in quantum ſcilicet gratia eſt donum gratuitum ſicut elevatio ſanctiſſimæ Humanitatis Chriſti ad unionem hypoſtaticam Verbi. Verum eſt 2.dò operationem gratiæ eſſe conſecutionem operationis Dei incarnantis Filium, quia Filius nobis meruit omnes gratias, quas obtinemus. Verum eſt 3.tiò reſuſcitationem mortuorum, curationem languentium eſſe imaginem repræſentativam eorum, quæ indies nobiſcum contingunt in animabus noſtris; ſicut enim Dominus reſtituit ſanitati ægrotos, & vitæ mortuos potentiâ divini-

(a) lib. de ind. & gr. c. 20.

Digitized by Google

divinitatis ſuæ, ſic ſanat ægritudines noſtras morales & ſpirituales; ſic reſuſcitat peccatores à morte peccati per eandem potentiam divinitatis ſuæ, tametſi modo plurimùm diſcrepante. Omnes hæ Veritates, dexterrimè hæreſibus & falſitatibus permixtæ, ſunt aptiſſimæ fallendi fideles & in errores pertrahendi: hoc eſt, Quod præſentes propoſitiones reddit captioſas.

2. Hæ propoſitiones ſunt *falſa.* Quid enim à vero remotius, quàm quod præſumit Quenellus propoſitione XXII. Concordiam gratiæ efficacis omnipotenter operantis cum conſenſu noſtræ voluntatis demonſtrari illico incarnatione? difficultas concordiæ inter gratiam & voluntatem liberè conſentientem juxta S. Auguſtinum conſiſtit in hoc; quomodo Pater homines trahat ad Filium, quos reliquit in manu proprij conſilij ac liberi arbitrij? *Quomodo enim hac fieri poſſunt*, interrogat S. Doctor, (*a*) *ut Pater trahat, ſi quemlibet permittit eligere ad placitum?* En quomodo hæc fieri poſſint, reſpondet ſubtilis Quenellus: Hæc fiunt eodem modo, quo facta eſt incarnatio. Conſiderate, inquit, & benè advertite *hanc operationem originalem*: in ea invenietis haud difficulter ſolutum nodum Gordium prægrandis hujus difficultatis, quæ tantopere torquebat S. Auguſtinum; in ea reperietis *veram ideam* concordiæ gratiæ efficacis cum libertate voluntatis.

Nil tantoperè chymericum, quàm iſthæc idea! quæ planè nullum habet eſſe in rerum natura, niſi fortè in læſa imaginatione Janſenizantis & arbitrantis omnia ſacra & profana militare pro ſua hæreſi, tametſi aperto Marte contradicant: Vera enim Idea libertatis conſiſtit in potentia eligendi, quodcunque volumus: *Ut quis*, ait Auguſtinus, *quod voluerit, eligat*: atqui de fide eſt, humanitatem Chriſti non elegiſſe unionem cum Verbo: ergò hæc unio non præbet Ideam concordiæ ſeu unionis gratiæ cum libertate. Quod majus eſt, dicendum inſuper, hanc unionem hyppoſtaticam ne quidem Ideam eſſe concordiæ gratiæ efficacis cum libertate, prout Janſeniani intelligunt hanc libertatem: libertas

(*a*) L. cont. lit. Petil. c. 84.

Digitized by Google

penes ipſos non eſt aliud, niſi voluntarium, quod conſequitur præcedentem cognitionem objecti, ad quod per voluntatem fertur; porrò manifeſtum eſt, quòd humanitas Chriſti nec præcedenter cognoverit, nec deinde voluerit vinculum hypoſtaticum, antequam fuerit actu unita Verbo; fuit autem in primo inſtanti ſuæ conceptionis unita: ergò unio humanitatis cum divinitate nullam ſuppeditat Ideam concordiæ gratiæ cum libertate; ne quidem in ſenſu, in quo Janſeniſtæ libertatem uſurpant; ergò Idea iſthæc prorſus *falſa* eſt & chymerica.

3. Hæ propoſitiones tandem ſunt formaliter *hæretica*: Etenim clarè ſtatuunt & quidem terminis expreſſiſſimis; voluntatem humanam non poſſe reſiſtere gratiæ; non concurrere cum ejus operatione; non cum ea liberè agere: errores jam dudum proſcripti, & Anathemate infames in Concilio Tridentino. Seſs. 6. can. 4.

§ VI.

Alij errores incluſi in propoſitionibus damnatis.

QUenellus univerſaliter de gratia pronuntiat, quòd ſit gratia *fortis, potens, & invincibilis*; id eſt, prout ſuprà notatur, quòd omnis gratia ſit hujus characteris, & *quòd nunquam ei reſiſtatur*; quæ eſt propoſitio ſecunda Janſenij: adjungit Quenellus, Deum illuſtrare animam, atque ſanare per ſolum impulſum voluntatis, imò per ſolam divinam voluntatem; qui eſt alius error, quem ſicut indefeſsè multoties inculcando reiterat, ſic nos infatigabiliter eundem multoties refutabimus.

PROPOSITIO XXVI.

NUllæ dantur gratiæ niſi per fidem.

PROPOSITIO XXVII.

FIdes eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

§ I.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

NUllæ dantur gratiæ *ſive actuales*, *ſive habituales*, niſi per *veram* fidem *Chriſtianam*.

Vera fides *Chriſtiana* eſt prima gratia & fons omnium aliarum ſive *actualium*, *ſive habitualium*.

Nullus unquam Catholicorum traxit in dubium grandem illam Religionis noſtræ Veritatem ſtabilitam in Concilio Tridentino, quòd fides ſit initium ſalutis, fons & fundamentum totius juſtificationis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, teſtante Apoſtolo, (a) *quia eſt*, *& inquirentibus ſe remunerator ſit.* Salvus non erit, nec eſſe quis poterit, niſi invocaverit nomen Domini Dei ſui; invocari Deus haud poterit, niſi priùs cognitus, nec utiliter cognoſci ad ſalutem niſi per fidem: igitur gratia fidei eſt prima gratia: igitur mediante hâc gratiâ recipimus cæteras omnes ad ſalutem æternam congruentes. Sed qualis eſt illa fides, de quâ hîc loquitur Apoſtolus, nec non Concilium Tridentinum? Catholicis duæ dantur ſpecies fidei: fides initians ſeu initiata, confuſa atque imperfecta, quâ homo incipit cognoſcere primum & ſupremum Ens, à quo habeat ſuum eſſe, quódque remuneretur virtutes, & puniat vitia, & à quo ſolo poſſit ſibi polliceri auxilium in neceſſitatibus, in tribulatione, in anguſtijs tum corporalibus tum ſpiritualibus: deinde Fides perfecta, vera & Chriſtiana; quâ homo agnoſcit diſtinctè, corde credit, & ore confitetur præcipua Religionis myſteria per Eccleſiam de fide propoſita.

De fide priore initiata & imperfecta docent Catholici (non de verâ fide Chriſtianâ) quòd ſit *prima gratia & fons omnium aliarum*: de poſteriore verò dicunt, quòd excellens illud Dei donum, Chriſtianos efficiens, nóſque diſtinguens ab infidelibus & Idololatris, ſemper præcedatur pluribus alijs donis ſupernaturalibus, ad plenam fidem nos præparantibus: nunquam enim aſſequimur fidem veram & comple-

(a) ad Heb, 11. v. 7.

Digitized by Google

tam, niſi per viam ſacram bonorum operum, quæ omnia ſunt effectus gratiæ prævenientis conceſſæ homini infideli, ut perducatur ad gregem & ovile Chriſti.

Non ita ſentiunt & docent Novatores; ſicuti nullam admittunt converſionem & juſtificationem initiatam, ſic neque agnoſcunt aliam fidem præter completam, veram & Chriſtianam, à Deo infuſam cordibus infidelium in primo inſtanti regenerationis ſpiritualis: Hæc eſt penes ipſos prima gratia à Deo recepta, & fons omnium aliarum. Ante hanc nulla recipitur, cujuscunque naturæ ſit, nec efficax, nec ſufficiens, & quidquid antecedit pretioſum hoc Dei donum, nequit eſſe, ut mox intonabit Quenellus, (*a*) *niſi tenebræ, niſi aberratio, niſi peccatum.* Audiamus adhuc ſemel de hoc differentem Primatem inter rigidos Calviniſtas in Hollandia.

„Quantum concernit habitudinem & virtutem fidei, inquit „Gomar, (*b*) Papiſtæ docent, eam dari primâ vice in baptiſmo „per gratiam regenerationis ſive parvulis ſive adultis, ut patet ex „Concilio Trid. Seſſ. 6. can. 7. Noſtri autem meritò hoc negant, „volentes fidem infundi cordibus adultorum ante lavacrum baptiſmatis ex virtute Spiritûs Sancti .... deinde docent Papiſtæ ulteriùs, fidem actualem, qua creditur actualiter primâ vice, non „eſſe effectum fidei infuſæ, ſed diſpoſitionem & præparationem, „quæ præcedat fidem; & ſic primam illam fidem actualem ſive actio„nem credendi eſſe ante baptiſmum & regenerationem, hominém„que tali fide non aquirere remiſſionem peccatorum, nec adoptio„nem filiorum ad vitam æternam. Verùm noſtri negant hæc talia „poſſe probari ex ſacris litteris, defendentes, fidem actualem pro„cedere ab habitu infuſo fidei, id eſt, ex virtute fidei, tanquam „fructus ab arbore, tanquam rivulus à fonte, & tanquam motus „vitalis à vivente; non ſolùm poſt baptiſmum, quod Papiſtæ conce„dunt, ſed etiam ante baptiſmum, & quòd ex hac fide homo obtineat „remiſſionem peccatorum & adoptetur in hæreditatem filiorum Dei.

[*a*] Propoſ. 48.
(*b*) Expl. c. 11. Math. p. 59.

Digitized by Google

„ Noſtri adverſarij „ pergit idem Gomar alio loco, (a) „ ex fal-
„ ſo antecedente ineptè inferunt, primam attractionem Patris nihil
„ aliud eſſe, quàm diſpoſitionem; cùm tamen ſit verus habitus perma-
„ nens: eſt enim evidens, quòd ex Deo natum eſſe, non ſit puta
„ diſpoſitio aut qualitas fragilis & facilè mobilis à ſubjecto; ſed
„ qualitas durabilis & permanens, & conſequenter habitus... Un-
„ de concluditur 10. eſſe attractum à Patre & eſſe natum ex Deo in
„ opinione adverſariorum ſignificare unum & idem; nova generatio,
„ vel converſio habitualis ad fidem & charitatem non acquiritur per
„ frequentiores actus fidei & charitatis, qui eliciuntur ante regenera-
„ tionem.... ex allatis inſuper ſequitur id falſum eſſe, quod adver-
„ ſarij dicunt, nimirum hominem à Patre attractum & ex Deo na-
„ tum poſſe nihilóminus non converti, & ſæpiùs neque actu conver-
„ ti; id eſt, quòd hæc attractio non ſit gratia reddens actum fidei
„ perfectum, ſed tantùm gratia ſufficiens, cui homo à Patre attrac-
„ tus taliter poſſit reſiſtere, & non ſemel ei reſiſti, ita ut ad Chri-
„ ſtum non perveniat: in quo etiamnum errant, quòd velint, talem
„ attractionem non eſſe habitum, ſeu virtutem fidei, ſed duntaxat di-
„ ſpoſitionem ad fidem. „

Manet ergò indubitatum, ab hæreticis non admitti aliam fidem, niſi veram, perfectam & Chriſtianam: proinde certum eſt, quòd velint fidem non præſupponere ullam diſpoſitionem prævenientem, aut ullam præcedentem gratiam, cujuſcunque naturæ; item, quòd velint, fidem veram & perfectam eſſe primam gratiam ab infideli à Deo receptam, & per conſequens omnes illos, qui in Chriſtum non credunt, nullam recipere gratiam ad obtinendam fidem & operandam ſalutem. In hoc conſiſtit dogma hæreticum Quenelli tam in bina propoſitione præſente, quàm ſubſequente; quod dogma adeò patenter & clarè exprimit, ut meritò admireris ejus Apologiſtam (b) tam improbè ſtudioſum, extricare ſuum Quenellum ex hoc labyrintho; utque meritò attonitus hæreas ad obſtinaciam Hexapliſtæ,

(a) Aſſert. doc. de gr. con. p. 124.
(b) pag 223. col. 4.

Digitized by Google

& quidem *ſtupore tam grandi*, ac ille fatetur ſe obrutum legendo binarum propoſitionum damnationem.

Non eſt hîc quæſtio, de quâ gratiâ voluerit loqui Quenellus impræſentiarum & ſequentibus duabus propoſitionibus: manifeſtum & innegabile eſt, eum loqui de omni gratiâ ſive actuali ſive habituali; particula *nulla* gratia & terminus *omnes* gratiæ includunt *omnem* & *nullam* excipiunt. Author ſex Column. nobiſcum convenit; non litigat deſuper, ſed duntaxat de ſenſu, quo ſumi debeat terminus fidei: prætendit etenim, fidem in allatis & agitatis propoſitionibus non aliud ſignificare, niſi initium fidei, niſi fidem imperfectam, vel confuſam, non verò perfectam, diſtinctam, veram & Chriſtianam.

Sed quis ignorat, terminum *fides* in ſeipſo conſideratum, nullâ adjunctione limitatum, ſignificare naturaliter & obviè fidem veram, plenam & completam juxta uſitatum loquendi modum? ex univerſis Scripturæ & Patrum ſententijs, quas affert Author Hexapl. pro causâ Quenelli, vel potiùs, ut ſuæ hæreſis complices reddat & ſacras paginas & ſanctos Patres, nulla invenitur, in quâ terminus *fides* non ſumatur pro fide verâ & perfectâ; excipe loca, ubi termino *fides* aliquid additur, quo ſufficienter intimatur, in quali ſenſu *fidem* intelligas.

In exemplo: Nemo contradixerit Apoſtolum teſtari, *credere priùs oportet accedentem ad Deum*; verùmtamen immediatè ſubjungit, oportet credere, *quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quæ verba evidenter indigitant *fidem in Deum Creatorem:* Sic etiam S. Auguſtinus dicit, (a) *quòd homo incipiat recipere gratiam, cùm incipit credere;* ſed adverte, quòd incipiens credere necdum habeat fidem, ſed ejus initium. Idem S. Pater docet, quòd, ut ſalvi ſiamus, ante omnia opus ſit, habere inſpirationem fidei; ſed inſpiratio fidei necdum eſt fides plena, ſed incipiens. In omnibus alijs locis & textibus, cùm S. Auguſtinus vel Sancti Patres mentionem ingerunt ſimpliciter de fide, profectò intelligunt fidem perfectam & Chriſtianam; nemo eos aliter torſerit, abſque violentiâ genuini

(a) Lib. 1. ad ſimp. q. 2. epiſt. 194. n. 30.

Digitized by Google

ſenſûs : nam Terminus *fides* in ſenſu ſuo naturali & obvio ſumptus certè non gaudet aliâ ſignificatione, quàm ſtatim aſſertâ : cur ergò hunc terminum in Quenello benignè amplecti libeat, præſertim cùm penitùs nihil præſeferat, quod eum redderet favorabilem Orthodoxis?

Necdum ſufficit dixiſſe, Quenellum nihil adijcere, quod Lectorem flecteret in benignam interpretationem propoſitionum ejus circa fidem: dicendum eſt, quòd poſitivè excludat omnem ſenſum favorabilem per propoſitionem XXIX., ubi ſuccinctum ſed ponderoſum pandit oraculum: *Extra Eccleſiam nulla gratia*; eſt enim evidens, ut jam oſtenſum, & poſthac oſtendendum in Analyſi propoſitionis XXIX. hic fieri quæſtionem & propoſitionem de omni gratia, etiam actuali: prætendere verò *extra Eccleſiam nullas dari gratias*, quid eſt aliud, niſi propugnare, nullas haberi gratias niſi ſuppoſitâ fide perfectâ & Chriſtianâ? ſumus enim in Eccleſia per fidem completam & veram, non per ejus inchoationem.

Et quomodo aliter fieri poſſit, niſi ut fides Chriſtiana ſecundùm ſyſtema Quenelli ſit primogenita omnium gratiarum, dum vult, ut jam intelleximus, omnes actiones infidelium eſſe mera peccata? quis neſcit, hócce principium numerari inter prima elementa ſcholæ Janſenianæ? principium millies recoctum in eorum ſcriptis, quod nunquam voluerunt retractare. Poſito itaque tali principio annon ſequitur neceſſariò, infideles nullas habere gratias, adeò, ut fides per quem tranſitur à ſtatu infidelitatis ad ſtatum Chriſtianiſmi ſit origo omnium gratiarum? ſi infideles haberent gratias ante converſionem ad fidem, utique certum eſt ſecundùm principia Quenelli, quòd non ſemper peccarent, nam in ejus ſententiâ ſemper operamur id, quod gratia inſpirat. Quamobrem cùm docet infideles nihil aliud poſſe quàm peccare, nónne per hoc explicitè pronuntiat, infideles nullam prorſus recipere gratiam ante fidem, quâ mediante trahuntur ex ejuſmodi ſtatu infidelitatis? videtur hæc demonſtratio mihi tibique palpabilis.

Quis verò nos convincat explicatiùs, Quenellum *per fidem*

intellexiſſe fidem perfectam & veré Chriſtianam intonando; *fides eſt prima gratia & fons omnium aliarum*; quis, inquam, ſenſum & mentem Quenelli luculentiùs explicet, quàm Author Hexapl. qui tametſi præcipiti Zelo & ardore pro cauſa ſui clientis æſtuans, frigidus tamen eſt Referendarius ſententiarum Quenelli, earúmque non tam fervidus quàm tepidus ac lepidus expoſitor, loquatur ipſemet: „ Cæcis „ illis Theologis (Moliniſtis) nimis parum videbatur extollere natu„ rales utilitates hominum fide carentium, nec ſatis erat iiſdem ſubmi„ niſtiare faciles excuſationes in peccato, niſi etiam fide carentibus „ communicâſſent liberaliſſima bona ſupernaturalia; „ Sed quæ ſunt excuſationes illæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, quas cæci Theologi ſubminiſtrârunt infidelibus, ſeu fide carentibus? ſine dubio ſubminiſtratio iſthæc excuſationum conſiſtit in hoc, quòd cæci Theologi ſuggerant infidelibus, eos habere excuſationem de peccato ſuo, ſi non omnes homines etiam infideles ſint proviſi gratijs ſufficientibus ad ſalutem, nec poſſe eos legitimè condemnari: pergit luminoſus noſter Theologus. „ Non difficiles ſunt „ (intellige cæcos Theologos, id eſt, Moliniſtas) „ non difficiles ſunt ſpargendo plenâ manu gratias Chri„ ſti ſuper capita omnium populorum fide in Chriſtum carentium: gra„ tias ſufficientes, quæ penes pleróſque inter ipſos nunquam deſunt „ nec Mahometanis, nec Idololatriæ ſervientibus, nec Atheis: gra„ tias, quæ dependeant ab eorum arbitrio libero, quæque ſæpenume„ rò etiam apud infideles effectum ſuum & exercitium attingant ad ſa„ lutem proficiens, tametſi de Religione Chriſtianâ nec unquam audi„ verint nec eam amplecti cogitaverint; & ſic transferunt gloriam Iſ„ raël ad gentes exteras „.... intellige, transferunt gratiam Chriſti ad infideles.

Quis hîc loquitur? ſitne hæc lingua hominis, admittentis gratias actuales etiam in illis, qui ſunt extra Eccleſiam? hominis, inquam, qui ſe fatetur convictum, fidem Chriſtianam & perfectam non eſſe primam gratiam actualem, nec fontem omnium aliarum? ſiccíne ſibi contradicit terminis expreſſiſſimis? quâ ergo fronte audet Author ſex

Columnarum Ecleſiam arguere de peccato, ſcilicèt injuſtitiæ, quòd attribuerit Quenello innocenti ſenſum, quem ipſemet hoc loco formaliter & ſolemni adoptatione amplectitur? fruſtra deinceps afferet nonnulla loca reflexionum moralium, quibus Quenellus videtur dicere contrarium: Non quidem niſi unicum affert, ſed quid ſi viginti ejuſmodi loca adduceret? ſtatim enim reſpondebitur; ſi Quenellus admittit gratias etiam *infidelibus fide carentibus* conceſſas, ergò chariſſimus Quenellus eſt unus ex cæcis illis Theologis (Moliniſtis) *cùm non ſit difficilis ſpargere Chriſti gratias plenâ manû ſuper capita populorum infidelium, ac transferat gloriam Iſraël, id eſt, gratias ad gentes exteras:* & ſic ex ore Advocati judicabitur Cliens inclytus: vel, ſi placet, reſpondeatur Apologiſtæ, Quenellum admittendo gratias infidelibus datas, eſſe æquivocum, captioſum, arte cautum, ne Eccleſiæ cenſuras provocet; vel dic, excidiſſe ipſi præter intentionem & ſine attentione expreſſionem quandam Catholicam, quam erumpens Veritas ex invito ore & calamo extorſerit: poſſet inſuper reſponderi, hæreticos ſimiles contradictiones in delicijs habere, utpote uſitatas & in dies familiares, cùm hactenus nullus eorum ſit viſus, qui non mendacio patrocinatus ſit abſque contradictione ac novo mendacio. Tandem quòd Eccleſia nullam præſtet cautionem hæreticorum contradictionibus; quòd ſufficiat Eccleſiæ pro legitimâ cenſurâ & condemnatione hujuſmodi operum & propoſitionum, dummodò ſyſtema erroneum, quod reprobatur, ſit reperibile in Novatorum paginis, ſenſibilibus & explicitis propoſitionibus poſitum.

Profectò non parum commodi accederet cauſæ hæreticorum, ſi ipſis, poſtquam paucas propoſitiones Orthodoxas inſeruiſſent ſuis chartis, liceret dein largo ore & calamo ſuos errores divendere, abſque periculo impugnationis intentandæ à Catholicis Doctoribus, abſque jure ferendæ cenſuræ ab Eccleſiâ: tunc enim verò mendacium triumpharet, exaltaret hæreſis

ſolium ſuum ſuper aſtra & authoritatem Veritatis, rueret Religio, nec relinqueretur lapis ſuper lapidem, qui non deſtrueretur: non enim remaneret Eccleſiæ minimum ſubſidium aut remedium pro Veritatis Patrocinio, nec ultra poſſet lapſis ſuccurrere rebus. Nemo itaque juſtificaverit Quenellum, quòd ſcribendo non ſemper hæreticus ſit, quòd non rarò Catholicé ſentiat; eò enim majorem damnationem accipiet, reſiſtens cognitæ Veritati in faciem.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum Doctrinâ hæreticorum.

Gomar in expl. cap. 22. *in Math. p.* 60. Bellarminus ſtatuit duo genera gratiæ; unam, quæ eſt ſolùm ſufficiens, per quam homo recipit, quidquid ipſi eſt neceſſarium, ut poſſit velle credere, & ut in effectu credat, cum qua tamen non vult credere. Alteram; quæ eſt efficax, per quam homo recipiens quidquid eſt neceſſarium ad credendum, vult credere reipsà, & effectivè credit. Fundamentum hujus diſtinctionis eſt, quòd faciant fidem pendere à libero arbitrio, vel à conſenſu voluntatis humanæ: *noſtri ècontra reyciunt hanc gratiam ſufficientem, nec recognoſcunt niſi efficacem:* quippe Bellarminus malé probat ex ſcripturis, quòd aliqui habuerint diuturnum auxilium verè ſufficiens, qui tamen non fuerunt converſi, & in quibus iſtud auxilium non fuit efficax.

Janſen. tom. 3. *l.* 3. *c.* 11. Infideles privati ſunt *omni gratiâ ſufficiente ad ſalutem ſive proximâ ſive remotâ, & omnibus ejus principÿs.* .... nunquam enim S. Auguſtinus agnovit in infidelibus ullam gratiam *ſive efficacem ſive ſufficientem, ad faciendum unicum bonum.* Hoc probatur primò, quia ſæpiſſimè docet, quòd fides obtineat gratiam & auxilium homini infirmo neceſſarium, ut poſſit facere, quod ipſi in lege mandatum eſt .... ſecundò, quia docet per fidem incipere in homine omnem immutationem ad bonum. .. , tertiò,

quia docet, quòd in homine infideli *nequidem poſſit inveniri ante fidem primum deſiderium & primam voluntas ad bonum*: ſed quòd primum iſtud deſiderium, & hæc prima voluntas nobis debeat eſſe inſpirata per ipſam gratiam fidei.

Reſp. Quenellus ejúſque Apologiſta nunquam pòterunt negare Magiſtrum ſuum Janſenium, qui expreſsè dicit, quòd infideles nullam prorſus habeant gratiam; & quòd vera fides chriſtiana, quæ ex infidelibus nos reddit fideles, ſit prima omnium gratiarum. Poſſitne quis rationabiliter credere, Quenellum, ejúſque Apologiſtam eſſe alterius mentis & ſententiæ quàm Janſenius?

Prop. 5ᵃ *inter* 31. *damn. ab Alex. VIII.* Ethnici, Judæi, Hæretici, aliíque hujuſmodi *nullam recipiunt influentiam à Chriſto*: unde optimè concludes, eorum voluntatem denudatam eſſe omni auxilio, *abſque ullâ gratiâ ſufficiente*.

§. III.

Probatio Veritatis Catholicæ propoſitionibus damnatis oppoſitæ.

Ex Ratione.

Optimè probatur falſitas harum propoſitionum monſtrando errores, quos parturiunt, vel potiùs quibus eſſentialiter prægnantes ſunt.

1. Si fides ſit prima gratia, ſi nulla detur gratia niſi per fidem, evidenter ſequitur, aut fidem obtineri abſque omni diſpoſitione præveniente, aut diſpoſitiones has prævenientes non eſſe effectus gratiæ: dicere gratiam fidei obtineri abſque omni diſpoſitione præveniente eſt directè contradicere Concilio Tridentino, ejúſque doctrinam impetere, quæ conformis verbo ſcripturæ, *præparate corda veſtra Domino*, agnoſcit talem diſpoſitionem, tradírque modum, quo infideles & peccatores ſe præparent ad veram fidem & juſtificationem:

2. Si fides ſit prima gratia, ſequitur in ſyſtemate Quenelli, omnes actiones infidelium eſſe peccata: cùm enim juxta ejus doctrinam (*a*) *ſine gratia homo nihil poſſit amare, niſi ad ſuam damnationem*, idcircò inevitabilis eſt ſequela, infideles, qui non habent gratiam, nihil poſſe, niſi peccare, nihil facere niſi peccata: ubi non inutiliter obſervare te velim, omnes Quenelli propoſitiones tam amico vinculo eſſe concatenatas ad componendum idem ſyſtema, ut impoſſibile ſit viro bonæ fidei illud non deprehendere.

3. Tenere, quòd fides ſit prima gratia, quâ infideles abſolutè privati ſint, eſt explicitè profiteri, illos, qui non crediderunt Evangelio, *non potuiſſe* credere, cùm non habeatur *hoc poſſe*, niſi per gratiam: ad quid ergò tot exprobrationes, quibus Dominus Deus Exercituum in ſcripturis ſanctis reprehendit infideles eorúmque infidelitatem? an non talia Dei eloquia tam juſtitiæ divinæ indigna, quàm riſu & exploſione digna cenſerentur? en paucis multa, imò plurima abſurda, quæ naturaliter fluunt ex propoſitionibus Quenelli *de fide tanquam primâ gratiâ*: Quòd ſi Quenelliſtis non diſpliceant tam abſurdæ ſequelæ, & conſecutiones, nihil ſupereſt, niſi precari pro ipſis ad Dominum, ut convertantur & vivant.

Multos hactenus vocavimus SS. Patres, & ſacros textus in teſtimonium Veritatis, quòd Dominus tribuat omnibus hominibus ſufficientes gratias ad ſalutem: Hic verò non incongruum erit citare nonnullos ſpecialiùs pertinentes ad cauſam infidelium, ne forſitan Novatores inaniter glorientur, plures Authoritates ſuæ quàm noſtræ ſuffragari & ne videamur laborare penuriâ teſtium in ſubſidium Veritatis, dum ipſi ad ſpeciem abundant teſtibus in patrocinium mendacij.

Ex Scriptura.

Sap. 13. 8. Iterum autem nec his [infidelibus] ignoſci: Si enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, *quomodo hunc Dominum non faciliùs invenerunt?*

[*a*] Propoſ. 40.

Digitized by Google

Act. 8. 27. Et ecce vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas ejus, *venerat adorare in Jeruſalem &c.*

Ibid. 10. 1. Vir quidam erat, nomine Cornelius, *religioſus, ac timens Deum* cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.

Ibid. 14. 16. Et quidem *non ſine teſtimonio ſemet ipſum reliquit*, benefaciens de Cælo, dans pluvias, & tempora.

Ibid. 17. 25. Cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia .... definiens ſtatuta tempora &c. quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inveniant; *quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrûm.*

Ibid. 26. 28. Aggrippa autem ad Paulum: *in modico ſuades me Chriſtianum fieri. Reſp.* Aggrippa tunc recepit gratiam ſufficientem, cui tamen reſiſtebat.

Rom. 1. 19. Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: *Deus enim illis manifeſtavit*; Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus: ita ut ſint *inexcuſabiles.*

Ibid. 10. 20. Inventus ſum *à non quærentibus me*, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.

2. *Theſſ.* 2. 10. Charitatem veritatis *non receperunt*, ut ſalvi fierent: ideo mittet illis operationem erroris.

Ex Patribus.

Clem. Alex. orat. ad Gent. Audite gentes innumerabiles, vel potius *quicunque ex hominibus eſtis ratione præditi*, & Barbari & Græci. Voco *omne genus humanum*, quorum ego ſum Pontifex voluntate Patris. Venite ad me ſub uno Deo collocandi & uno

Digitized by Google

Dei verbo : nec ſolâ ratione ſuperate expertia rationis animantia, ſed etiam ex univerſis mortalibus *do fruendam vobis* immortalitatem. Volo enim vos hâc quoque impertiri gratiâ, & integrum præbens beneficium.

Id. l. 1. *Pædag. c.* 4. Quorum autem eſt vita quidem communis, communis autem gratia, & ſalus communis: eorum quoque *communis eſt dilectio, & educatio.*

Idem l. 7. *Strom.* Hâc ratione, qui eſt *omnium*, Græcorum & Barbarorum Dominus, perſuadet ijs, *qui volunt.* Neminem enim cogit ab ipſo ſalutem accipere, propterea, quod poſſit *eligere*, & *omnia à ſe implere* ad ſpem accipiendam.

Et infra. Aut enim omnium hominum curam non gerit, idque ei acciderit ; aut quòd non poſſit: quod quidem eſt nefarium ; eſt enim ſignum imbecillitatis : aut quòd nolit, cùm poſſit, non eſt autem boni affectio. Non eſt ergo ſocors ob delicias, qui propter nos carnem accepit patibilem : aut curam gerit *univerſorum* ; quod quidem pertinet etiam ad eum, qui eſt Dominus univerſorum. *Servator enim eſt, non horum quidem aut illorum, ſed omnium.*

Ambroſ. in pſalm. 48. Similiter ergò & hic *omnes gentes* vocat ad ſapientiæ fontem, atque prudentiæ; redemptionem *omnibus* pollicetur: *nemo deſperet*, ubi *nullus* excipitur: ſed omnis anima inveniatur ad gratiam, ut ſine pretio redimatur à crimine, & fructum vitæ adipiſcatur æternæ.

Idem ſerm. 8. *in pſalm.* 118. Sol juſtitiæ *omnibus* ortus eſt, *omnibus* venit, *omnibus* paſſus eſt, & *omnibus* reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat.

Chryſoſ. hom. 7. *in c.* 1. *Joan.* Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent? neque enim omnes Chriſtum cognoſcunt. Quomodò ergò illuminat omnem hominem? illuminat profectò, *quantùm*

Digitized by Google

in ipſo eſt.... Nam gratia *in omnes* diffuſa eſt. *Non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytam....* effugit, aut dedignatur: *omnibus* eadem eſt, *omnibus* ſe facilem exhibet, *omnes pari honore* advocat.

Id. in c. 25. *Math. hom.* 53. Deus ſecundùm præſcientiam ſuam, licèt ſciat, qui juſti futuri ſint & qui injuſti, tamen *omnes vocat ad fidem*, dans eis gratiam credendi in Chriſtum: quod eſt talentum bonis quidem ad ſalutem, malis autem ad præjudicium ut *inexcuſabiles fiant.*

Aug. de Præd. SS. c. 7. Quidquid igitur, *antequam crederet*, cùm crederet, & poſtquam credidiſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt.

Id de ver. Relig. c. 15. Divina Providentia *non ſolùm ſingulis hominibus quaſi privatim*, ſed univerſo generi humano tanquam publicè conſulit.

Idem ibid. Quid cum ſingulis agatur, Deus ſcit, qui agit; atque ipſi, cum quibus agitur, ſciunt. Quid autem agatur *cum genere humano*, per hiſtoriam commendari voluit.

Id. l. 83. *qq. q.* 68. Ad illam cænam nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent niſi vocati. Itaque nec illi ſibi debent tribuere, qui venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; *quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum liberâ poteſtate.*

Id. l. 1. *de gen. adv. Man. c.* 3. Quòd omnes poſſint, *ſi velint* (Deo credere) quia illud lumen illuminat *omnem hominem* venientem in hunc mundum.

Id l 2. *de ſerm. Dom. in monte c.* 9. *Nulla eſt anima tam perverſa;* quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt; in cujus conſcientiâ non loquatur Deus.

Id. in pſalm. 18. Non permiſit *ullum mortalium* ſe excuſare de umbrâ mortis, & ipſam enim penetravit verbi calor.

Id. ep. 49. *ad Deograt. q.* 2. Iſta ſalus Religionis hujus, per

quam ſolam veram ſalus vera veraciter promittitur, *nulli unquam defuit:* & cui defuit, dignus non fuit.

Id. l. 3 *de lib. arbit. c.* 19. *Nulli enim homini* ablatum eſt ſcire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendum eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat.

Id. de ſpirit. & litt. c. 33. Vult Deus *omnes homines* ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cùm ſit, *infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt*, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt; verùm ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, experturi in ſupplicijs poteſtatem ejus, cujus in bonis miſericordiam contempſerunt.

Oſorius. aug. familiar. pro lib. arbit. Mea eſt hæc fidelis, atque indubitata ſententia: Deum adjutorium ſuum non ſolùm in corpore, quod eſt Eccleſia, verùm etiam *univerſis gentibus* ſubminiſtrare: & ſpeciatim quotidie, per momenta, per dies, per tempora, per atomos, *& cunctis & ſingulis miniſtrare.*

Cyril. Alex. cont. Jul. l. 3. Jam ſiquidem ſolorum Judæorum, & non etiam gentium fuit Deus, & Conditor? quomodò legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex? inſitis ad hoc inſtructionibus pervenientes: Natura enim per ſe ipſam diſcendo factore annuente recipit omnis boni ſcientiam. Dignatur itaque Deus ſuæ providentiæ curâ non Judæos ſolos, *ſed etiam univerſa* terræ homines; *unus enim univerſorum* Dominus.

Proſp. ad cap. Gall. Reſp. 8. *Omnium ergo hominum* cura eſt Deo: & nemo eſt, quem non aut Evangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, ipſa etiam natura conveniat: ſed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus.

Auth. de vocat. gent. l. 1. *c.* 5. Dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Quamvis ergò hæc & multa ſimilia veritatis ſcriptura pro-

nuntiat; ſecundùm ipſam tamen credimus, & pijſſimè confitemur, quòd nunquam *univerſitati hominum* divinæ providentiæ cura defuerit; quæ, licèt exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, *nulli tamen nationi hominum* bonitatis ſuæ dona ſubtraxit.... Unde & inexcuſabiles facti ſunt.

Ibid l. 2. *c.* 5. Quæ (gratia) etſi parcior antea atque occultior, *nullis tamen ſæculis ſe negavit*: virtute unâ, quantitate diverſâ, conſilio incommutabili, opere multiformi.

Ibid. c. 6. Etiam nunc in extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit. Non ambigimus etiam circa illas occulto judicio Dei tempus vocationis eſſe diſpoſitum, quo Evangelium, quod nondum viderunt, audiant, atque ſuſcipiant: *quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur.*

Ibid. c. 9. Quæ opitulatio per univerſos modos *ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur*: & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ & voluntatis humanæ.

D. Thom. de Verit. q. 14. *a.* 11. *ad* 1. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut *cuique* provideat de *neceſſarijs* ad ſalutem, dummodò ex parte ejus non impediatur. Si enim taliter [in ſilvis] nutritus ductum rationis ſequeretur in appetitu boni & fugâ mali; *certiſſimè eſt tenendum*, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.

D. Bonav. l. 3. *Diſ.* 25. *a.* 10. *q.* 2. *ad ultim. de gentib.* Divina gratia *omnibus* præſtò eſt, & natura ad hoc manu-ducere poterat ex conſideratione ſuæ miſeriæ, & ex eruditione quadam generali, quam accipere poterant à viris, qui erant in cultu Dei famoſi.

Ibid. Indubitanter verum eſt, quòd eis præſtò erat notitia

Mediatoris, quanta opportuna erat ſecundùm exigentiam temporis, tum ex dictamine naturæ, tum ex alienâ inſtructione, tum etiam ex Dei inſpiratione, quæ ſe offert omnibus, qui eum quærunt humiliter.

Orat. pro hær. & Schiſm. feriâ ſextâ Paraſc. Omnipotens ſempiterne Deus! qui ſalvas *omnes & neminem vis perire*: Reſpice ad animas diabolicâ fraude deceptas.

Orat. pro Judæis eâdem feriâ. Omnipotens ſempiterne Deus! qui etiam *Judaicam perfidiam* à tuâ miſericordiâ non repellis; Exaudi preces noſtras &c.

Orat. pro Paganis ibid. Omnipotens ſempiterne Deus! qui non mortem *peccatorum*, ſed vitam *ſemper* inquiris: ſuſcipe propitius orationem noſtram &c.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

POſt univerſas reflexiones hucuſque factas haud difficulter comprehenditur, in quo ſenſu Scripturæ & Patres dicant, quòd fides ſit initium ſalutis humanæ, fundamentum & radix totius juſtitiæ, prima gratia, primum Dei donum, virtutum primogenita. Fides eſt initium ſalutis humanæ, partim quia homo ſine fide ſaltem imperfecta & initiata nec unicum poteſt dirigere greſſum ad ſalutem proficuum; partim quia nequit exercere actionem meritoriam æternæ vitæ ſine fide vera & Chriſtiana. Sic etiam fides eſt prima gratia, primum & præcipuum Dei donum; quia Dominus in converſione infidelis ſemper incipit ei dando quaſdam ideas, & cognitiones ſuæ Divinitatis; quomodo enim voluntas moveretur ad Deum ſine prævia quacunque cognitione Dei? poſſet etiam reſponderi, fidem eſſe primam gratiam habitualem, ac primum beneficium, quo Deus per juſtificationem animas ditat: quamvis enim charitas, ut docet D Thomas, ſit forma omnium virtutum Chriſtianarum, attamen præſupponit fidem, tanquam ejus fundamentum: In hoc ultimo ſenſu volunt

Digitized by Google

SS. Patres, fidem eſſe primam & primogenitam omnium virtutum, id eſt, omnes virtutes meritorias & verè Chriſtianas, ſola corda fidelium excolentes, eſſe poſteriores fide, & ad eam conſecutivas. Hæc omnia nec patiuntur difficultatem, nec merentur protractiorem diſcuſſionem.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

HÆ propoſitiones ſunt evidenter erroneæ, imò formaliter hæreticæ.

1°. Sunt *erronea*, quòd negent infidelibus dari gratias ſufficientes ad operandam ſalutem; quod directè videtur pugnare contra ſcripturam teſtantem: *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem Veritatis pervenire*; miſericordias Domini effundi ſuper omnem carnem; Deum nolle perire quenquam &c.

2. Sunt imò formaliter *heretica*; quia clarè ſtatuunt unum ex his duobus dogmatibus hæreticis; vel quòd fidem nullæ præcedant diſpoſitiones prævenientes; vel quòd illæ diſpoſitiones non ſint effectus gratiæ.

PROPOSITIO XXVIII.

PRima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

PRima gratia *actualis*, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatori, eſt peccatorum remiſſio. Si de rebus velimus judicium ferre juxta communes ideas Scholaſticæ Theologiæ inter Catholicos, quilibet mox opinabitur, præſentem propoſitionem eſſe antecedentibus vix non contradictoriè oppoſitam. Quidquid ſit ſaltem Author Hexapl. non dubitavit nos fore iſtius ſententiæ: ait enim; (a) ſa-

(a) pag. 196. col. 4.

Digitized by Google

„ cilè comprehenditur, cur Authores Conſtitutionis affectaverint pro„ poſitioni XXVII. *Fides eſt prima gratia* immediatè ſubjungere „ ſequentem pro: XXVIII. *prima gratia eſt remiſſio peccatorum.* „ abſque dubio hoc fecerunt ad inculcandum, quàm varius & incon„ ſtans ſibi ſit Quenellus. „ Ita ſanè; ſi juxta tenorem præcedentium propoſitionum *fides ſit prima gratia*, quomodo jam fit, ut *remiſſio peccatorum*, *ſit prima gratia?* nónne contradictio eſt manifeſta? præſertim in principijs ſanioris Theologiæ diſtinguentis inter fidem & remiſſionem peccatorum: Non tamen eſt contradictio in falſis principijs hæreticorum, & ſpecialiter in Quenelli ſyſtemate: Nam Quenellus fidem & remiſſionem peccatorum ad invicem penitus confundit, dum vult unam ſine altera non poſſe ſubſiſtere. Itáne? quomodo hæc monſtrari poterunt? Sede Lector, attentiùs lege, & judica, quod juſtum eſt.

Secundùm Quenellum gratia ſemper eſt efficax, ſemper aſſequitur effectum ſuum in actuali fuga peccati, aut implemento virtutis, ſemper facit declinare à malo & operari bonum: jam tale bonum juxta ipſum nequit eſſe verum bonum, niſi comite charitate verâ. Sic enim loquitur Quenellus propoſitione XXXXV. & XXXXVIII. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnéſque actiones ejus corrumpat.* Item, *quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?* Igitur Quenello certum eſt, gratiam, quæ nos facit operari bonum, exercere virtutes, gratiam, quæ nobis tribuit fidem, ſimul inſpirare charitatem, ſine qua tale bonum foret malum, talis virtus abiret in vitium: jam ſi gratia fidem donans, donet ſimul & charitatem, nónne ſequitur evidenter, hanc gratiam nos juſtificare, & per conſequens, gratiam fidei eſſe idem cum remiſſione peccatorum, & ſic in ſimul fidem & remiſſionem peccatorum fore primam gratiam?

Digitized by Google

Aliam accipe demonſtrationem non minùs ſenſibilem eâ, quam mox propoſui. Secundùm Quenellum *(a) nihil remanet animæ, quæ Deum amiſit ejuſque gratiam, niſi peccatum & peccati conſecutiones: totum deeſt peccatori, cùm ipſi deeſt amor Dei: Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas:* Ergò Quenello nulla eſt fides ſine charitate, nulla fides ſine remiſſione peccatorum, cùm certum ſit ſecundùm Concilium Tridentinum, quòd charitas juſtificet.

Quid poſt hæc dicendum de ſtupenda temeritate Authoris Hexaplarum audentis dicere, quòd non credat, ipſoſmet Conſtitutionis Authores bonâ fide credere, Quenellum docere errorem, quem ipſi imputant. Videamus tamen, quomodo præſumptuoſus Apologiſta procedat, ut Quenellum ab imputato errore vindicet. *(b)* " Pro-
„ poſitio XXVIII. inquit, qualiter extat in libro Reflexionum enun-
„ tiata, nihil involvit, niſi quod certum eſt: & niſi Cenſores Ro-
„ mani infidelitatem commiſiſſent ſupprimendo ejus ultima verba ge-
„ nuinum propoſitionis ſenſum exprimentia, quilibet palpâſſet, Que-
„ nellum nunquam docuiſſe, quòd remiſſio peccatorum abſolutè ſit
„ prima gratia. Profectò poſt hæc verba, *prima gratia, quam*
„ *Deus concedit peccatori, eſt remiſſio peccatorum*: Mox ſub-
„ jungitur: *Verùm hæc remiſſio non conceditur niſi illis, qui di-*
„ *mittunt debitoribus ſuis:* Non putandum eſt, ullum euſque
„ tentari, ut tribuat Quenello dogma Pelagianum, non poſſe condo-
„ nari debitoribus ſine gratia Dei ſpeciali: Unde patet ad oculum, vel
„ in ipſa cenſurata propoſitione *Quenellum* admittere gratias, quæ præce-
„ dunt remiſſionem peccatorum."

Negatur ſolemniſſimè hoc patere ad oculum, præſertim in ipſis principijs Quenelli, dum prætendit, omnem gratiam ſemper afferre veram charitatem, eamque in corde hominis plantare; dumque confun-

(a) Propoſ 1.57.58.
(b) pag. 301. 295. col. 5.

dit totaliter, ad imitationem Lutheranorum & Calviniſtarum, cauſas cum effectibus, diſpoſitiones ad juſtificationem cum ipſa juſtificatione. Revera penes Quenellum nemo poteſt debitè condonare inimicis, ut mereatur remiſſionem peccatorum, niſi verè condonet ex amore Dei; jam ſi quis verè condonat ex amore Dei, certè verum in corde poſſidet amorem Dei: ſi habeat verum Dei amorem in corde, tunc jam eſt juſtificatus: ſi ſit juſtificatus, peccata erunt remiſſa: ergò gratia, ex qua condonamus inimicis, eſt ea ipſa, quæ juſtificat, & quæ peccata remittit. Falſum igitur eſt, Cenſores Romanos infideliter quid ſuppreſſiſſe in Quenello, ad finem, ut nolit, velit, hæreticus audiat: verba enim, quæ brevitatis gratiâ Cenſores reticuêre, Quenellum non purgant, ſed damnant & plenè convincunt.

PROPOSITIO XXIX.

EXtra Eccleſiam nulla gratia.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

EXtra Eccleſiam nulla *datur* gratia, *ne quidem actualis.*

Author ſex Columnarum neque hic diſſimulat indignationem ſuam contra Cenſores Romanos, contra quos totus in fermento eſt, ſeu potiùs contra ſupremum Pontificem; in hunc fremit; hunc arguit de injuſtitiâ atrociſſimâ, quòd fulmine Anathematis contriverit Quenellum, adorabile Idolum ſuum. Ipſe loquatur temerarius; forſitan temeritas ejus erit ad noſtram ædificationem, cùm viderimus, quàm impingant, quàm in monſtruoſos prorumpat exceſſus, qui ſponte dati ſunt in reprobum ſenſum & ſpiritum mendacij.

„ Quenellus admittit gratias, „ inquit ejus Apologiſta, (*a*) „ ex„ tra Eccleſiam datas: gratias, quæ ducunt ad Eccleſiam, & intro„ ducunt: ne tamen recurramus ad Authoritates alienas, ipſe locus „ ſcripturalis, unde præſens propoſitio damnata extracta eſt, ſubmi-

(*a*) pag. 287. col. 5.

„ niſtrabit ejus juſtificationem : & quidem Cenſores Romani hoc faci-
„ lè advertiſſent, ſi aliqualem obſervâſſent regulam, non dicam, chari-
„ tatis, ſed æquitatis naturalis in examine Libri Reflexionum. Author
„ hoc paſſu facit parallelam inter Filium Dei & miſericordem Samari-
„ tanum ; reflectit, & aliorum reflexioni refricat, quòd Deus prope-
„ modùm eâ gradiatur viâ reducendo & ſanando peccatorem ab Ec-
„ cleſiâ elongatum, quâ uſus eſt pius Samaritanus erga hominem, qui
„ incidit in latrones. Samaritanus infundit oleum & vinum in plagas
„ vulnerati , & ligat eas. Filius Dei, dicit Quenellus, infundit gra-
„ tiam ſuam medicinalem, dulcem, fortem, delicioſam in cor huma-
„ num plagis ſauciatum : ligat vulnera vinculis ſuorum mandatorum....
„ Samaritanus vulneratum ſuum abducit à viâ latâ & regiâ , ubi in-
„ cidit in latrones, eúmque deducit ad diverſorium .... Deus, inquit
„ Quenellus, avocat peccatorem ex medio populi infidelis, eúmque fa-
„ cit intrare in veram Eccleſiam .... tandem abſolvit Quenellus ſuam
„ Parallelam his verbis: *Eccleſia eſt diverſorium, & domus ſalutis ;*
„ *extra Eccleſiam nulla gratia, nulla ſanatio, nulla vita.* Ex
„ tota hac ſingulatim facta enarratione, proſequitur Hexapliſta, clarè
„ eluceſcit, Quenellum admittere gratias extra Eccleſiam &c. „

Antequàm progrediamur, per tranſennam notari velim, quòd Author Hexapl. Quenellum hoc loco falſificet, ut eum purget ab errore, jure merito ipſi imputato. Error Quenelli eſt, quòd hîc velit *peccatores non eſſe de Eccleſia:* profectò Quenellus impræſentiarum loquitur de omni peccatore, quem Chriſtus reducit in Eccleſiam, poſtquam ejus plagis infudit gratiam medicinalem , poſtquam alligavit vulnera ejus ; ex quo conijcitur ejus prætenſio, nempè peccatores eſſe extra Eccleſiam. Verùm Author ſex Columnn. inſtar commiſerantis Samaritani vult operire , & ligare vulnus iſtud erroneum lethaliter ſauciati Quenelli, aſſerens eum duntaxat intelligere peccatores infideles ; quamobrem loquentem inducit Quenellum linguâ, quâ non loquitur ; videlicet ; *Deum tollere pecatorem de medio populi infi-*

Digitized by Google

delis, ac introducere in veram Eccleſiam: non ſic Quenellus, ſed duntaxat: *(a)* „ Beatus, quem tollit Deus à viâ publicâ ſive regiâ, „ eúmque ducit in ſtabulum ſeu ovile, id eſt, in Eccleſiam terreſtrem, „ in quâ ſumus tanquam advenæ & peregrini uſque ad plenam cura- „ tionem. „

At necdum eſt tempus movendi hanc quæſtionem: non enim intendimus hac occaſione niſi ſcindere velum, ſub quo Author Hexapl. abſcondere nititur alterum errorem Quenelli, quòd *extra Eccleſiam nulla* penitùs concedatur *gratia*.

Pro quo obſervandum cum Cardinale Bellarmino *(b)* Eccleſiam utpote corpus vivum, juxta Auguſtinum, eſſe compoſitam ex corpore & animâ. Anima Eccleſiæ ſunt dona interna Spiritûs ſancti; dona fidei, ſpei, charitatis &c. Corpus Eccleſiæ ſunt confeſſio externa fidei, communicatio Sacramentorum; ex quo deducendum, quoſdam eſſe ſimul in corpore & anima Eccleſiæ, & conſequenter uniri cum Chriſto internè & externè; tales ſunt juſti fideles, & ſecundùm Orthodoxos etiam ipſi peccatores, qui licèt exuti charitate, habent tamen fidem, mediante quâ ipſis remanet quoddam initium vitæ: imò, quod majus eſt, dantur nonnulli, qui ſunt de Anima, tametſi non de Corpore Eccleſiæ; & tales ſunt Catechumeni, & nonnulli excommunicati, ſi retineant fidem, ſpem & charitatem, quod facilè poteſt contingere: Tandem ſunt alij, qui pertinent ad Corpus, non item ad Animam Eccleſiæ. Quinam ſunt illi? qui nullâ virtute internâ animati emittunt profeſſionem Chriſtianæ fidei, ac participant ſacramenta ſub regimine Paſtorum Eccleſiæ. Hi ſunt, inquit Bellarminus, reſpectu Eccleſiæ, quod capilli, quod ungues, & cæteri maligni humores reſpectu corporis humani.

His poſitis haud difficulter vaticinaberis, in quo ſenſu Quenellus dicere auſus ſit. *Extra Eccleſiam nulla gratia*. Priùs enim dixit, Deum infundere cordibus peccatorum ſive fidelium ſive in-

(a) V. 350. 36.

(b) de Eccl. mil. L. 3. c. 2.

fidelium gratiam medicinalem, quos poſtmodùm ducat ad Eccleſiam terreſtrem: Eccleſia, in quâ Chriſtus ponit peccatorem, ut vult Quenellus, non eſt Anima Eccleſiæ, ſed Corpus ipſum: prima enim gratia, quam peccator recipit, eſt verum lumen fidei in intellectu, & verus amor Dei in corde & voluntate: Hæc gratia juſtificat peccatorem ſeu infidelem in inſtanti, & per conſequens efficit, ut ſit de Animâ Eccleſiæ, tametſi nondum ſit de Corpore, donec etiam fiat de Corpore per Sacramentorum participationem: propemodùm inſtar Catechumenorum & excommunicatorum, qui, prout facilè poteſt contingere, receptâ fide & charitate intrant ad Corpus Eccleſiæ mediante vel Baptiſmo vel abſolutione. Dum igitur Quenellus dicit; *Extra Eccleſiam nulla gratia*, non vult dicere nullam dari extra Corpus Eccleſiæ, ſed nullam dari extra Animam Eccleſiæ; id eſt, quòd illi qui non habent nec veram fidem, nec veram charitatem, abſolutè nullam habeant gratiam, & conſequenter hanc veram fidem & veram charitatem eſſe primas gratias, ac ſcaturigines omnium aliarum: adeóque per hoc ſuas erroneas opiniones non infirmat, ſed potiùs confirmat & roborat.

Dicet fortaſſis Author Hexapl. Quenellum hîc loqui de Eccleſiâ, in quâ ſolâ reperitur *gratia vitæ & curationis*, id eſt, gratia ſanctificans; conſequenter cùm docet, Deum donare ſuas gratias medicinales peccatori, priuſquam eum introducat in Eccleſiam, in quâ reperitur hæc vita & curatio, intelligit gratias ante veram fidem & charitatem, quæ ſanant & alligant vulnera peccatoris. Ratiocinium iſtud ſat ſpecioſum eſt prorſus inutile ad juſtificationem Quenelli; quandoquidem curatio, quæ juxta Quenellum invenitur in Eccleſia, & in quam Chriſtus peccatores introducit poſt conceſſas gratias, non ſit niſi curatio perfectior, ſimilis illi, quæ recipitur à Catechumenis jam juſtificatis, dum intrant per Baptiſmum ad Corpus Eccleſiæ: quæ curatio utique non impedit, quin illa, per primam gratiam juſtificantem recepta, ſit vera curatio. Exemplum, quod ipſemet Quenellus ſuppeditat, rem clariùs illuſtrabit.

„ Sumus in Eccleſiâ terreſtri, “ inquit Quenellus, „ tanquam „ Viatores, advenæ & Peregrini uſque ad noſtram perfectam curatio- „ nem : „ jam quæro; impeditne hæc perfecta curatio, hæc conſummata ſanatio in cælis exſpectata, ne curatio illa, quâ gaudemus in Eccleſiâ per participationem divinorum myſteriorum, ſit vera & completa curatio? Abſit. Sic pariter illa perfecta curatio, quam accipimus in Eccleſiâ per Sacramentorum participationem, non impedit, ne curatio juxta Quenellum per primam gratiam recepta, & ne curatio, quam recipiunt Catechumeni per charitatem, ſit vera & perfecta curatio. Quapropter jam facta demonſtratio manet inconcuſſa, nimirum in parallela Samaritani cum Chriſto Dei Filio prorſus nihil afferri, quod ſerviat diluendis erroribus Quenello imputatis. Ergò Cenſores Romani, ut audacter vult Hexapliſta, non violârunt regulas æquitatis naturalis pellendo extra Eccleſiam & cenſurando propoſitionem, quæ ſonat, *Extra Eccleſiam nulla gratia*; eò quòd ſit ratificatio & ſigillum præcedentium.

Quid? Cenſores Romani, viri his controverſijs merſi, rerum peritiſſimi, grandævi, conſultiſſimi ignoraverint ſyſtema Quenelli? dicam meliùs: Summus Pontifex neſciverit, quod omnibus notum, toto orbe divulgatum, videlicet, præcipuum Janſeniſmi dogma eſſe, *infideles carere omni gratiâ ſufficiente*, *ac univerſis ejus principijs*, omnéſque eorum actiones eſſe vera peccata? quoties, quot modis, quanto ambagum ambitu, quàm ſtudioſo expreſſionum apparatu nititur Quenellus ſtabilire & inculcare hoc dogma hæreticum in ſuis Reflexionibus? quo dogmate ſemel poſito & ſuppoſito nónne evidenter ſequitur, extra Eccleſiam nullam dari gratiam? fidem eſſe primam gratiam & fontem omnium aliarum? ergò & finaliter ſummus Pontifex in ſuâ Conſtitutione quaſi actum egit; ſæpiùs damnata, cenſurata, anathemate proſcripta denuò damnavit, cenſuravit, anathemate repetito proſcripſit.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XXX.

OMnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

PROPOSITIO XXXI.

DEſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

PROPOSITIO XXXII.

JEſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, electos, de manu Angeli exterminatoris.

PROPOSITIO XXXIII.

PRó! quantùm oportet bonis terrenis & ſibimet ipſi renuntiâſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum JEſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

OMnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter, *& illi, qui non ſalvantur, ſignum habent, quòd Deus noluerit eos ſalvare per Chriſtum.*

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem infert intimo cordium, quando eis illam optat: *Et illi, qui non ha-*

bent hanc pacem , ſignum habent , quòd ćis hanc pacem non optet.

JEſus Chriſtus ſe morti tradidit , ad liberandum pro ſemper primogenitos *ſolummodò*; id eſt, electos *ſolos* de manu Angeli exterminatoris.

Non niſi ille, qui perfectè renuntiavit bonis terrenis & ſibimetipſi, *poteſt* habere fiduciam , ſibi, ut ità dicam, appropriandi Chriſtum JEſum, ejus amorem, mortem, & myſteria , ut facit S. Paulus dicens: *qui dilexit me , & tradidit ſemetipſum pro me.*

Ut hæc quæſtio de voluntate Dei ſalvandi omnes homines ordinatè procedat , prænotandum eſt, quòd licèt voluntas Dei in ſeipſa ſit ſimpliciſſima , diſtinguantur tamen à Theologis multiplicis ordinis voluntates in Deo , prout ſubſtant noſtris diverſis concipiendi modis, atque Ideis intellectualibus. Statim Scholaſtici dividunt voluntatem divinam in voluntatem *ſigni* , & *beneplaciti*; prima eſt ; quæ non reperitur realiter in Deo , ſed tantùm reperiri videtur propter effectum , quem Deus ad apparentiam vult aut præcipit: Ita Dominus nonnunquam jubet vel permittit quædam, quæ reipsà non vult ; ſic mandavit Abrahæ tollere Unigenitum Jſaac in holocauſtum, tametſi id noluerit; ſic in dies permittit peccata , quæ non vult , imò , quæ prohibet ſub pœnis rigoroſiſſimis: Voluntas beneplaciti eſt ea, quæ verè & realiter exiſtit in Deo : Hâc voluntate voluit mortem Chriſti, & holocauſtum Crucis; hâc vult obſervationem mandatorum ſuæ ſanctæ legis.

Voluntas *beneplaciti* rurſum dividitur in duas alias; in voluntatem antecedentem, & conſequentem : Antecedens eſt illa, quâ Deus aliquid vult ex ſolis motivis intra ſe ipſum exiſtentibus , non attentis circumſtantijs ſive bonis ſive malis , quæ tractu temporis volitum illum effectum comitari debent. Voluntas conſequens eſt ea, quâ Deus vult aliquid ex motivis ſe tenentibus ex parte noſtrî, cum reſpectu & ordine ad circumſtantias temporis illum effectum

Digitized by Google

à Deo volitum ambientes : Ita Deus vult ſalutem omnium hominum voluntate antecedente ; concipimus enim Deum hâc ſua voluntate non conſiderare ſtatum gratiæ , aut peccati , in quo homines victuri & morituri ſunt , nec moveri ad hanc voluntatem niſi ex intuitu internæ ſuæ bonitatis versùs omnes homines. Econtra non vult ſalutem reproborum , ſed poſitivè vult eos damnari voluntate conſequente : concipimus enim Deum , quòd in hac ſua voluntate attendat ad peccata futura reproborum , eorumque impænitentiam finalem , in qua deceſſuri ſunt. Priore illa voluntate vult Deus ſalvari omnes homines indifferenter , ſi cum auxiliante gratia probè utantur ſuâ libertate : poſteriore verò determinatè vult ſalvare eos , quos prævidet benè uſuros ſua libertate , vúltque damnare libertatis uſurpatores.

Ulteriùs dividitur voluntas Dei reſpectu noſtræ ſalutis in duas alias : una dicitur efficax abſolutè , vel potiùs ſimpliciter efficax : altera dicitur efficax ſufficienter , ſeu potiùs ſimpliciter ſufficiens : prima habet ſuum effectum tum ex parte Dei tum ex parte hominis; ſecunda verò ſortitur ſuum effectum ex parte Dei , non autem hominis. Quos Deus per primam vult ſalvos , illi ſalvantur infallibiliter & certiſſimè , quamvis poſſent non ſalvari : certiſſimè ſalvi fiunt & infallibiliter , quia Deus utitur medijs ad finem eos ſalvandi certiſſimis & ſecuriſſimis ; quamvis poſſent non ſalvari , quia non ſalvat eos , niſi cum libero eorum arbitrio ; ita ut ſi nollent ſalvari , non ſalvarentur. Quos autem Deus per ſecundam vult ſalvos , illi non ſalvantur , tametſi ſalvari potuiſſent : non ſalvantur , quia nolunt ſalvari , & quia Deus non vult illorum ſalutem niſi conditionatè & dependenter à libera eorum voluntate & electione. Potuiſſent & poſſent tamen ſalvari , quia Deus ex hac ſua vera & ſinceriſſima voluntate ſubminiſtrat ipſis media ſufficientia ad operandam ſalutem.

Sic diſcurrunt Doctores Catholici , utique aliter & diſpariter à Novatoribus , non agnoſcentibus in Deo niſi ſolam *voluntatem bene-*

Digitized by Google

placiti; id eſt, *voluntatem* veram & ſinceram unicè ſalvandi electos; voluntatem, quam vocant antecedentem, abſolutam, efficacem, ita *ex ſe ipſa efficacem*, ut non ſolùm nunquam careat ſed néque carere poſſit ſuo effectu. Quantùm ad reprobos, inquiunt Novatores, Deus ad ſummum poteſt velle eorum ſalutem *voluntate ſigni*, quæ eſt pura velleitas, otioſa, ſterilis ex ſe ipſa, capax tamen ipſis procurandi fortè quasdam gratias temporales, ſed incapax eos unquam ſalvandi.

Huic principio hæretico innituntur propoſitiones Quenelli: Si enim verum ſit, ut dicit, *omnes, quos Deus vult ſalvare, ſalvari infallibiliter; deſideria Chriſti ſemper habere ſuum effectum*, nónne ſequitur neceſſariò, Deum noluiſſe ſalvare unicum ex damnatis, nec formâſſe unicum deſiderium in ipſorum gratiam & favorem? pariter ſi Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, electos, de manu Angeli Exterminatoris; an non evidens eſt exinde, quòd Chriſtus non ſe morti tradiderit ad liberandos ſuo ſanguine reprobos: vel ſi ſe morti tradidit ad liberandos eos, non ſe tradidit pro *ſemper*, ſed duntaxat pro modico tempore.

Dicent Adverſarij: Eccur Quenellum non interpretari favorabiliter? fortaſſis non aliò tendebat ſuis propoſitionibus, niſi ut ſtabiliret infallibilitatem ſalutis electorum, quos Deus vult ſalvare, & pro quibus Chriſtus ſe morti tradidit ſpeciali modo, ſine excluſione tamen reproborum. Ut convictus fatearis, Quenellum hæc non intendere, non ſic cogitare in ſuis propoſitionibus reflexivis, talem ſenſum non convenire ejus eloquijs niſi violenter tortis, ut hæc fatearis, inquam, inſpicienda eſt unica propoſitio XXXIII. *proh! quantùm oportet bonis terrenis & ſibimet ipſi renuntiâſſe! &c.*

Reipsà ſi Deus velit ſalutem omnium hominum, ſi mortuus ſit, & ſanguinem fuderit pro omnibus nullâ exceptione, haud dubiè nemo in mundo eſt, qui non poſſit & non debeat habere fiduciam

Digitized by Google

ſibi appropriandi Chriſtum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ac dicere cum S. Paulo: *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Nunc autem juxta Quenellum non niſi perfecti, quíſque inſtar S. Pauli renuntiârunt bonis terrenis & ſibimet ipſis, verbo, non niſi inſigniter Sancti poſſunt habere fiduciam ſibi Chriſtum ejúſque mortem appropriandi, ergò hi ſoli ſunt, pro quibus Chriſtus ſe morti tradidit, quóſque Deus verè & ſincerè ſalvari voluit. Igitur Quenellus expreſsè removet reprobos ab hâc ſincerâ Dei voluntate: & quomodò eos non removeret, non excluderet? an neſcis familiariſſimum ejus dogma, *non dari gratias ſufficientes, omnem gratiam eſſe efficacem, hanc gratiam neceſſariam ad ſervanda mandata,* ad aſſequendam ſalutem *non omnibus conceſſam eſſe?* an non poſito tali principio urgentiſſimè ſequitur, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus? Deum non habere veram & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines?

„His non obſtantibus,„ inquit Author Hexapl. *(a)* „admittit „Quenellus in Deo voluntates inefficaces, & non abſolutas; docet, „Deum velle ſalvare omnes homines, Chriſtum pro omnibus mor-„tuum eſſe.... „ reſpondeo; ita eſt, hæc & talia docet: ſed quomodò? quo ſenſu? propemodùm ſicut Ariani docebant, Verbum eſſe Deum nominétenus duntaxat; vel ſicut Pelagiani docebant, nihil fieri poſſe ſine gratiâ, ſubintelligendo, ſine gratiâ naturali. Quæ eſt enim voluntas illa inefficax & non abſoluta, cui Quenellus in Deo favet? ipſemet Author Hexapl. *(b)* eam nobis explicabit: *Eſt,* inquit, *voluntas ex naturâ ſuâ inefficax,* & ſimplex *velleitas;* conſequenter voluntas otioſa, ſterilis, incapax ex ſeipſâ procurandi ſalutem & media eam aſſequendi. Quis poſthàc præſumet affirmare, niſi velit hæreſi impudentiam jungere, quòd Quenellus admiſerit in Deo voluntatem realem, veram & ſinceram, hoc eſt voluntatem *beneplaciti* ſalvandi omnes homines? quis unquam audivit & didicit, ſimplicem *vel-*

(a) pag. 251. col. 5.

(b) pag. 249. col. 5.

leitatem eſſe voluntatem realem ? item voluntatem *ex naturâ ſuâ inefficacem* eſſe voluntatem ſinceram & veram ? exinde manifeſtum eſt, Quenellum in Deo non agnoſcere veram voluntatem ſalvandi reprobos.

Magis hâc de re convincimur, audiendo, quid loquatur alio in loco Author Hexapl. (*a*) „Notandum eſt, inquit, quòd ſecundùm „Doctrinam S. Thomæ oporteat in humanitate Chriſti diſtinguere „motus, quos S. Doctor appellat motus voluntatis ut naturæ, quales „fuerunt illi, ex quibus ſenſerat nauſeam & averſionem de calice „mortis & tormentorum: jam docet D. Thomas, potuiſſe contingere, ut voluntas rationalis Chriſti voluerit poſitivè, quod erat contrarium illi inclinationi, ſeu motui naturali; & de hâc voluntate rationali teſtatur S. Doctor, quòd ſemper impleatur: & de his motibus voluntatis rationalis loquitur Quenellus, cùm dicit: *deſideria* „*Chriſti ſemper habent ſuum effectum.* „

Non immoror huic textui & Authoritati S. Thomæ, mox reſponſurus, quid doceat; ſed contra diſcurſum Hexapliſtæ ſic argumentor:

Secundùm Quenellum, cujus Commentator eſt Author Hexapl, vel alter ipſemet, non dantur niſi duo motus in corde Chriſti, quorum ûnus eſt inclinatio naturalis, ſeu *motus voluntatis ut naturæ*, & alter eſt motus voluntatis rationabilis. Secundùm Quenellum motus voluntatis rationabilis ſunt illi, qui ſemper habent ſuum effectum; illi ergò motus, qui non attingunt ſuos effectus, non ſunt motus voluntatis rationabilis, ſed tantùm motus inclinationis naturalis: ergò ſecundùm Quenellum Chriſtus non vult ſalutem eorum, qui non ſalvantur, voluntate reali & verâ, rationabili & ſincerâ, ſed duntaxat *ſimplice voluntate inclinationis* naturalis, propemodùm inſtar voluntatis ſalvandi dæmones.

Poſt univerſas has reflexiones ſine difficultate intelligis, quòd, dum Quenellus dicit, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, id nolit in ſenſu Catholico, ſed in ſenſu, quem ſemper omnes hæretici æmu-

(*a*) pag. 231. col. 4.

labantur ; videlicet, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, partim, quia mortuus eſt pro quibuſdam in particulari ex omni tribu, populo, natione & conditione ; partim, quia nullus hominum eſt, qui non ſalvetur per Chriſti merita ; partim, quia Chriſtus obtulit pretium ſufficiens & abundans pro omnibus ; partim, quia reprobi ſunt capaces redemptionis per merita Chriſti, ſúntque capaces uniri cum grege Chriſti ; partim tandem, quia ſi reprobi à Chriſto non recipiunt ſalutem æternam, ſaltem recipiunt temporalem, hoc eſt, quaſdam gratias tranſeuntes. Verùm his omnibus non vult dicere Quenellus, quòd Chriſtus ſit mortuus pro reprobis tali modo, ut verè voluerit eos ſalvare ſuâ morte, aut ipſis mereri verè ſufficientes gratias, quibus auxiliantibus poſſint vitare peccata, exercere virtutes, & aſſequi gloriam ſempiternam. Ex quo evidenter patet ejus doctrinam non differre à doctrinâ hæreticorum his noviſſimis ſæculis tumultuantium.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum Doctrinâ hæreticorum.

Calv. l. 3. de ætern. præd. p. 706. Quis non videt hoc loco potiùs mentionem fieri de omnibus conditionibus hominum, quàm de omnibus hominibus in particulari ? & hæc diſtinctio tam communis non eſt ſine fundamento ; quòd per hæc verba : *Deus vult omnes homines ſalvos fieri ;* non intelligantur ſinguli generum, *ſed tantùm genera ſingulorum.*

Id. ſup. Evang. S. Joan. c. 17. Cæterùm Chriſtus non dicit : quòd conſtitutus ſit ſuper mundum univerſum, ut indifferenter det vitam omnibus ; *ſed reſtringit hanc gratiam ſolùm ad illos, qui ipſi dati ſunt.* At quomodo dati ? nónne Pater etiam ipſi dedit reprobos ? reſpondeo, *quòd ſoli electi ſint de ejus grege ſpeciali,* quorum curam in ſe ſuſcepit tanquam Paſtor.... dicit, quod non roget pro mundo, *non enim curat niſi ſuum gregem.* . . . .

Digitized by Google

Idem l. 3. *inſtit. c.* 23. Si quis nobis faciat hanc objectionem, noſque interroget: cur Dominus à principio quoſdam deſtinavit ad mortem? reſpondemus. *Mirum non eſſe*, quòd omnes morti ſubjecti ſint, *ſi omnes ſint extracti è maſsâ corruptâ.*

Synod. contr. Rem. c. 2. *a.* 6. Synodus rejicit errorem illorum, qui reſpectu mortis Chriſti utuntur *diſtinctione impetrationis, & applicationis*, ad perſuadendum imprudentibus & ignorantibus, *quòd Deus, quantùm in ſe eſt*, *voluerit æqualiter omnibus hominibus dare gratias & beneficia, quæ aquiruntur ex morte Chriſti*: quippe ſimulando, quòd hanc diſtinctionem proponant in bono ſenſu, nituntur, *ut populus bibat venenum pernitioſum Pelagianiſmi.*

Cham. tom. 3. *l.* 3. *c.* 6. §. 6. Deus reddidit omnes homines ſalutis capaces, non per potentiam proximam, ſed remotam, prout omnes ſunt capaces, ut ſint Muſici, etiam muti, ſive elingues.

Contr. Rem. in ſpecim. Amſtel. a. 56. Quando Dominus clamavit: volui ſalvare omnes: non dixit hoc tanquam Deus, *ſed tanquam homo*, & tanquam certus de voluntate ſuâ humanâ.

Gomer. Expl. ep. ad Galat. c. 1. Si prætendatur, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus, in hoc, quòd pretium mortis ipſius fuerit potentiæ infinitæ, ita ut potuiſſet ſufficere redimendis mille mundis, tunc non nego: interim non ſequitur, *quòd hoc pretium mortis Chriſti ſolutum ſit pro omnibus hominibus generatim & ſigillatim*, quia non ſufficit ad hoc infinita potentia, ſed requiritur inſuper voluntas, & intentio determinata, quam Chriſtus nunquam habuit,

Janſ. tom. 3. *l.* 3. *c.* 20. Primus ſenſus horum verborum Apoſtoli: Deus vult omnes homines &c. eſt, quòd Deus dicatur velle, ut omnes homines ſalventur *per diſtributionem accomodatam illis omnibus, qui ſalvantur.* Id eſt, quòd nullus ſalvetur, præter eos, quos Deus vult ſalvos . . . . , ſecundus ſenſus horum verborum eſt,

Digitized by Google

quòd iſthæc diſtributio intelligatur non de ſingulis generum, *ſed de genere ſingulorum*, nimirum de toto genere humano.

Idem cap. ſeq. Maſſilienſes fundabant ſuos errores ſuper hæc loca ſcripturæ tanquam ſuper fundamentum inconcuſſum, nimirum quòd *Deus velit omnes homines ſalvos fieri &c.* quòd cùm in doctrinâ S. Auguſtini ſit certum & evidens, conforme non eſt S. Auguſtini principiis, ſi dicas, Chriſtum mortuum eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſeipſum obtuliſſe in redemptionem, Patrem ſuum rogâſſe pro ſalute æternâ tam infidelium, in ſuâ infidelitate morientium, quàm juſtorum non perſeverantium. Profectò ſcivit decretum, ſecundùm quod quilibet erat prædeſtinatus: unde evenit juxta ſanctiſſimum Doctorem, *quòd non magis Patrem oraverit pro horum liberatione, quàm pro liberatione diaboli.*

Idem tom. 3. *l.* 10. *c.* 3. Evidens eſt, quòd S. Auguſtinus non agnoſcat aliam cauſam reprobationis, *quàm demeritum maſſæ corruptæ;* Hoc eſt, quàm peccatum originale, quo infecta eſt tota natura humana. Et quòd hoc peccatum ſit cauſa non ſolùm reprobationis negativæ, nimirum, quòd aliqui non ſint prædeſtinati, *ſed etiam poſitivæ.*

Prop. 4. *inter* 31. *damn. ab Alex. VIII.* Chriſtus pro nobis ſe obtulit in ſacrificium, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus fidelibus, *& pro ſolis iſtis.*

§. III.

Probatio Veritatis Catholicæ propoſitionibus damnatis oppoſitæ.

Ex Ratione.

QUis homo rationis compos ſibi imaginari, ne dicam, perſuadere audeat, quòd Deus infinitæ Bonitatis tot milliones animarum non in alium finem creaverit, quàm ut eas redderet extremè infelices & æternùm miſerabiles! hæc tamen inſana & immanis blaſphemia neceſſariò fluit ex doctrinâ Janſenianâ: Vel enim Deus creavit homines,

Digitized by Google

qui poſt lapſum Adami in hunc mundum nati ſunt, ut ſalventur, vel ut damnentur: ſecundùm Janſeniſtas non eos creavit, ut ſalvaret, nam poſt peccatum primi Parentis non magis voluit eorum ſalutem, quàm ſalutem dæmonum, ut ipſimet docent; ergò creavit eos, ut damnaret.

Atqui ſi Deus quoſdam homines non creavit niſi ad damnationem, ergò præciſè voluntas Dei eſt cauſa talis damnationis: ſi voluntas divina ſit cauſa damnationis eorum; igitur perditio non ex ipſis; igitur ruinam ſuam non ſibi imputent, nihil ſibi exprobrent: Solum ergò Deum accuſent primam & præcipuam cauſam ſui infortunij, & quidem Deum ſolum accuſabunt per totam æternitatem. Abominanda Theologia! quæ meritò horrore fremere & tabeſcere faciat mortalium ſceleratiſſimos.

Ex Scriptura.

2. *Reg.* 14. 14. *Non vult* Deus perire animam, ſed retractat cogitans: ne penitùs pereat, qui abjectus eſt.

Pſalm. 18. 7. *Non eſt, qui ſe* abſcondat à calore ejus.

Sap. 11. 25. Diligis omnia quæ ſunt: *nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* parcis autem *omnibus*; quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.

Iſa. 53. 6. Poſuit in eo Dominus iniquitatem *omnium noſtrûm:* ipſe peccata multorum tulit, & pro trangreſſoribus rogavit.

Math. 18. 14. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat *unus de puſillis iſtis.*

Joan. 17. 20. Non pro eis rogo tantùm, ſed pro *eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.*

Rom. 5. 18. Sicut per unius delictum in *omnes homines* in condemnationem: ſic per unius juſtitiam *in omnes homines* in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; *ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi. Reſp.* Ergò meritum mortis Chri-

Digitized by Google

ſti ſe eouſque extendit juxta Apoſtolum, quò ſe extendit peccatum primi Parentis.

Ibidem 28. 32. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis *omnibus tradidit illum.*

1. *Cor.* 8. 11. Peribit infirmus in tua ſcientia, frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? *Reſ.* poteſt igitur perire & non eſſe ex numero electorum etiam aliquis, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

2. *Cor.* 5. 14. Æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro *omnibus* mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, & pro *omnibus* mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. *Reſ.* Dum ex univerſalitate remedij Apoſtolus infert univerſalitatem mali, hinc ſequitur remedium tam eſſe extenſum, quàm ipſum malum.

1. *Tim.* 2. 1. Obſecro omnium Orationes fieri *pro omnibus hominibus.* Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus JEſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum *pro omnibus.*

Ibidem 4. 10. Qui eſt Salvator *omnium hominum*, maximè fidelium. *Reſ.* Si Chriſtus eſt Salvator ſpecialiter fidelium, certè erit etiam Salvator infidelium, ſi non ſpecialiter, ſaltem generaliter.

Hebr. 2. 9. Videmus JEſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum, ut gratiâ Dei *pro omnibus* guſtaret mortem.

1. *Joan.* 2. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, *ſed etiam pro totius mundi.*

Ex Patribus.

Conc. Valent. III. can. 5. Firmiſſimè tenendum credimus ... ex ipſa multitudine fidelium & redemptorum alios ſalvari æterna ſalute; quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter remanent.... Alios, *quia noluerunt permanere in ſalute fidei*, quam initio acceperunt, Redemptioníſque gratiam potiùs irritam facere pravâ doctri-

nâ vel vitâ, quàm ſervare, elegerunt; ad plenitudinem ſalutis & perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.

Trid. Seſſ. 6. c. 3. Etſi ille *pro omnibus mortuus eſt*; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: ſed ij duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.

Ignat. Ep. 6. ad Philad. Amator hominum eſt Deus noſter, *& vult omnes homines ſalvos fieri*, & ad agnitionem veritatis venire.... Cujus utilitatis etiam Dominus volens eſſe imitatores dicit: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*

Dion. Hier. Eccle. c. 2. Sacrorum præfectus, qui ſemper *Dei ſimilitudine* omnes homines ſalutem adipiſci, & ad veritatis notitiam venire cupiat, prædicat omnibus ex veris Evangelijs Deum.

Cypri. ſerm. de paſſ. Chr. Mediator inter nos & Patrem *oras pro his*, qui ad dolorem vulnerum tuorum opprobria addiderunt: & pro inimicis impetras veniam, *ſupplicas, obſecras*; ut hæc eis iniquitas dimittatur, & à morte tuâ habeantur innoxij ipſi, qui ſanguinem tuum ſuper ſe, & ſuper filios ſuos manere precantur: úſque adeò excæcati, ut ſcelus ſuum non intelligant, nec odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat, ſed charitas tua interim ſuſpendit judicium, & reis, ingratiſque pœnitentiæ providet locum; tempúſque reſervat & differt punire dignos exitio: *hac oras*, ut aperiantur oculi eorum, & agnoſcant, quæ ſit virtus Crucis.

Idem de bon. patien. In Judæis verò tolerandis æquanimitas quanta, & quanta (Chriſti) patientia, jam incredulos ad fidem ſuadendo flectere?... Prophetarum interfectores, & adversùs Deum rebelles *uſque ad Crucis & paſſionis horam* velle colligere? *Reſ.* Quâ fronte Auctor ſex Columnarum audet affirmare, Patres Eccleſiæ nunquam crediđiſſe, Chriſtum rogâſſe pro reprobis?

Athan. ſerm 3. *cont. Arian.* Poſteà Deus, ut bonus & Pater, noſtram vicem dolens cupiénſque ſui *apud omnes* notitiam invaleſce-

Digitized by Google

re, Auctor fuit Filio ſuo, ut in duro corpore humano homo fieret.... Atque in eo corpore ſe ipſum offerens *pro omnibus, omnes* liberaret ab Ignorantia Deitatis & corruptione.

Greg. Nazian. orat. 24. *ad Arian.* Unum idémque cælum commune habemus... Unam eandémque terram, ex quá ſumpti ſumus &c... Et ut majora proferam, communem rationem, legem, prophetas, ipſos Chriſti cruciatus, per quos *omnes, citra ullam exemptionem,* inſtaurati ſumus, qui eidem Adamo participavimus.

Idem præcept. ad Virgines pag. 9. Omnes ejusdem ſoboles Patris, omnibus idem ſpiritus, ad Regem cuncti properamus eundem, *omnibus eſt natus*, mortem tulit *omnibus æquè* Chriſtus.

Ambr. l. 1. *de Jac. & vitâ beat. c.* 6. Mirè etiam addit: *pro nobis omnibus* tradidit illum; ut oſtenderet, quòd ita *omnes* diligat, ut dilectiſſimum ſibi filium *pro ſingulis* traderet.

Idem de Parad. cap. 8. Venerat Dominus JEſus *omnes* ſalvos facere *peccatores*: etiam *circa impios* oſtendere ſuam debuit voluntatem; & ideò *nec proditurum* debuit prætermittere; ut adverterent omnes, quòd in electione etiam proditoris ſui ſervandorum omnium inſigne prætendit.... Non enim neceſſitatem Deus vel illi prævaricationis, vel huic proditionis impoſuit: quia uterque, ſi quod acceperat, cuſtodiſſet, Adam & Judas à peccato abſtinere potuiſſet.

Idem ibid. infra. Nec Judæos omnes credituros ſciebat: & tamen ait: *Non veni, niſi ad oves perditas domûs Iſraël.* Ergò non in mandante culpa eſt, ſed in prævaricante peccatum eſt: Et quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quòd *omnes* voluit liberare.

Idem l. 6. *in Evang. Luc. cap.* 7. Chriſtus *omnibus adeſt*; quia ubique ſemper eſt, qui complet omnia: *nulli enim deficit*; nos deficimus: nulli, inquam, deficit; *ſuperabundat omnibus.*

Idem ibid. Etſi Chriſtus *pro omnibus* mortuus eſt, pro nobis tamen *ſpecialiter* paſſus eſt; quia pro Eccleſia paſſus eſt.

Id. ibid. l. 10. *c.* 22. Nec illud diſtat à vero, ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos: Et ideò dixit: *Pater transfer hunc calicem à me.* Non quia Dei Filius mortem timebat; *ſed quia nec malos perire volebat.* Unde & dixit: *Pater dimitte illis hoc peccatum:* ne exitialis eſſet populo paſſio ſua, futura omnibus ſalutaris.

Chryſ. hom. 1. *ſuper ep. ad Eph. c.* 1. Juxta beneplacitum, inquit, voluntatis ſuæ, hoc eſt, propterea quòd vehementer hoc vult, concupiſcentia ejus, ut ita dicam, ita eſt; ubique ſiquidem beneplacitum præcipua voluntas eſt: nam & alia quædam voluntas eſt: Exempli gratiâ: Prima eſt voluntas illa, *quâ eos perire non vult*, qui peccaverunt: ſecunda verò, quâ perduntur, qui mali facti ſunt.... Beneplacitum primariam voluntatem dicit, vehementem ſcilicet & quæ cum deſiderio & concupiſcentiâ ſit, quam habet erga nos.... hoc eſt, vehementer concupiſcit, *& vehementer deſiderat noſtram ſalutem.*

Id. hom. 46. *in Matth. c.* 23. Deus *invitus* compellitur *cum magno dolore* peccatores damnare: Non enim ſic dolet, quia ipſe ab eis offenditur; ſed quia *quaſi violenter* cogitur perdere aliquem, *qui omnes cupit ſalvare.*

Id. ep. 5. *ad Theod. tom.* 6. In hoc quidem nos creavit, ac in iſtud eſſe produxit, *quò nos æternis bonis participaret*, útque tribueret regnum æternum; non ut in gehennam detrudat, aut ignibus dedat.

Id. hom. 16. *in ep. ad Rom. c.* 9. *In hæc verba: an non habet poteſtatem figulus luti.* Cave ad opificij rationem exiſtimes hæc à Paulo dicta fuiſſe, aut ſententiæ neceſſitatem; ſed ad œconomiarum poteſtatem ac differentiam: nam niſi ita acceperimus, *multa abſurda ſequentur*: Etenim ſi de animi ſententiâ hoc loco ſermo habetur, & bonorum & non bonorum erit ille opifex; videbitúrque. tùm homo extra omnem culpam eſſe, tùm Paulus ipſe, qui ubique ipſam voluntatem coronat ac rationem, ſecum ipſe pugnare.

Id. ibid. hom. 8. *c.* 11. At dices; ſi ex gratiâ ſalvus eſt, cur non omnes ſalvantur? *Quia noluiſtis.* Gratia ſiquidem, licèt gratuita ſit; volentes tamen tantummodò ſalvat; non eos, qui nolunt, qui continuò adverſantur, qui contradicunt.

Id. hom. 17. *in ep. ad Hab. c.* 10. Ad multorum offerenda peccata. Quare multorum & non omnium? *quia non omnes crediderunt.* Pro omnibus quidem mortuus eſt: hoc eſt, quantùm in ipſo eſt, ſufficiebat mors illius ad medendum omnium mortalium perditioni: Non autem peccata omnium abſtulit, *propterea, quòd noluerunt.*

Hier. ep. ad Occean. Mentitur Joannes Baptiſta & digito & voce Chriſtum demonſtrans; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, ſi ſunt *adhuc in ſæculo, quorum* Chriſtus peccata non tulerit.

Id. in Iſa. c. 27. *v.* 9. Cauſas reddit, cur, poſtquam Judæi in Dominum miſerunt manus, veniam conſequantur, ſi voluerint agere pœnitentiam; *ut compleatur Salvatoris oratio: Pater ignoſce illis &c.* Propterea, inquit, dimittetur iniquitas domui Jacob, ut mereatur benedictionem Dei, qui ſibi maledictionem fuerat imprecatus, dicens: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Aug. ſer. 101. *de temp.* Ille Adam ſe contra Deum erexit, & cecidit; Chriſtus ſe humiliavit, ut *omnes* erigeret. Adam univerſis mortem intulit, & Chriſtus vitam *omnibus* reparavit.

Id. l. 6. cont. Julian. c. 4. Ex hoc probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, infarcio recuſanti. Accipe, ſalubre eſt: Nolo moriaris. Unus *pro omnibus* mortuus eſt: ergò *omnes* mortui ſunt: vide quàm conſequens eſſe voluit, ut intelligantur *omnes* mortui, ſi pro *omnibus* mortuus eſt.

Id. in pſalm. 95. Venit Redemptor & dedit pretium: fudit ſanguinem ſuum, emit orbem terrarum. Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? quid

niſi totus orbis, quid *niſi omnes gentes?* valdè ingrati ſunt pretio ſuo aut multùm ſuperbi, qui dicunt, aut illud tam parvum eſſe, ut ſolos Afros emerit; aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis ſit datum.

Id. de Symb. ad Cat. l. 2. *c.* 8. Ecce hominem, quem crucifixiſtis. (dicet Dominus ad reprobos) Ecce Deum & hominem, in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera, quæ inflixiſtis? agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? quoniam & per vos, & *propter vos* apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis: qui non eſtis redempti pretio ſanguinis mei, non eſtis mei: *Diſcedite à me &c.* Sed illorum mors proficiat ad noſtram ſalutem.. .Feſtinet unuſquiſque, cùm vivit, ut vivat. Currat, ut ejus ſanguine pretioſo redimatur, ne, cùm non fuerit inventus in numero Redemptorum, in numero maneat perditorum.

Id. l. de ver. Relig. ſub finem. Placuit Auctori ſuo; ut non interiret *quid*, *quod* per verbum factum eſt.

Id. l. Medit. c. 2. De te ipſo per quendam tuum ſervum dixiſti: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Et quaſi de ſingulo loquentem de *univerſo populo tuo* te dixiſſe confidimus; *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Nullum enim ſpernis, neminem abjicis, neminem perhorreſcis, niſi fortè, qui amens te exhorruerit.

Id. in pſalm. 93. *Elige tibi*; temporalem vis laborem, an ſempiternam pænam?

Id. in pſalm. 93. Poteſtatem tibi dedit Deus, *ut ſi velis*, donante Deo, ad dexteram ſis.

Id. ſerm. 66. *de temp.* Quid faciemus, chariſſimi, in illo metuendo judicio Dei, cùm Dominus rationem vitæ cæperit poſtulare & dicere: O homo! humanos dolores, quibus tibi ſimilis fierem, ad hoc ſcilicet, ut te mihi ſimilem facerem, pertuli. Ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimiſi: ſuſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: ſuſcepi mortem tuam, *ut in æternum viveres.* Cur quod pro te pertuli, perdidiſti? non te ego de morte mea quæro. Redde mihi vitam tuam, *pro quâ meam dedi.*

Digitized by Google

Id. ſerm. 32. *Syrm.* Quiſquis beatus vult eſſe, ad regnum Cælorum feſtinet: *nulli clauſum eſt*, niſi ei, qui ſe excluſerit.

Id. tract. 4. *in Joan.* Populi ſpernentes, propter ſuperbiam ſuam, humilitatem Dei, crucifixerunt *Salvatorem ſuum*, & fecerunt damnatorem ſuum.

Id. in pſalm. 95. Judicabit orbem terrarum in æquitate; non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, *quia pro toto pretium dedit.*

Id. ſerm. 31. *inter* 40. Sanguis Domini tui, *ſi vis*, datus eſt pro te: *ſi nolueris*, non datus eſt pro te.

Id. Conc. ad Catech. c. 4. Præſto erit diabolus in die judicij, dicens: Judica meum eſſe, *qui tuus eſſe noluit*, meus eſt mecum damnandus. Judica æquiſſime; quia *quem tu non dedignatus* tanto pretio liberare, ipſe mihi ſe poſtmodùm obligare voluit.

Id. tract. 35. *in Joan.* Venit Chriſtus, ſed *primò* ſalvare, poſteà judicare: eos judicando ad pœnam, qui ſalvari noluerunt: eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt; *prima ergo diſpenſatio Domini medicinalis eſt.*

Cyril. Alex. in Iſa. l. 5. *c.* 54. Creat eum *non ad interitum*: id eſt ad corruptionem & mortem, ſed ad longævam & *æternam vitam.*

Idem in Evang. Joan. l. 11. *c.* 21. Perditionis verò filium appellavit, quia *pravitate periit ſuâ*; non enim divino inexpugnabilíque judicio in diaboli laqueum proditorem incidiſſe credendum. Nam ſi ſic eſſet, nullo modo culparetur, cùm judicio Dei nemo reſiſtere queat... Nulla enim neceſſitate, ſed proprio judicio fecit, quod fecit: quare meritò perditionis filius nuncupatur, *quia perditionem elegit.*

Leo ſerm 1. *de Nativ. Dom.* Dominus noſter peccati mortíſque deſtructor ſicut nullum à reatu liberum reperit, *ita liberandis omnibus venit.*

Id. ſerm. 11. *de paſſ.* Pro omnibus impijs mortuo Domino potuiſſet etiam & Judas *conſequi remedium*, ſi non feſtinâſſet ad laqueum.

Id. ſerm. de paſſ. Mors Chriſti nos liberat; vos Judæos accuſat... Et tamen tanta eſt bonitas noſtri Redemptoris, *ut etiam poſſitis conſequi veniam,* ſi Chriſtum Dei Filium confitendo illam parricidalem malitiam relinquatis. *Non enim Dominus in cruce fruſtra oravit, dicens: Pater dimitte illis.* Quod remedium nec te, Judas, tranſiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ te revocaret ad Chriſtum; non quæ inſtigaret ad laqueum.

Id. ſerm. 4. de paſſ. Principes Sacerdotum, *quibus indulgentiam Salvator petebat;* ſupplicium crucis irriſionum aculeis exaſperabant. *Reſ.* Etiamnum tergiverſabitur Author ſex Column. dicendo, SS. Patres nunquam docuiſſe, quòd Chriſtus pro ſalute reproborum oraverit?

Proſp. ad cap. Gal. c. 8. ſent. 8. Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed *certum numerum* prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de Altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, *qui & omnes homines vult ſalvos fieri.*

Id. object. 2. inter Vincent. Sinceriſſimè credendum eſt, atque profitendum, Deum velle, *ut omnes homines ſalvi fiant:* ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta eſt ſententia, ſollicitè præcipit, quod in omnibus Eccleſijs pijſſimè cuſtoditur, ut Deo *pro omnibus hominibus* ſupplicetur: Ex quibus, quòd multi pereunt, *pereuntium eſt meritum:* quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt Domini.

Auth. de Vocat. gent. l. 2. c. 16. Nulla ratio dubitandi eſt, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum pro impijs & peccatoribus mortuum*: à quorum numero, ſi aliquis liber inventus eſt,* non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus, ſed *prorſus pro omnibus* mortuus eſt Chriſtus.

Joan. Damaſ. l. 11. de fide Orthod. c. 29. Illud quóque non te fugiat, Deum, ut bonitate præſtantem, quidem *omnes homines* ſervari, ac regni ſui compotes eſſe velle: neque ſupplicij ac cruciatûs causâ, verùm ad hoc, ut bonitatis ipſius participes ſimus, nos effinxit: Ut juſtum autem ijs quóque, qui peccant, pœnam inferri nihilomi-

Digitized by Google

pùs velle: Ac priùs illud antecedens voluntas ſeu beneplacitum dicitur, ex ipſo manans: ſecundum autem conſequens voluntas atque permiſſio, à noſtro vitio ortum ducens.

Bern. de prae. & diſp. c. 10. Propheta de ipſo teſtatur, quòd *pro transgreſſoribus rogaverit*, ut non perirent.

D. Thom. de verit. q. 23. *a.* 2. Quia ergò Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur *voluntate antecedente omnium ſalutem velle.* Sed quia quidam ſuæ ſaluti adverſantur, quos ordo ſuæ ſapientiæ ad ſalutem venire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo id, quod ad ſuam bonitatem pertinet, ſcilicet eos per juſtitiam damnans.

Id. in ep. 2. *ad Tim.* 2. *lect.* 1. Jeſus Chriſtus Mediator Dei & hominum, *non quorundam, ſed inter Deum & omnes homines*: Et hoc non fuiſſet, *niſi vellet omnes ſalvos.*

D. Bonav. ſerm. 2. *de S. Mathiâ.* Quòd ſi quæras, quare vocavit Judam, ex quo ſciebat eum periturum, & tradìturum? dicendum eſt, quòd in hoc oſtendere voluit, quòd, quantùm in ſe eſt, *omnibus dare gratiam paratus ſit; quòd nemo perit, niſi qui ſalutem ſuam negligit*, & ſe ad gratiam non diſponit; vel Dei gratiâ non benè utitur, ſi accepit.

Id l. 1. *d.* 46. *q.* 1. *a.* 1. *c.* Deus *voluntate beneplaciti* vult omnes homines ſalvos fieri, *voluntate antecedente.*

Ibid. d. 47. *q.* 1. *a.* 1. *c.* Deus vult illum ſalvum fieri, quantùm in ſe eſt; quia Deo placuit illi dare naturam, per quam poſſet pervenire ad ſalutem, & quòd Deus *paratus eſt juvare*: ita quòd ſalus non deficit *propter defectum ex parte Dei.*

Id. l 3. *d.* 31. *dub.* 3. Duplex eſt diſtinguenda dilectio in Chriſto: videlicet dilectio, quæ eſt ſecundùm voluntatem antecedentem, *& hâc quidem omnes diligebat*, quia omnes ad ſalutem pervenire cupiebat: & dilectio ſecundùm voluntatem conſequentem: & hâc, quia reſpicit merita finalia, non omnes diligebat, nec omnes ad ſalutem pervenire cupiebat.

Digitized by Google

Orat. Miſſ. pro vitand. mortal. Deus, qui *non mortem, ſed pœnitentiam deſideras* peccatorum, populum ad te revertentem propitius reſpice.

De imit. Chr. l. 3. c. 59: Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt: *Tu ſalutem meam* & profectum meum ſolummodò prætendis.

§. IV.
Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* SCripturæ & Patres, præcipuè S. Auguſtinus & S. Thomas, unanimiter docent, orationes Chriſti ſemper fuiſſe exauditas, ex quo infertur, Chriſtum non oráſſe pro æterna ſalute reproborum, & conſequenter non pro ipſis mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe, néque eos ſalvare voluiſſe.

Reſp. Illatio iſthæc claudicat, nec tam bona eſt, ut primò credideris. Si enim Chriſtus nunquam omninò pro hominibus Patrem oráſſet, ne quidem pro prædeſtinatis, non tamen inde ſequeretur, quòd non fuerit eorum verus Salvator, néque eos verè & effectivè redemerit. Doloroſa Chriſti paſſio pro ipſis oblata Patri ſufficiebat utique ad redemptionem ſine ſuffragio precum expreſſarum & formalium: cùm enim non ſic rogaverit pro Patriarchis antiqui Teſtamenti ipſum Præcurrentibus, nónne etiam potuiſſet non rogare pro Sanctis & electis ipſum ſubſequentibus? & tamen hi & illi ſunt ex redemptis: ergò tametſi non oráſſet pro reprobis, non exinde ſequeretur, reprobos excluſos è numero redemptorum morte & ſanguine Chriſti: hæc reſponſio videtur irrefragabilis.

Dicamus tamen, verum eſſe in uno, & falſum in alio ſenſu, quòd Chriſtus non rogaverit pro æterna ſalute reproborum: Rogavit pro ſalute reproborum, quòd pro ipſis interpellaverit apud Patrem pro concedendis medijs neceſſarijs & ſufficientibus, ut ſalvi fierent: Non rogavit pro ſalute reproborum, quòd non interpellaverit apud Patrem ex voluntate abſolutè efficaci: Hoc modo oportet conciliare

ſcripturas cum ſcripturis, Patres cum Patribus. S. Thomas præbet anſam huic diſtinctioni in loco ipſo ab Authore Hexapl. citato: *Ideò*, inquit S. Doctor, (*a*) *omnis abſoluta voluntas Chriſti etiam humana fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per conſequens omnis ejus oratio fuit exaudita.* Ex quo luculenter apparet, quòd S. Doctor hic non loquatur, niſi de voluntate Dei *abſolutâ.*

2. *Object.* Citato loco S. Thomæ abſoluta voluntas Chriſti, utpote ſemper cum ſuo effectu connexa, opponitur motibus & inclinationibus voluntatis ſimplicis, quam voluntatem ipſe teſtatur nihil aliud eſſe niſi inclinationem naturalem, ac puram quandam velleitatem: *Illud autem, quod volumus*, inquit D. Thomas, *ſecundùm motum voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur ut natura, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid: ſcilicet, ſi nihil obſiſtat, quod per deliberationem rationis invenitur: Unde talis voluntas magis dicenda eſt velleitas, quàm abſoluta voluntas; quia ſcilicet homo hoc vellet, ſi aliud non obſiſteret.* Ergò S. Thomas agnoſcit in Chriſto pro ſalute illorum, qui non ſalvantur, nudam voluntatem inclinationis naturalis ſeu ſimplicis velleitatis.

Reſp. Motus voluntatis ſimplicis, quos S. Thomas hic opponit motibus voluntatis abſolutæ, debent ſumi in lato ſenſu; prout non ſolùm includunt inclinationem naturalem, ſeu puram velleitatem, ſed prout etiam includunt veram voluntatem conditionatam, quâ Chriſtus vult ſalvare omnes homines, ſi non deſpiciant ejus gratias. Quod ex ipſo textu D. Thomæ probatur, cùm dicit, *nos id, quod volumus ex motu voluntatis ſimplicis, non ſimpliciter velle, ſed ſecundùm quid*, id eſt: ſuo modo; nimirùm, *ſi nihil obſiſtat*; quod ſatis clarè inſinuat voluntatem conditionatam: deinde S. Doctor non dicit, hanc voluntatem nihil eſſe, quàm pura velleitas; ſed dicit ſolummodò, eam debere potiùs appellari velleitas, quàm abſoluta voluntas: *magis dicenda eſt velleitas, quàm abſoluta voluntas;*

(*a*) part. 1. q. 21. art. 4.

quandoquidem, inquit, hæc voluntas tantùm quid velit ſub conditione, *ſi nihil obſiſtat*: patet ergò, quòd S. Doctor hâc diſtinctione voluntatis in ſimplicem & abſolutam nunquam prætenderit excludere Voluntatem in Deo ſinceram ſalvandi omnes homines: Voluntatem, quam tot textibus, & vigeſies repetitis ſententijs per decurſum eruditorum ſuorum operum ſtabilivit, ex quibus jam plures citavimus & deinceps citabimus.

3. *Object.* Sunt Patres, qui dicunt, illos, quos Deus vult ſalvos, non poſſe perire; eos verò, quos non vult ſalvos, non poſſe ſalvos fieri: ergò Deus non vult ſalvare omnes homines.

Reſp. Quantumvis primo aſpectu appareant duræ hujuſmodi expreſſiones, nihilominùs ſunt eminenter orthodoxæ in ſenſu & mente Patrum: qui his & ſimilibus eloquijs non aliò tendunt, niſi, quòd electi, quatenus electi, non poſſint perire: & quòd èontra reprobi, quatenus reprobi, non poſſint ſalvari: quinam enim verò ſunt illi, quos Deus ita vult ſalvari, ut perire non valeant? ſunt electi, quos Deus vult ſalvare voluntate abſolutè efficace: quinam ſunt autem illi, quos Deus non vult ſalvari, & qui ſalvari non poſſunt? ſunt revera illi, quos Deus vult damnare voluntate abſolutâ, & conſequente. Jam autem certum eſt, electos, quatenus electi ſunt, non poſſe perire; & reprobatos, quatenus ſunt reprobati, non poſſe ſalvari; in tales enim, & cum reduplicatione conſideratos jam ſubintelligitur pronuntiata ſententia objectivè; in quo ſenſu veraciter poteſt affirmari, eos, quos Deus vult ſalvos, non poſſe perire, eos autem, quos non vult ſalvos, non poſſe ſalvari. Plus ultrà: cum veritate ſuperaddi poteſt, tales neceſſariò ſalvos, vel reprobos eſſe; non utique neceſſitate aliquâ antecedente, ſed conſequente, prout neceſſe eſt, me ſcribere, dum ſcribo; nec enim hos vel illos Deus ſalvat aut damnat, niſi conſecutivè ad bonum vel malum uſum gratiarum & libertatis à Deo præviſum.

4. *Object.* Quidam Eccleſiæ Patres etiamnum teſtantur, Chriſtum non redemiſſe omnes homines; non mortuum eſſe pro infidelibus; neque pro illis, qui ſalvandi non erant: idcircò docet Apoſto-

lus, inquiunt, Chriſtum fuiſſe oblatum, ut deleret peccata multorum; conformiter ad ea, quæ ipſe Salvator teſtatus eſt: *non pro mundo rogo, ſed pro ijs, quos tu mihi dediſti.*

Reſp. Quando Scripturæ & Patres tali modo loquuntur, attendunt ſolùm ad fructus & effectus, quos colligere deberemus ex paſſione Chriſti; quæ paſſio, cùm non omnibus hominibus ſit utilis & efficax, ideò ſecundùm quid poteſt dici, Chriſtum non pro omnibus mortuum eſſe, ſed tantùm pro illis, qui ex merito paſſionis ad ſalutem locupletati ſunt. Itaque diſtinguenda eſt duplex redemptio: una, quæ vocatur à Theologis Redemptio *in actu primo*, & altera, quæ vocatur Redemptio *in actu ſecundo*: redimere *in actu primo* eſt offerre & ſolvere pretium ſufficiens pro relaxatione captivi cum verâ intentione & ſincerâ voluntate eum redimendi à ſervitute: redimere *in actu ſecundo* eſt realiter & effectivè captivum liberare per oblatum & ſolutum pretium: Sic rem intelligit Concilium Tridentinum, quando definit, quòd, licèt Chriſtus mortuus ſit pro omnibus hominibus, non tamen omnes homines fructum ex hâc morte recipiant; hoc eſt; non tamen omnes in effectu redimuntur & ſalvantur. Ita quoque intelligendus eſt S. Auguſtinus, (a) cùm nos hortatur, ut curramus, ita quidem, *ut ſimus ex redemptis per ſanguinem Chriſti; ne forſitan, cùm non reperiamur in numero redemptorum, maneamus in numero perditorum.* In hoc ſenſu quandóque SS. Patres volunt, Chriſtum non pro omnibus hominibus mortuum eſſe.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

QUis non perſpiciat, has propoſitiones innovare Quintam Janſenij circa mortem Chriſti pro omnibus hominibus? ergò merentur eaſdem cenſuras. Propoſitio verò XXXII., quæ hoc dogma

(a) De ſymb. ad Catech. l. 2. c. 8.

hæreticum Janſenij non tam clarè exprimit, ſed tantùm illud inſinuat ſub terminis ad ſpeciem Catholicis, eſt *captioſa*, nec meretur rigoroſè aliam qualificationem.

§ VI.

Alij errores incluſi in propoſitione XXXIII.

Non abſque ſpeciali reflexione tranſeat monſtroſa reflexio, quam facit Quenellus in ſuâ propoſitione XXXIII. ubi non ſolùm dicit, exiguum numerum quarundam animarum ſelectarum, ſibi & mundo perfectè renuntiantium, poſſe ſibi appropriare Chriſtum, ejus mortem & myſteria; aut poſſe cum fiducia confiteri: *Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me*: ſed exaggerat, oportere in hunc finem renuntiâſſe terrenis & ſibimet ipſi, ut fecit S. Paulus. Si hæc ſit cauſa cum homine, ſibi Chriſtum appropriare volente, jam non licitum erit (nec hominibus fidelibus in communi, nec ulli homini privatim) dicere cum ſymbolo Nyceno, quod cantatur in Miſſa ab Eccleſia: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*: nemo enim in hoc mundo vivit eò uſque perfectus, ut meritò poſſit ſibi adulari, ſe rebus terrenis, ac ſibimet ipſi ita renuntiâſſe, ut S. Paulus.

Plus ultrà: ne quidem ipſemet S. Paulus, vas iſtud electionis, ſegregatus à Chriſto, ut portet Nomen ejus coram Regibus & Principibus terræ, auſus fuiſſet, aut cum veritate potuiſſet ante ſuam converſionem fateri de Chriſto. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Tunc enim nondum terrenis rebus ac ſibimet ipſi renuntiaverat; quamvis ſit de fide tenendum, miraculoſam Converſionem S. Pauli fuiſſe effectum amoris & Paſſionis Filij Dei: ergò frendente licèt Quenello, Paulus ante converſionem & renuntiationem potuiſſet dicere: *qui dilexit me &c.* Ergò ut poſſis tibi appropriare Chriſtum, ejus mortem & myſteria non oportet tantopere terrenis ac ſibimet ipſi renuntiâſſe, En abyſſum abſurdiſſimum monſtroſæ,

dicam, ridiculæ reflexionis Queſnelli; adeò verum eſt, ſemel diſcedentem ab Eccleſiâ, quæ eſt Columna Veritatis, protinùs ruere in quoſcunque errores contra fidem & Veritatem.

Ad hæc proteſtatur Author Hexapl. „ Eccur, inquit,(*a*) non intelligitur Queſnellus in ſenſu favorabili? cur loquatur, quod non vult, nec „ cogitavit? poſcit æquitas, ut intelligatur præſens propoſitio tanquam inſinuans, nos debere renuntiâſſe rebus terrenis & nobiſmetipſis, antequam poſſimus ſpeciali cum fiducia & in gradu charitatis non communi, ſed propemodùm tali, qualis erat in S. Paulo, „ nobis appropriare Chriſtum, ejus mortem & myſteria: „ nihil ab æquo remotius, quàm prætenſa hæc æquitas: quis enim ſenſatus induat ſenſum favorabilem propoſitioni Authoris, quem ipſemet Author multoties rejicit, utpote contrarium omnibus principijs, totique ſyſtemati ſui operis reflexivi? qua de re nullatenùs dubitandum poſt tot hucuſque factas reflexiones; præterquàm quòd nemo non videat, niſi ſuâ ſponte cæcutiat, Quenellum non alium in finem poſuiſſe hanc propoſitionem impiam & ridiculam ſuper ſacrum hoc eloquium S. Pauli, niſi ut ejus ſenſum depravaret, ut textum Apoſtoli validiſſimum ac demonſtrativum de Chriſti amore verſùs omnes homines, inutilem & infirmum redderet: Reverà nihil fortiùs probat Chriſtum dilexiſſe *omnes* homines; morti ſe tradidiſſe pro *omnibus*, quàm ſi monſtretur, neminem eſſe, qui non fiducialiter cum S. Paulo confiteri valeat: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Non ſurdus auditor erat Quenellus ad hæc verba Pauli; probè advertebat, quemlibet mortalium ſibi ea poſſe adaptare dicendo de Chriſto: *Qui dilexit me, & tradidit &c.* Quamobrem inſeparabiliter ſuis addictus erroribus noluit dare gloriam Deo, ſed agnitæ Veritati in faciem reſiſtens excogitavit ambages & circulos, ut eam evitaret, occultarétque ejus radios nimiùm promicantes: verùmtamen veritas iſta ſemper mendacio ſuperior operuit inimicum ſuum opprobrio indelebili, permittens ab eo fieri reflexionem tam impiam tam riſu & indignatione dignam, ut vix quid ſimile ingenium rudiſſimi Theologi parturiverit.

(*a*) Auth. Hex. pag. 355. col. 4.

Digitized by Google

PROPOSITIO XXXIV.

GRatia Adami non producebat niſi merita humana.

PROPOSITIO XXXV.

GRatia Adami eſt ſequela creationis, & eſt debita naturæ ſanæ & integræ.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionis.

MAla fides Anthoris ſex Columnarum vix ullibi ſenſibiliùs ſe prodit. Infidelis Author, cùm advertiſſet ſe impotentem pro cauſa Quenelli circa errorem ei imputatum in his propoſitionibus, nec tamen vellet ſe ſuúmque clientem confundere revocando errorem, fugâ ſibi conſuluit, dicendo, hanc quæſtionem eſſe quaſi de lana caprina, ac nullius momenti: "Oportunum eſt, inquit, (a) hîc no„tare, quòd in materijs de gratia ſollicitè diſtinguendum ſit inter ea, „quæ noſtrum ſtatum concernunt, & ea, quæ Adamum ante lapſum „reſpiciunt; quæ noſtram conditionem attinent, ſunt ſummi ponde„ris; quæ ad ſtatum innocentiæ ſpectant, non item: Commoda & „utilitates ſtatûs innocentiæ nos inflare non poterunt, quòd extra eam „repeiamur; tametſi crederemus Adamum paulò fortiorem, quàm „fuerat, non exinde impediretur agnitio propriæ noſtræ infirmita„tis; & quamvis libenter fateamur, nos id non ampliùs habere, „quod Adæ tribuimus innocenti, niſi valde tenuiter, hoc tamen non „impedit, ne humiliter idipſum à Deo poſtulemus. Inde eſt, quòd „duæ Scholæ Thomiſtarum & Auguſtinianorum almâ pace fruantur „inter ſe circa hanc quæſtionem."

Huc uſque Author Hexapl. quibus ſuadere nititur, quòd dogma de impoſſibilitate puræ naturæ, de quâ hîc eſt quæſtio, ſit res exi-

(a) pag. 273. col. 4.

gui momenti pro Religione. Sed quomodo poteſt ignorare contrarium? an neſcit, hoc dogma eſſe primarium & principale fundamentum doctrinæ Janſenij? fundamentum, quod Janſenius arbitrabatur adeò neceſſarium, ut eo conſolidando quatuor integros libros ſui operis elaboraverit: Ut Lector minùs habilis & verſatus capiat, Janſenium non ſine causâ ſtabiliendo huic principio tam ſedulò inſudâſſe, ideò explicandum eſt, quid intelligatur per ſtatum naturæ puræ.

Itaque ſtatus naturæ puræ eſt ille, in quo homo, utpote in innocentiâ & ſine peccato creatus, non fuiſſet elevatus per ullam gratiam ad finem ſupernaturalem, ac fuiſſet ſubjectus motibus concupiſcentiæ, morti, aliiſque miſerijs, quibus hodie affligimur. Talis ſtatus ſecundùm Janſenium nihil habet præter imaginarium & chymericum: Homo, ait Janſenius, taliter creatus eſt ad finem ſupernaturalem & in gratiâ originali unácum omnibus alijs prærogativis, hanc gratiam comitantibus, ut impoſſibile fuerit eum aliter creari: contrarium tenere penes Janſenium eſt injuriâ laceſſere bonitatem, ſapientiam & juſtitiam Dei, qui nec aliquid defectuoſum facere, nec innocentem poteſt affligere. Quid verò deducit ex hoc principio? paucis accipe præcipuas conſequentias exinde petitas à Janſenio.

1. Concludit, quòd homo, utpote qui per peccatum amiſit gratiam, quæ ipſi erat naturalis, fuerit vulneratus in naturâ, ac perdiderit omnes utilitates naturales, quæ ipſum poſſent promovere ad bonum: item, quòd ſine gratia Chriſti nullus extet in homine motus, nulla inclinatio, quæ non ſit vitioſa & inordinata, & per conſequens verum peccatum.

2. Concludit, gratiam hodie conceſſam hominibus eſſe prorſus diverſi characteris ab illâ gratiâ primâ, per peccatum Proto-Parentis amiſsâ: Prima gratia, utpote homini naturalis, erat quóque homini *proportionata*: id eſt, erat gratia debilis & infirma, libero Adami arbitrio ſubjecta, cui potuit ad placitum vel reſiſtere, vel obedire; cùm viciſſim gratia præſentis,

Digitized by Google

ſtatûs, utpote omninò aliena & extranea naturæ, non ſit homini *proportionata*; intellige; eſt gratia fortis, potens, ſuprema, quæ ſine prævia conſultatione voluntatis cor inflectit & abripit.

3. Concludit, quòd omnia merita, quæ Adam poterat acquirere operando bonum, non fuerint niſi merita humana & naturalia, partim, quia nihil agebat niſi ex ſuccurſu gratiæ ſibi naturalis, partim, quia ſeipſum determinabat ad agendum: Cùm èontra homo lapſus habeat merita, quæ ſunt divina & ſupernaturalia, partim, quia non facit bonum niſi ex gratiâ ſupra exigentiam naturæ elevatâ; partim, quia per hanc gratiam invincibiliter determinatur ad exercitium boni.

Hæ ſunt breviter loquendo præcipuæ ſequelæ, quas Janſenius deduxit ex impoſſibilitate ſtatûs naturæ puræ: ex quibus judica Lector, utrùm Author Hexapl. tam verſatus, ut apparet, in ſyſtemate Janſenij, potuerit bonâ fide dicere :(*a*)„ Moliniſtas nullum penitùs reportare commodum impugnando Auguſtinianos (Janſenianos) propter „ſtatum naturæ puræ ſive innocentiæ. „ Utique Moliniſtis tantum intereſt, hæc dogmata infirmare, ac Janſenianis eorúmque Confratribus Lutheranis & Calviniſtis intereſt, ea affirmare.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum Doctrinâ hæreticorum.

Luth Comment. in geneſ. c. 3. Juſtitia originalis ***non erat donum â naturâ humanâ diſtinctum, & ſuperadditum***: ***verè*** illi erat ***naturalis***, ita quidem, ut fuerit de naturâ Adami, cognoſcere Deum, amare Deum, ac credere Verbo ejus. Hoc totum Adamo erat tam naturale, ***ac naturale eſt oculis, lumen ſequi.***

Idem. eod. loco. Papiſtæ dicunt, commoda naturalia non ſolùm remanſiſſe in naturâ humanâ, ſed & in ipſo dæmone, ***quod eſt evidenter falſum.***

(*a*) pag 27. col. 6.

Digitized by Google

Calv. l. 1. *inſt. c.* 15. §. 1. Si probari poſſet, extitiſſe aliquem defectum in naturâ, *hic defectus caderet in ipſum Deum.*

Idem l. 2. *inſt. c.* 1. §. 6. *ſup. hac verba Apoſt. Epheſ.* 2. *verſ.* 3. *eramus naturâ filij iræ.* Faciliter comprehenditur, Apoſtolum hîc non loqui de naturâ, qualiter eam Deus creavit; ſed in quantum corrupta fuit in Adamo: *non enim convenit, Deum facere Auctorem mortis, cui homo fuiſſet ſubjectus in ſtatu naturæ puræ.*

Kemnit. exam. Conc. Trid. Seſſ. 17. *de pecc. orig.* Videntur Patres Concilij Trid. inclinare ad profanam opinionem ſcholaſticorum, qui credunt, naturam humanam in ſuâ integritate ita factam eſſe, ut compoſita fuerit ex diverſis partibus inter ſe contrarijs, in quibus extiterint quidam motus, quædam titillationes, quædam agitationes ex parte carnis, quæ caro concupiſcens res delectabiles pugnaverit adverſùs ſpiritum, ac contraria fuerit regulis rationis; *Verùm quòd Deus huic ſtatui purè naturali adjunxerit juſtitiam originalem*, tanquam donum ſupernaturale & gratuitum, per quod inordinatio, ac pruritus carnis reprimeretur.

Cham. t. 3. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Quis non concludat ex his verbis Bellarmini, Deum creâſſe hominem naturâ ſuâ infirmum, & languidum, eique dediſſe carnem, cum quâ novos identidem conflictus ſubiret. *Si iſthac opinio non veniat à Manichæis, unde provenire poterit?*

Idem. l. 10. *c.* 17. *n.* 3. Non habetur concupiſcentia ex creatione; *ſecùs Deus eſſet Auctor peccati.*

Bajus propoſ. 1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita *rectè vocantur gratia.*

Idem. propoſ. 21. Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ *debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.*

Idem. prop. 78. Immortalitas primi hominis *non erat gratiæ beneficium*, ſed naturalis conditio.

Idem prop. 55. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, *qualis nunc naſcitur.*

Janſen. tom. 2. *l.* 1. *c.* 4. Evidens eſt, naturam rationalem creari non potuiſſe *ſine dono gratiæ ſupernaturalis.*

Idem eod. loco. c. 50. Si Deus crearet *naturam puram*, omnia peccata à creaturâ commiſſa deberent attribui non creaturæ, ſed Deo tanquam Auctori hujus naturæ.

Idem tom. 2. *l.* 3. *c.* 25. De miſerijs naturæ puræ *poſſunt concludi plures impietates*, plures blaſphemiæ adversùs Deum, imò ipſemet Manicheiſmus.

Idem t. 3. *l.* 9. *c.* 10. Merita Angelorum erant merita liberi arbitrij, *merita humana*, & propria eorum merita .... merita hujus ſtatûs innocentiæ *non erant dona Dei ſpecialia*, prout ſunt in præſenti ſtatu, ſed vocanda ſunt merita *naturæ*, *liberi arbitrij*, *& merita humana*, ſicut èContra noſtra merita ſunt merita gratiæ.

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

COmmune Theologis axioma: *Deus poteſt facere, quidquid non implicat*, aut veram involvit contradictionem: Quæ verò eſt contradictio aut implicantia, ſi dicas, hominem fuiſſe creatum ſimul ſine gratiâ, & ſine peccato, ac ſubjectum ijſdem miſerijs, quibus affligimur? Certè hîc nulla reperitur contradictio ex parte Dei, cùm Deus non ſit Author peccati, ſuáſque gratias tribuat gratuitò, poſſitque eas non dare, ſi velit: nulla quóque contradictio apparet ex parte hominis, cùm homo poſſit ſimul & ſemel exiſtere & ſine gra-

tiâ & ſine peccato, expoſitus concupiſcentiæ motibus, ac ſubjectus vitæ miſerijs, & tamen non ceſſare eſſe verus homo: ergò nulla occurrit implicantia ex omni parte; ergò Deus potuit creare hominem in ſtatu naturæ puræ: ergò talis ſtatus non eſt chymericus, ut Novatores prætendunt.

Ex Scripturis.

Deuter. c. 8. *v.* 17. Ne diceres in corde tuo: *fortitudo mea & robur manûs meæ hæc mihi omnia præſtiterunt.*

Reſp. Si Adæ merita fuiſſent purè humana, Adam potuiſſet uti tali loquelâ licèt impiâ.

Pſalm. 32. *v.* 6. Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Reſp. Secundùm S. Auguſtinum in hunc pſalmum (*a*) Propheta loquitur de Angelis ſub nomine Cælorum, & dicit, juxta S. Doctorem, quòd *non pars, ſed omnis* virtus eorum veniat ex gratiâ Dei: ergò eorum virtus non eſt meritum naturale.

Rom. c. 11. *v.* 6. Si autem gratia jam non ex operibus, *alioquin gratia jam non eſt gratia.*

Reſp. Gratia Adami jam non eſſet gratia, ſi ejus merita forent purè humana.

1. *Corinth. c.* 1. *v.* 29. Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.... ut qui gloriatur, *in Domino glorietur.*

1. *Corinth. c.* 4. *v.* 17. Quid habes, *quod non accepiſti?* ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Reſp. S. Auguſtinus applicat hæc verba & Angelis & hominibus, volens, nullam creaturam poſſe gloriari coram Deo: Adam verò potuiſſet gloriari, ſi ejus merita non fuiſſent ſupernaturalia.

Ex Patribus.

Baſil. l. 1. *de Spir. ſanct. c.* 16. Neque enim Virtutes Cælorum *ſuaptè naturâ* ſancta ſunt.

[*a*] in pſalm. 32. conc. 2.

Digitized by Google

Cypr. de bon. patien. Adam contra cæleſte præceptum cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec *acceptam divinitùs gratiam* patientiâ cuſtode ſervavit.

Chryſos. hom. 19. ad pop. Antioch. Concupiſcentiæ radix habet à naturâ principium: concupiſcere enim naturale, malè verò concupiſcere jam eſt voluntatis. *Reſp.* Mala igitur concupiſcentia non eſt talis, id eſt, mala ex ſeipsâ.

Aug. l. 6. de gen. ad litt. c. 15. Poſſe non mori præſtabatur Adamo de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ. Erat ergò mortalis ex conditione corporis animalis, *ſed immortalis ex gratia Creatoris.*

Id. l. 4. cont. Jul. c. 16. Gratia quippè *magna* Dei erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat.

Id. cont. Maxim. l. 3. c. 15. Homo ad Dei ſimilitudinem factus; quia tamen non eſt unius ejuſdémque ſubſtantiæ, non eſt verus filius: *Et ideò fit gratiâ filius, quia non eſt naturâ.* *Reſp.* Igitur Adam non habuit ex natura gratiam originalem, quæ ipſum reddebat filium Dei.

Id. l. 12. de civit. Dei c. 9. Simul in eis (Angelis) & condens naturam & largiens gratiam. *Reſp.* Ergò gratia & natura non ſunt idem, cum hìc notentur diſtincta per particulam disjunctivam.

Id. l. 4. cont. Jul. c. ultim. Quid eſt guſtato cibo prohibito nuditas indicata? niſi peccato nudatum, *quod gratia contegebat* .... Qui ergò veſtitus gratiâ non habebat in ſuo corpore, quod puderet, ſpoliatus gratiâ ſenſit, quod operire deberet.

Id. l. 1. de lib. arbit. c. 20. Nam cùm ad ignorantiam difficultatémque pervenerit illa peccatrix, ideò pœna rectè dicitur, quia melior ante hanc pœnam fugit, non ſolùm ante peccatum, ſed ante omnem vitam ſuam, qualis illa poſt vitam culpabilem facta eſt; *non parùm bonum habet, unde Conditori ſuo gratias agat*; quia ipſe ortus ejus & inchoatio quovis corpore perfecto eſt melior .... Quod ſi ita eſt naſcentibus animis ignorantia & difficultas ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio & perfectionis exordium &c.

Id. l. 1. *Retrac. c.* 9. Quamvis ignorantia & difficultas etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, *nec ſic culpandus Deus*, *ſed laudandus eſſet.* Prout diximus libro tertio de libero arbitrio.

Ambr. l. de Parad. c. 14 Adam ubi es? non interrogatio eſt, ſed increpatio: de quibus bonis, de quâ beatitudine, *de quâ gratiâ*, in quam miſeriam recidiſti!

Cyril. Alex. l. 1. *in Joan. c.* 9. Adamus participatione luminis ſplendet *ſupra naturam ſuam* glorificantis Dei gratia, & varijs donorum ornamentis aſcendens.

Id. ibid. c. 13. Creatura, cùm ſerva ſit, nutu ſolùm & voluntate Patris *ad ſupernaturalia* vocatur.

Id. ibid. c. 15. Rationale igitur animal homo eſt, animâ & mortali hâc carne compoſitus eſt; quoniam *ſuâ naturâ* incorruptibilis eſſe non potuit, immortalitatis bonum & *ſupra naturam ſuam* conſecutus eſt.

Rupert. l. 2. *de Trin. c.* 3. Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ad imaginem videlicet, ut ſit rationalis: ad ſimilitudinem, ut rectus ſit ſectando juſtitiam Dei. Horum altero, ſcilicet rationalitate carere non poteſt: *Alterum*, *id eſt divinæ rectitudinis vel juſtitiæ ſimilitudinem*, niſi per *gratiam* aſſequi non poteſt.

D. Thom. q. 4. *de mal. a.* 1. *ad* 14. Carentia divinæ Viſionis dupliciter competit alicui: uno modo ſic, quòd non habeat in ſe, unde poſſit ad divinam viſionem pervenire: & ſic carentia divinæ Viſionis competeret ei, qui in ſolis naturalibus eſſet abſque peccato: ſic enim carentia divinæ Viſionis non eſſet pœna, *ſed defectus conſequens omnem naturam creatam.*

Id. l. 10. *con. gent. c.* 51. Sic natura humana fuit inſtituta in ſui primordio, quòd inferiores vires perfectæ rationi ſubijcerentur, ratio verò Deo, & animæ corpus: *Deo per gratiam ſupplente id, quod deerat per naturam.*

Id. l. 2. *ſent. d.* 30. *q.* 1. Facta deordinatione à fine per peccatum relictus eſt homo tantùm in illis bonis, quæ cum ex naturalibus

Digitized by Google

principijs conſequantur. Iſti defectus poſſunt dupliciter ad naturam humanam comparari: vel ad eam, ut in principijs ſuis naturalibus conſideratur, & ſic procul dubio non ſunt pœnæ, *ſed naturales defectus.*

Id. ibid. d. 31. *q.* 1. Unde factum eſt, ut primo homine peccante, natura humana, quæ in ipſo erat, ſibi relinqueretur, ut conſiſteret *ſecundùm conditionem ſuorum principiorum.*

Id. 1. 2. *q.* 87. *a.* 7. Principaliter pœna originalis eſt, quòd natura humana *ſibi relinquatur*, deſtituta auxilio originalis gratiæ.

Idem. 1. *par. q.* 76. *a.* 5. *ad* 1. Corpus hominis ante peccatum immortale fuit, *non per naturam*, ſed per gratiæ divinæ donum: alioquin immortalitas ejus per peccatum ſublata non eſſet, ſicut nec immortalitas dæmonis.

Idem. ibid. q. 95. *a.* 1. *c.* Manifeſtum eſt, quòd illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiornm virium ad rationem *non erat naturalis*; alioquin poſt peccatum manſiſſet; cùm etiam in dæmonibus data naturalia permanſerint.... Unde manifeſtum eſt, quòd illa prima ſubjectio, quâ ratio Deo ſubdebatur, *non erat ſecundùm naturam*, ſed ſecundùm *ſupernaturale* donum gratiæ.

Ibid. q. 97. *a.* 1. *c.* Homo in ſtatu innocentiæ *non naturâ ſed gratiâ* effectivè immortalis erat: quia illi vis *divinitùs* data erat, per quam poterat, non peccando ſcilicet, conſervare corpus *ſupra naturam* corporalis materiæ.

D. Bonav. l. 2. *d.* 19. *a.* 3. *q.* 1. *c.* Datum fuit illi animæ (Adami) *donum gratiæ*, per quam poſſet corpori præſidere, & illud regere, & elementa quaſi in quadam amicitia cuſtodire; & hoc, quamdiu vellet ſubjacere.

Ibid. d. 29. *a.* 2. *q.* 2. *c.* Homo in ſtatu innocentiæ creatus naturalibus bonis fuit præditus, *poſteriùs* verò gratuitis honeſtatus..... Propterea gratia non fuit à creatione indita, ſed naturæ *jam perfectæ & conſtitutæ fuit ſuperinfuſa.*

Digitized by Google

Scot. in 2. *d.* 28. *q. unic.* Potuit aliquis eſſe *in puris naturalibus* tam ſine gratia, quàm culpâ.

Ibid. d 29. *q.* 1 *ad.* 1. Neutrum iſtorum ex puris naturalibus poteſt haberi: Cùm probatur, quia oppoſitæ iſtorum ſunt pœnæ: Dico, quòd non; ſed *conditiones naturales*: Sicut non eſt pœna, mori, *ſed naturale.*

Idem de nat. & grat. l. 1. *c.* 11. Concupiſcentia carnis *naturalis nobis eſt*: utpote quæ, licèt nulla præceſſiſſet culpa vel gratia, *ex principijs naturæ* exiſteret in homine.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* DEus non potuit creare hominem cum peccato: concupiſcentia ſecundùm Auguſtinum eſt peccatum; ergò Deus non potuit creare hominem cum concupiſcentia.

Reſp. Janſeniani non ex S. Auguſtino, ſed ex Lutheranis & Calviniſtis didicerunt, concupiſcentiam eſſe peccatum. Non enim S. Auguſtinus concupiſcentiam vocat peccatum, *niſi quia trahere nititur ad peccatum*: Eſt ergò concupiſcentia peccatum *cauſaliter* non *formaliter*, ut loquuntur Scholaſtici Orthodoxi. Nónne de fide credenda eſt Veritas, nullum remanere peccatum in regeneratis per Lavacrum Baptiſmi? vel ut cum Apoſtolo loquar, *Nihil nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto JEſu:* nihilominùs concupiſcentia ſupereſt poſt Baptiſmum; ergò concupiſcentia non eſt peccatum.

2. *Object.* Abſurdum videtur dicere, Deum feciſſe hominem ſibiipſi contrarium: atqui fuiſſet homo ſibi contrarius, ſi ſimul & ſemel habuiſſet rationem, ad bonum honeſtum pertrahentem, & concupiſcentiam ſeu appetitum, ad bonum delectabile & ſenſibile invitantem.

Reſp. Homo in tali caſu non magis fuiſſet ſibi contrarius, ac cætera mixta, quæ componuntur ex pluribus elementis propter

Digitized by Google

qualitates diſſymbolas invicem contrariis. Imò affirmari poteſt, quòd ſit de naturâ hominis ex anima & corpore eſſentialiter compoſiti, ut habeat inclinationes differentes conformiter ad diverſas partes, quibus conſtituitur.

3. *Object.* Deus, qui ſecundùm Scripturas omnia propter ſemetipſum operatus eſt, non potuit facere Creaturam rationalem, niſi ut ab eâ cognoſcatur & diligatur: non potuit homo Deum cognóſcere ac diligere ſine gratia: ergò Deus eam creare non potuit ſine gratiâ.

Reſp. Homo per auxilia naturalia & ſuo ſtatui naturæ puræ proportionata potuiſſet cognoſcere & amare Deum cognitione & amore naturali tanquam Authorem naturæ: Qualem offendunt in hoc difficultatem Janſeniſtæ?

4. *Object.* S. Auguſtinus ex concupiſcentia concludit peccatum originale: igitur juxta ipſum concupiſcentia ſupponit peccatum: ergò Deus non poterat creare hominem innocentem cum concupiſcentiâ.

Reſp. S. Auguſtinus aptiſſimè ex concupiſcentiâ infert peccatum originale, nixus teſtimonio Scripturæ docentis, quòd Deus fecerit hominem rectum in juſtitia & æquitate perfecta, exemptum ab omnibus præſentis ſtatûs miſerijs: quæ commoda Deus homini conceſſit gratuitò, quæque amitti non poſſunt niſi per peccatum.

5. *Object.* Idem S. Doctor teſtatur, Philoſophos ex ſolo lumine intellectûs ratiocinatos eſſe à miſerijs, quibus ſubjacemus, ad peccatum quoddam originale: ergò dictat ratio, creaturam non poſſe eſſe miſerabilem, aut ad malum proclivem niſi ex culpa aut pœna peccati.

Reſp. Cognitio illa Philoſophorum de peccato originali ad ſummum potuit eſſe levis quædam ſuſpicio, conjectura valde ambigua, incapax formandi veram & ſolidam probabilitatem.

6. *Object.* S. Auguſtinus ulteriùs aſſerit, quòd Deus haud potuiſſet recuſare patrimonium regni Cœlorum innocentibus; ergò implicat hominem potuiſſe creari ſine ejus deſtinatione ad finem & gloriam ſupernaturalem atque æternam.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. S. Auguſtinus his & alijs ſimilibus textibus intendebat ſolummodò debellare errorem Pelagianorum, negantium originale peccatum, ac dicentium; parvulos tametſi originaliter juſtos & innocentes, ſi moriantur ante Baptiſmum, privari gloria cæleſti, ad quam omnes homines ordinati ſunt: ſuppoſitâ enim hâc deſtinatione omnium hominum ad æternam gloriam, verè repugnaret juſtitiæ divinæ, ſi innocentes eâ privarentur; tunc enim talis privatio eſſet vera punitio ac pæna peccati: Hoc totum non poteſt intelligi de ſtatu naturæ puræ, in quo ponitur contraria ſuppoſitio; ſupponitur enim hominem in tali conditione creatum non fuiſſe deſtinatum ſive ordinatum ad gloriam æternam.

7. *Object.* S. Auguſtinus clarè ſe exprimit dicens: Gratias Adamo fuiſſe naturales; cùm *in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle*: ergò merita ejus per hanc gratiam acquiſita erant humana & naturalia.

Reſp. S. Auguſtinus dicit, gratias Adæ fuiſſe naturales, non quòd ipſi verè fuerint debitæ ex conſecutione & dependentia creationis; ſed cùm homo fuerit deſtinatus & ordinatus ex miſeratione Dei ad finem ſupernaturalem, idcircò Deus hanc gratiam conceſſit ſimul cum ipſa natura; & per conſequens ad gratuitam hanc deſtinationem homo obtinuit jus quoddam ſeu ſpeciem juris naturalis. In hoc ſenſu S. Doctor quandóque dicit, merita Adæ eſſe merita naturalia & humana; in quantùm ſcilicet ea acquirebat per gratiam ſimul cum natura conceſſam, ac homini quaſi connaturalem.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

HÆ propoſitiones ſunt falſæ, malè ſonantes, erroneæ, & jam damnatæ.

1. Sunt *falſa*: eſt enim contrarium naturæ ſeu eſſentiæ ſupernaturalis gratiæ, ut producat merita humana & naturalia: eſt etiam & quidem magis contrarium naturæ hominis, ut exigat formam ſupernaturalem, qualis eſt gratia. Yy

2. Sunt *malè ſonantes*; nihil enim adeò abſurdum & offenſivum videtur, quàm defendere, gratiam creaturæ eſſe debitam, nec poſſe aliquid aliud producere, quàm quid humanum & naturale.

3. Sunt *erronea*: Videntur enim contrariæ Scripturis ſanctis, atteſtantibus, gratiam eſſe totaliter gratuitam, nemini debitam, nec poſſe hominem gloriari ante conſpectum Domini.

4. Sunt tandem *jam damnata* in propoſitionibus Michaëlis Baii à Pio V, Gregorio XIII. & Urbano VIII.

PROPOSITIO XXXVI.

DIfferentia eſſentialis inter gratiam Adami & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in Perſona JEſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

PROPOSITIO XXXVII.

GRatia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata. Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in JEſu Chriſto, eſt omnipotens & digna Filio Dei.

§. I.

Senſus Naturalis Popoſitionis.

DIfferentia eſſentialis inter gratiam Adami *Originalem* ſive inter gratiam ſtatûs innocentiæ, & gratiam *habitualem* Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur niſi in Perſona Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata, *illúmque relinquebat in libertate agendi vel non*

Digitized by Google

agendi: gratia Chriſtiana, nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, invincibilis, ac digna Filio Dei.

Si fides ſtet penes Authorem ſex Columnarum (*a*) difficulter planè deprehendes ſenſum vitioſum, quem Cenſores Romani intendunt damnare in his propoſitionibus; Veruntamen vel obiter ad rem attentus facillimè penetrat, Quenellum in ijs clarè tradere dogma digniſſimum cenſurarum: Non nego, aliquatenùs & primo intuitu laborioſum eſſe, mentem Quenelli attingere in ejus Propoſitione XXXVII. *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata &c.* jam enim videtur, eum loqui de gratiâ habituali, eò quòd agatur de gratiâ *ſanctificante:* jam verò videtur, eum loqui de gratiâ actuali, eò quòd dicat eſſe gratiam, quæ habet *activitatem* Omnipotentem *ad operandum bonum.* Si autem rem profundiùs inſpexeris, protinus fateberis, Quenellum loqui de hâc & illâ indifferenter, & quidem conformiter ſuo ſyſtemati, in quo cùm nullam agnoſcat gratiam initiantem, cùm velit primam gratiam *convertere* & *juſtificare* peccatores, hinc confundit manifeſtè gratiam actualem cum habituali; ſufficit itaque, quòd dicat in genere, nos non recipere gratiam in noſtrâ propriâ perſonâ, ſed in Perſona Chriſti, quod ſatis demonſtrat, Quenellum hìc ſuffragari ac ſubſcribere dogmati hæretico de juſtitiâ imputativâ, Anathemate proſcripto in Concilio Tridentino, Seſſ. 6, can. 11.

In quo conſiſtit hoc dogma? operæ pretium eſt, ut quæſitum iſtud enucleatiùs explicetur. Igitur dogma de juſtitiâ imputativâ præſumit, nos non juſtificari per gratiam realiter inhærentem & diffuſam per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris, vel quæ ſit perſonaliter annexa nobiſmetipſis; ſed nos juſtificari duntaxat per juſtitiam Chriſti moraliter nobis imputatam, non aliter ac ſi illam veraciter poſſideremus: dicit inſuper hoc dogma, quòd peccatum ſeu labes peccati ſemper in nobis remaneat, etiam poſt completiſſimam juſtificationem, non quidem quoad debitum pænæ jam remiſſæ ex meritis Chriſti; ſed quoad debitum culpæ, quod tametſi in nobis

(*a*) pag. 169. col. 5.

Digitized by Google

realiter permaneat; non tamen nobis imputetur, adeò quidem, ut ſimus juſti ſimul & peccatores: Peccatores quidem *realiter*, propter peccatum, quod realiter in nobis habitat, quódque nos reddit prorſus inhabiles ad omne meritum, ad omne bonum Deo acceptabile: Juſti autem *moraliter*, per juſtitiam Chriſti nobis imputatam, licèt non perſonaliter poſſeſſam, quæque noſtris actionibus pretium & meritum tribuit, quantum quantum habere poſſunt.

Tale eſt dogma Quenelli traditum in duabus propoſitionibus hîc agitatis, in quibus explicitè aſſerit, nos nullam recipere gratiam perſonaliter & in nobiſmetipſis, ſed in perſonâ Chriſti. Invanùm tergiverſatur Author Hexapl. (a) prætexens, his verbis Quenellum voluiſſe ſolummodò, quòd *recipiamus gratiam ex meritis Chriſti, qui eſt caput noſtrum, nóſque membra ejus*; Si enim hæc ſola ſit ejus cogitatio, eccur non eam exprimit terminis proprijs, ſed ambiguis, alienas & hæreticas ideas ſuadentibus? aliquid recipere in perſonâ alterius, num aliquando ſignificavit idem, quod recipere aliquid ex meritis & conſideratione alterius? nemo niſi ſenſu & guſtu communi privatus dixerit, hujuſmodi reflexionem ſe præſentare intellectui obviè & naturaliter: & hæc quidem Idea favorabilis eò minùs occurrit in propoſitione Quenelli, quòd opponat noſtrum, id eſt, præſentem modum recipiendi gratias, illi modo, quo Adam recipit ſuam gratiam, utpote à noſtrâ eſſentialiter differentem. Porrò ſuſcepit Adam ſuam gratiam in ſemetipſo & propriâ Perſonâ; ergò nos ſuſcipimus noſtram in Chriſto & Perſona Chriſti nobis extraneâ: nónne hæc ſole meridiano clariora ſunt? poteritne quiſpiam reſiſtere tantæ evidentiæ?

Alia ratio convincens, hunc eſſe genuinum ſenſum propoſitionis Quenellinæ, eſt, quòd nihil in eâ dicat difforme ſuis principijs: nónne enim Quenellus docet. 1. (b) *motus concupiſcentiæ & inclinationes naturales, imò ipſum amorem rationabilem eſſe vera peccata?* jam verò hœc omnia remanent in hominibus etiam perfectiſſimis, nimirùm motus concupiſcentiæ, inclinationes natura-

(a) pag. 269. col. 4.
(b) prop. 44. & 69.

Digitized by Google

les & amor rationabilis; ergò peccata remanent poſt ipſam juſtificationem: Nónne docet 2. *nos non cooperari gratijs*, Deum omnia in nobis operari, nos ipſos nihil facere, fidem, ejus uſum & augmentum, ac cætera ſimilia eſſe donum *puræ* liberalitatis Dei? quid ſibi vult ejuſmodi expreſſio & loquela? annon eſt manifeſta declaratio, nos non habere vera merita? nos non poſſidere niſi ad ſummum merita commodatò accepta, & conſequenter nos non habere in nobiſmetipſis ullam veram juſtitiam? nónne hæc ſunt principia, quibus maximè innituntur hæretici ad neganda merita, omnemque verè nobis inhærentem juſtitiam?

„ At, inquit ulteriùs Author Hexapl. (*a*) Quenellus formaliter „ explicitè ſtat pro meritis bonorum operum contra modernos hære- „ ticos; adverſâ fronte reſiſtit eorum erroribus circa non imputatio- „ nem peccatorum necdum deletorum." Reſpondetur ad hoc; Quenellus prodigo labore exſtruit unâ manu, quod alterâ deſtruit, ſtabiliendo principia, quibus Hæretici ſemper utebantur ex propoſito reijciendi merita verámque inhærentem juſtitiam, & ideò, cùm ejus doctrina in principijs concordet cum doctrina hæreticorum, meritò præſumendum eſt, eum non admittere merita aliter, quàm ipſi hæretici, nimirùm verbaliter & nomine tenùs, non autem reipsâ. Reſpondetur etiam, quòd illa oppoſitio frontis Quenellinæ contra dogma hæreticum circa non imputationem peccatorum videatur inſtar ſimulati & mentiti conflictùs, excæcandis ſpectantium oculis initi, & ut ludantur Cenſores Romani; vel potiùs eſt feſtiva contradictio non abſimilis illis contradictionibus, in quibus non infrequenter capiuntur hæretici.

Ne verò Lector arbitretur hæc gratis dici de contradictionibus hæreticorum, conſultum judico, earum nonnulla exempla recitare: Nemo utique dubitaverit, Franciſcum Gomar, Caput rigidorum Calviniſtarum in Hollandiâ, manutenuiſſe ſolemne illud dogma de juſtitiâ imputativâ, item, de non imputatione peccatorum ſemper perſeve-

(*a*) pag. 273. 279. col. 5.

ſantium in animâ cujuſcunque perfectiſſimi hominis: Si quis hæreat, an Gomar reverà pro tali dogmate ſteterit, informari poterit ex proprijs ejus ſententijs in ſequenti paragrapho citandis. His non obſtantibus ecce! quomodo loquatur hic hæreticus. (*a*)

„ Cæterùm Chriſtus à nobis *tollit* peccatum duobus modis, „ prout utrùmque extra nos ſuo ſacrificio meruit; primus modus „ fit per ſanctificationem, quâ peccatum originis ejúſque actiones „ vitioſæ *abolentur*; alter modus eſt, quo *abolet* in nobis vim mor„ tiferam peccati, per quod ſubijcimur iræ & maledicto Dei...„ poſthæc explicando illa verba S. Joannis Baptiſtæ: *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: ſic proſequitur: „ duo includuntur „ his verbis, ſcilicet *peccatum* & *ablatio* ejus. Per terminum *pec„ catum* excludit omnes creaturas irrationales, quæ nec potue„ runt, nec poſſunt peccare, cùm ſint legis incapaces: deinde ex„ cludit bonos Angelos, quia non peccavêre, nec deinceps pecca„ bunt. Per verbum *ablatio peccati* excludit mundum reproborum, „ ſint Angeli, ſint homines, qui ſæpiùs ſub nomine mundi ſigni„ ficantur; quandoquidem horum peccatum remaneat, nec unquam „ *tollatur*, eò quòd Chriſtus non ſit eorum Salvator: unde neceſſa„ riò ſequitur, S. Joannem Baptiſtam per vocabulum *Mundi* intel„ ligere hoc loco non omnes homines, ſed mundum electorum: „ His enim ſolis fidem donat & *auffert peccata.* Vocat enim & juſti„ ficat eos, quos elegit &c. „

Hîc habes ſine dubio textum tam clarum & deciſivum pro juſtificatione Franciſci Gomar de dogmate non imputationis peccatorum, ut Author Hexapl. nunquam clariorem, aut magis deciſivum produxerit in favorem ſui Clientis: plures poſſent afferri ex eodem Gomar, præſertim circa materiam de meritis ad hunc ſcopum; ſed placeat præſcripta brevitas, ut præſens opuſculum, quod jam contra propoſitum intumeſcit, manuale ſit & circumfertile: puto hoc exemplum ſufficere convincendis Catholicis, quod omnes

(*a*) Anal. in cap. 1. Joan. v. 29.

hæreticorum contradictiones non eos eximere valeant à cenſuris Eccleſiæ, quando ſemel, ut fecit Quenellus, ſibi præfixerunt principia Catholicis veritatibus contrariantia; tametſi deinde in alijs locis ſe clarè explicaverint circa quæſtiones controverſas.

Quamobrem videtur manifeſtè probatum, à Quenello hâc occaſione intimari, nos non recipere gratiam in perſonâ noſtrâ propriâ, ſed in Perſonâ Chriſti: & quorſum tendit hoc ejus propoſitum? percipe myſterium iniquitatis: non alio fine toties tamque ſolerter infricare ſtuduit dogma iſtud hæreticum, niſi ad inſinuandum aliud dogma pejus priore circa gratiam præſentis ſtatûs, *cui nunquam reſiſtitur: & quæ ſemper eſt efficax.* Reverà enim ſi ita ſit, ut vult Quenellus, nos recipere gratiam in Perſonâ Chriſti, neceſſariò ſequitur, eam ſemper eſſe efficacem, nam in Chriſto nullæ dantur niſi efficaces, nec dari potuerunt. Hæc eſt hæreſis de gratiâ ſemper efficaci, Quenello ſemper domeſtica, quam opportunè, importunè inculcat patientiâ infatigabili.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum Doctrinâ hæreticorum.

Luth. ſup. ep. ad Galat. c. 2. Sicut Sophiſtæ dicunt, quod charitas animet & informet fidem, ſic nos dicimus, Chriſtum animare, & informare fidem, vel Chriſtum eſſe ipſammet formam fidei: ergò Chriſtus, quem fide intuemur, & qui in nobis habitat, eſt juſtitia Chriſtiana, *cujus intuitu Deus nos reputat juſtos*, nobiſque dat vitam æternam.

Idem in aſſert. art. damn. à Leone X. Aliud eſt, omnia peccata eſſe remiſſa, aliud, eſſe ablata. Baptiſmus remittit omnia peccata; *ſed per Baptiſmum non totaliter omnia tolluntur.*

Calv.

Calv. antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. Peccatum verè in nobis permanet, nec ſtatim per Baptiſmum deſtruitur uno ſolo die: verùm quia debitum pœnæ deletum eſt, *ideò non eſt ampliùs per imputationem.*

Idem l. 3. inſt. c. 11. §. 3. Cùm igitur Dominus nos juſtificet per interceſſionem Chriſti, nos abſolvit, non approbando noſtram innocentiam, *ſed nobis imputando juſtitiam, quam non habemus*, adeò quidem, ut cùm non ſimus juſti in nobis ipſis, *juſti reputemur in Chriſto.*

Kemnit. exam. Conc. Trid. ſeſſ. 6. Papiſtæ ſumunt Verbum *juſtificare* ſecundùm phraſin latinam pro *juſtum facere* per habitum infuſum, & inhærentem, unde naſcantur actus juſtitiæ. Verùm Lutherani ſumunt verbum *juſtificare* ſecundùm phraſin Hæbraicam; idcircò dicunt, quòd juſtificatio ſit abſolutio, vel remiſſio peccatorum *per imputationem juſtitiæ Chriſti*, & per adoptionem ad vitam æternam, ſolùm propter Chriſtum, quem intuemur per fidem. Interim docent omnes unanimiter, quòd in juſtificatione detur renovatio, & initium vitæ, amor & bona opera. *Reſp.* Obſervet prudens Lector per tranſennam, hic eſſe contradictionem manifeſtam: quomodò enim hæc fieri poſſunt, ut habeamus novam vitam, ſi nihil nobis inſit, quod formaliter tribuat hanc vitam? adeò verum eſt, quod dixi, hæreticos ſibi frequenter contradicere.

Gomar Anal. ep. ad Rom. c. 4. Alter terminus, nimirum *juſtificare*, ſumitur ab omnibus orthodoxis ſecundùm naturam rei *pro imputare juſtitiam & reputare juſtum.* ècontra Papiſtæ, & præſertim Bellarminus, prætendunt, quòd hic terminus ſignificet facere hominem juſtum ex injuſto per immutationem unius qualitatis inhærentis injuſtitiæ in aliam qualitatem contrariam, videlicet juſtitiæ.

Idem explic. S. Luc. c. 1. v. 7. Apoſtolus oſtendit per hæc verba, quòd hic non tantùm loquatur de remiſſione, vel *non imputatione peccatorum* ratione pœnæ, ſed etiam *de imputatione juſtitiæ*, quæ ſunt duæ partes juſtificationis.

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

De fide eſt, omneſque hæretici in hoc conveniunt cum Catholicis, quòd gratia ſanctificans nos reddat objectum amoris & complacentiæ Dei: ſi verò nullam recipimus gratiam perſonaliter in nobismetipſis, ſed tantùm in perſonâ extraneâ, realiter à nobis ipſis diſtinctâ, tunc verè & propriè non ſumus objectum dilectionis & complacentiæ divinæ; quia non verè diligi poteſt homo, qui nihil in ſe habet dilectione dignum.

Deinde per juſtificationem homo vivificatur vitâ novâ, & realiſſimâ; quis verò percipiat nos vivificari per juſtificationem, & quidem vitâ reali, ſi nullum nobis inſit principium reale talis vitæ; hoc eſt, ſi nobis non inhæreat perſonaliter juſtitia realis permanens & immanens, *ut Filij Dei nominemur & ſimus.*

Ex Scripturâ.

Ezech. c. 36. v. 25. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.

Joan. c. 14. v. 23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & *manſionem apud eum faciemus.*

Rom. c. 5. v. 5. Charitas Dei *diffuſa eſt in cordibus noſtris* per Spiritum Sanctum, *qui datus eſt nobis.*

Rom. 8. v. 15. Accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba, (Pater.)

Ad Epheſ. 4. 7. Unicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.

Tit. c. 3. v. 5. Secundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti; *quem ef-*

Digitized by Google

fudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

Ex Patribus.

Conc. Trid Seſſ. 6. c. 7. Juſti nominamur & ſumus, *juſtitiam in nobis recipientes*, unusquiſque ſecundùm ſuam menſuram.

Ibid. can. 10. Si quis dixerit.... Nos per Chriſti juſtitiam *formaliter* juſtos eſſe, Anathema ſit.

Ibid. can. 11. Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ remiſſione peccatorum, excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum *diffundatur*, *atque illi inhæreat*; Anathema ſit.

Aug. tract. 26. *in Joan.* Juſtitia Dei dicitur, non quâ Deus juſtus eſt, ſed *quam dat homini*, ut juſtus ſit homo per Deum.

Id. ep. 105. *ad Sixt.* Aliter adjuvat Spiritus nondum inhabitans, aliter *inhabitans*: adjuvat enim, ut efficiamur fideles, cùm non inhabitat: cùm verò *inhabitat*, adjuvat jam fideles. Itaque purgat & juſtificat, ut purgatos & juſtificatos *inhabitet*.

Id de Spir. & Litt. c. 17. Ibi lex extrinſecùs poſita eſt, quia injuſti terrentur: hîc *intrinſecùs* data eſt, quia juſtificarentur.

Id ep 85. *ad Conſent.* Quid eſt aliud juſtitia, *cùm in nobis ſit*, vel quælibet virtus, quâ rectè ſapientérque vivitur, quàm interioris hominis pulchritudo?

Id. de gen. ad litt. l. 6. c. 24. *Recipimus* juſtitiam, ex quâ per peccatum lapſus eſt homo.

Ibid. c. 26. Renovamini autem *ſpiritu mentis veſtræ*, & induite novum hominem &c. Ecce, quod perdidit Adam per peccatum: in hoc ergò renovamur ſecundùm id, quod amiſit Adam; id eſt, *ſecundùm ſpiritum mentis noſtræ*.

Et c. 27. Hanc imaginem *in ſpiritu mentis impreſſam* perdidit Adam per peccatum, quam recipimus *per gratiam juſtitiæ*.

Id. de civit. Dei l. 19. *c.* 27. Hic itaque *in unoquoque* juſtitia eſt, *ut* obedienti Deus homini, animus copori; ratio autem vitijs etiam repugnantibus imperet.

Id. de pecc. mer. &c. c. 10. Legimus juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultam *communicationem & inſpirationem* gratiæ ſpiritualis.

Cyril. Alex. l. 6. de Trinit. Spiritus eſt, qui *ſimul ut charitatem in nobis diffuderit*, & igne mentes noſtras inflammaverit, jam ſumus juſtitiam *conſecuti.*

Proſp. adcap Gal. reſp. 6. Juſtificatus homo, id eſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito *accepit* donum, quo medio acquirat & meritum.

Greg. Mag. l. 18. *Mor. c.* 33. Omnes ſupernæ patriæ electi, ſancti quidem & juſti ſunt; ſed *participatione Sapientiæ*, non comparatione.

Bernard ſerm. 4. *de dedicat. Eccl.* Sancta eſt propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter Spiritum *inhabitantem.*

D. Thom. 1. 2. *q.* 110. *a.* 4. *c.* Neceſſarium eſt non potentiam ullam, *ſed eſſentiam ipſam animæ* ſubjectam eſſe gratiæ.

Ibid. q. 113 *a.* 7. *c.* Dicendum, quòd tota juſtificatio impij originaliter conſiſtit *in gratiæ infuſione*, per eam enim & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur.

D. Bonav. l. 3. *d.* 13. *dub.* 3. Quoniam ergò gratia Chriſti non fuit transfuſa in nos *per deciſionem partis à parte*; ſed efficaciam habuit, ut Deus nobis *conſimilem* gratiam daret merito gratiæ Chriſti: hinc eſt, quòd Magiſter (ſententiarum) dicit, *nos accepiſſe de Chriſti gratiâ ſimilitudinis convenientiam*; nolens per hoc excludere redundantiam & influentiam gratiæ Capitis; ſed volens auferre *diviſionem & transmutationem* gratiæ ab uno ſubjecto in aliud.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

NOn hìc intendimus referre, quidquid hæretici his noviſſimis mundi ſæculis compilârunt in ſubſidium falſi ſui dogmatis de juſtitia imputativa: ſatis & abundans erit, reſpondiſſe ad Scripturas & Patres, quibus gloriatur Author Hexapl. pro causâ Quenelli: præſertim, quòd hic Author ſelegerit, quidquid prioribus Sectarijs viſum eſt ſelectiſſimum contra dogma Catholicum, ex quo patet, eum non longè abeſſe ab eorum hæreticis opinionibus.

1. *Object.* Scriptura & Patres dicunt formaliter & explicitè, gratiam donatam eſſe in Chriſto, noſque ſanctificari per hanc gratiam, quam Deus miſit in ipſo, & per quem habemus partem ad cæleſtem hæreditatem.

Reſp. Omnes hæ expreſſiones Scripturarum & Patrum indicant, nos eſſe debitores Chriſto pro omnibus bonis ac donis, quibus gaudemus in ordine gratiæ; quia Deus Pater nos juſtificat; ac gratias ſuas elargitur intuitu Chriſti, qui nobis illas promeruit: Etiam dici poteſt, nos juſtificari per gratiam, quam Deus in Chriſto poſuit, quia gratia, quam recipimus, eſt quaſi rivulus ex fonte Chriſti; *Nam de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Item, quia hæc gratia data eſt, & quia Chriſtiani facti ſumus, prout jam diximus, ex eodem Spiritu, quo Chriſtus factus eſt Filius Dei.

2. *Object.* Scripturæ & Patres ulteriùs teſtantur, Chriſtum nobis datum eſſe à Deo, ut ſit Sapientia noſtra, & Juſtificatio & Redemptio: unde ſequitur, nos non habere aliam juſtitiam, aut aliam gratiam, quàm juſtitiam & gratiam Chriſti.

Reſp. Chriſtus dicitur noſtra juſtitia, non quòd ſimus formaliter juſti ex juſtitia, quæ in ipſo eſt; ſed quòd ipſe ſit cauſa efficiens & meritoria juſtitiæ noſtræ. Eodem ſenſu dicunt etiam ſcripturæ & Patres, Chriſtum eſſe noſtram fortitudinem, patientiam, pacem & ſalutem.

Digitized by Google

3. *Object.* Scripturæ & Patres non ſolùm aſſerunt, nos omnes facere unum corpus cum Chriſto Capite noſtro, ſed quòd ſimus JEſus Chriſtus ipſemet; ergò non habemus aliam gratiam quàm illam, quæ data eſt Chriſto: ergò non in noſtra, ſed in Chriſti perſona recipimus gratiam.

Reſp. Non ſumus membra Chriſti, nec Chriſtus eſt noſtrum Caput niſi in quodam ſenſu morali & myſtico, non phyſicè & realiter: unde evidenter ſequitur, nos fieri juſtos per gratiam realiter annexam noſtris perſonis, utpote realiter ſeparatis ac diſtinctis à Perſona Chriſti.

§ V.

Qualificatio Propoſitionum damnatarum.

HÆ propoſitiones ſunt falſæ, erroneæ, & ad minimum ſuſpectæ de hæreſi.

1. Sunt *falſæ:* abſit enim, differentiam inter gratiam Adami & gratiam Chriſtianam eſſe, quòd prima ſit recepta in ipſa perſonâ Adami; altera verò non recipiatur in propria noſtra perſona: abſit inquam; ex adverſo & multò magis dicendum eſt, eò ipſo has gratias eſſe ſimiles; quia nec una nec altera poteſt reddere hominem juſtum ac Deo gratum, ſi non recipiatur & immediatè ſit immanens in ipſa perſona.

2. Hæ propoſitiones ſunt *erroneæ*; cùm videantur cὸntraire Scripturis teſtantibus, non eſſe juſtos per gratiam, quam Deus infundit in cordibus noſtris: quis enim capit, talem gratiam infuſam eſſe cordibus noſtris, ſi ſit extra corda noſtra, ſi non recipiatur in noſtra ſed in Perſona extranea?

3. Hæ propoſitiones ſunt ad minimum *ſuſpectæ de Hæreſi*: talibus enim expreſſionibus uti familiare eſt hæreticis, ut inculcent dogma de juſtitia imputativa. Semper reiterant inſtar Quenelli, nos eſſe juſtos per juſtitiam Chriſti; & quòd gratia nobis donata ſit in Chriſto: in hoc præcipuè fundatur eorum hæreſis, his fulcris innititur; his principijs videtur eſſentialiter contineri.

§. VI.

Alij errores incluſi in propoſitione XXXVII.

ULtra declamatum dogma de juſtitia imputativa hæc propoſitio complectitur inſuper quinque alios notabiles errores.

1. Quenellus dicit, gratiam Adamo fuiſſe *proportionatam*; qui terminus *proportionatam* indicat ex mente Quenelli, gratiam Adami non fuiſſe elevatam ſupra exigentiam ejus naturæ, eámque fuiſſe Adamo connaturalem, ac conſecutionem neceſſariam ſuæ creationis; qui error mox refutatus eſt in duabus propoſitionibus præcedentibus.

2. Quenellus non ſolùm dicit, gratiam Adæ fuiſſe *proportionatam*; ſuperaddit, noſtram écontra gratiam, utpote eſſentialiter differentem ab illa, eſſe omnipotentem, id eſt; cùm hæc gratia noſtræ naturæ corruptæ ſit extranea & aliena, ideò non eſſe proportionatam libero noſtro arbitrio, quod ex natura ſua habet poteſtatem ſe determinandi ad hoc & illud, vel ad ejus contrarium; ſed quòd hæc gratia conſenſum voluntatis rapiat modo invincibili & omnipotente: quæ eſt hæreſis de gratia inimpedibili, & quam Quenellus perquàm ſollicitus eſt inſinuare ad omnem occaſionem ſive oportunam ſive importunam.

3. Quenellus hâc propoſitione docet ulteriùs, prout jam alibi notavimus, nos fieri juſtos per quandam gratiàm actualem non habitualem. Dicit etenim, nos juſtificari per gratiam omnipotentem: atqui communiter per gratiam omnipotentem intelligitur gratia efficax actualis, quæ facit, ut exerceamus bonum: ergò prætendit nos fieri juſtos per gratiam actualem & tranſeuntem; non autem per habitualem, ſeu qualitatem immanentem & *inhærentem*, quæ nos reddat formaliter juſtos & Deo gratos.

4. Quenellus etiam videtur affirmare, quòd gratia Adamum juſtificans fuerit gratia inefficax & impotens. Quare hoc? quia gratia Adamum ſanctificans ſecundùm Quenellum erat eſſentialiter diverſa à noſtra gratia, & quidem præcipuè in hoc, quòd noſtra gratia ſit

omnipotens & efficax ; ergò juxta ipſum gratia Adamum ſanctificans non erat gratia omnipotens & efficax, ſed impotens & inefficax. Quæ eſt autem gratia impotens & inefficax? eſt illa, quæ non habet vim & vigorem ex ſeipſa producendi ſuos effectus, vel ſaltem, quæ non ſemper producit effectum in ejus impertitione propoſitum. Quis verò attentaverit affirmare, gratiam originalem non ſemper produxiſſe effectus ſuos à Deo in ejus elargitione propoſitos? effectus, inquam, qui in hoc conſiſtebant, ut fugaretur peccatum, & homo vel Angelus redderetur juſtus ac Deo acceptus? hæc eſt hæreſis primæ claſſis.

5. Quenellus, dicendo noſtram gratiam eſſe dignam Filio Dei, eò quòd ſit omnipotens, videtur aſſerere, gratiam Adami non fuiſſe dignam, nec omnipotentem. Jam ſi gratia Adami erat indigna Filio Dei, ergò manifeſtè conſequitur, eam quóque fuiſſe indignam Deo Patri; cùm Pater & Filius ſint unum & idem in eſſentia; Nam *ego, & Pater unum ſumus*: adeò ut quod indignum eſt uni, neceſſariò ſit etiam indignum alteri.

Hoc poſito, nónne blaſphemum eſt, dicere, Deum Patrem donâſſe Adamo gratiam ſe indignam? id eſt, indignam ſuæ Sapientiæ, ſuæ Bonitati? miſerandam aberrationem hominis, dati in ſenſum reprobum & ideas ſuas fanaticas!

PROPOSITIO XXXVIII.

PEccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

PROPOSITIO XXXIX.

VOluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

PROPOSITIO XL.

SIne gratiâ nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

PROPOSITIO XLI.

OMnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo, & ſine gratiâ non producit, niſi præſumptionem, vanitatem & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.

PROPOSITIO XLII.

SOla gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei, ſine hâc nihil niſi impuritas, niſi indignitas.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

PEccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratiâ actuali Liberatoris, *quæ ipſum trahit ad Deum ſupernaturaliter.*

Voluntas, quam gratia *ordinis ſuperaturalis* non prævenit, nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

Sine gratiâ, quæ nos fert *ad Deum ſupernaturaliter*, nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem.

Omnis Cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis non poteſt venire niſi à Deo: & ſine gratiâ *actuali, per quam* cognoſcimus *Deum ſupernaturaliter*, non producit niſi præſumptionem, vanitatem & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum

ado-

adorationis, gratitudinis, & amoris. Sola gratia Chriſti, *gratia ordinis ſupernaturalis*, reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei: ſine hâc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.

Jam ſuprà notatum eſt, plures poſſe moveri quæſtiones circa impotentiam faciendi bonum ſine auxilio gratiæ: vel enim loquimur de gratia habituali vel actuali; vel agitur de bono morali vel naturali; vel de bono ſupernaturali ad ſalutem proficuo, vel de bono ſupernaturali gloriæ æternæ meritorio: Nemo ignorat, eſſe de fide, nihil fieri poſſe, quod ſit meritorium gloriæ ſempiternæ, ſine gratia habituali ſeu ſanctificante, imò ne quidem ſine adjutorio gratiæ actualis: prætereà ſcitur, ut jam demonſtratum eſt, non omnes actiones infidelium& peccatorum eſſe peccaminoſas; item, poſſe ſine gratia & charitate habituali exerceri quaſdam actiones non tantùm moraliter ſed ſupernaturaliter bonas; prout fit, cùm ſe quis ex adjutorio gratiæ actualis diſponit ad fidem, ad converſionem, ad juſtificationem.

Verùm ſciendum eſt modò, utrum homo poſſit operari aliquod opus bonum morale vel ſupernaturale abſque auxilio gratiæ, cujuſcúnque naturæ ſit, etiam ſine ſuccurſu gratiæ actualis? pro ſolidiore præſentis quæſtionis ponderatione advertendum eſt; duas dari ſpecies gratiarum actualium: dantur enim gratiæ, quæ Theologis ſunt gratiæ ordinis ſupernaturalis ſecundùm naturam & ſubſtantiam; & aliæ ècontra, quæ ſunt purè ordinis naturalis: gratiæ ordinis ſupernaturalis ſunt illæ, quæ nos ad Deum reportant ſupernaturaliter cognitum, tanquam ad Authorem gratiæ & gloriæ: tales ſunt, quæ nos manuducunt ad fidem in Deum, ad ſpem in ipſum, ad amorem Dei ſuper omnia ex motivo & motu veræ & propriè dictæ charitatis: gratiæ ordinis naturalis ſunt, quæ nos manuducunt per cauſas naturales ad praxes conformes naturæ rationali; vel quæ praxes non ſunt ſupra exigentiam noſtræ naturæ, veluti honorare parentes ex motivo gratitudinis, vel ſolari miſeros ex motivo compaſſionis. His ſuppoſitis, audi Theologorum Catholicorum documenta.

Major pars Theologorum docet in ſtatu naturæ lapſæ noſtram

voluntatem non eſſe tantoperè deordinatam & corruptam, ut abſque auxilio gratiæ, cujuſcúnque naturæ ſit, non poſſimus exercere actiones quaſdam moraliter bonas minùs difficiles: econtra alij, tametſi numero inferiores tenent, noſtram voluntatem eſſe taliter infirmatam per peccatum, ut non poſſimus facere ullam actionem aliquali charactere bonitatis aut honeſtatis moralis veſtitam, ſine ſpeciali adjutorio Dei, non quidem ſine adjutorio ſupernaturali. ſed ſaltem non ſine auxilio naturali & proportionato noſtræ naturæ. Hinc repugnat æquitati ſimul, & publicæ notorietati, quòd Janſenizantes nobis opponant ſic dictam catervam Theologorum Catholicorum, docentium, ſine gratiâ nullum poſſe fieri bonum nequidem morale: ſi enim hi Theologi intellexiſſent, ſine verâ gratiâ ſupernaturali non poſſe fieri ullum bonum, manifeſtè ſibi contradixiſſent: quandoquidem nemo ignoret, actionem, ex ſuccurſu gratiæ ſupernaturalis factam, eſſe reipsà ordinis ſupernaturalis, non purè naturalis & moralis. Quamobrem dicti Theologi loquuntur duntaxat de bono aliquo purè morali & naturali; unde evidenter patet, quòd, dum volunt gratiam eſſe neceſſariam ad faciendum hujuſmodi bonum, non aliam quoque requirant gratiam, quàm purè naturalem, naturæque proportionalem: In quo (*a*) hi Theologi eſſentialiter differunt à Sectarijs, Calviniſtis, Baianiſtis & Janſeniſtis volentibus, ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis nos inhabiles eſſe ad omne opus bonum, cujuſcúnque naturæ ſit, conſequenter omnes actiones infidelium & peccatorum, imò etiam omnes operationes juſtorum, quæ non ſint ſupernaturales & divinæ, id eſt, non ad Deum ſupernaturaliter cognitum relatæ, eſſe vera peccata: Error utique primæ molis.

In hoc conſiſtit ſyſtema Quenelli, erectum in præſentibus quinque propoſitionibus. Certum eſt enim, Quenellum hìc loqui de gratiâ actuali: Nam 1. loquitur de gratiâ *voluntatem præveniente*, quod non niſi gratiæ actuali convenit, non autem habituali, utpote quæ primùm infunditur animæ poſt conſenſum plenum gratiæ præ-

(*a*) Vaſq 1. 2. q. 109. art. 2. diſp. 189. c. 4. 16. & diſp. 190. c. 12.

venienti conceſſum. 2. Loquitur de gratiâ, quâ peccator *agit*, & quâ *Philoſophi Ethnici cognoſcebant Deum*; ergò verſatur circa gratiam actualem; Philoſophi enim Ethnici non erant induti gratiâ habituali, peccatores verò penitùs carent hâc gratiâ. 3. Loquitur de gratiâ hominem *diſponente ad ſacrificium fidei*; gratia habitualis non ſic diſponit, cùm homo tali gratiâ juſtificatus jam habeat ſacrificium fidei completum: Ergò Quenellus loquitur hîc de gratiâ actuali, non habituali.

Æquè certum eſt, Quenellum hîc loqui de gratiâ ordinis ſupernaturalis, quæ nos ducit viâ ſupernaturali ad Deum. Quomodò iſtud? quia loquitur, ut mox dictum, de gratiâ ad fidem diſponente; ſola autem gratia ſupernaturalis poteſt hominem ad fidem diſponere. Deinde Quenellus loquitur de gratiâ Liberatoris & Salvatoris: *Sine gratiâ Liberatoris*, inquit, *peccator non eſt liber niſi ad malum*; *ſine gratiâ Chriſti nihil niſi impuritas*, *nihil niſi indignitas*: atqui gratia Liberatoris & Salvatoris eſt gratia ſupernaturalis, non naturalis; non enim liberari poſſumus à damnatione æterna, neque ſalutem æternam acquirere, niſi per gratiam nos elevantem ad Deum ſupernaturaliter cognitum; ergò manifeſtum eſt, Quenellum quoque reflectere animum ad gratiam ſupernaturalem.

Ut completè hac de re convincamur, oportet examinare ejus principia, quæ alibi tenet. *Non ſunt niſi duo amores*, inquit (*a*) *unde volitiones & actiones noſtræ omnes naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quémque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui eſt malus & vitioſus.* Secundùm ipſum, (*b*) *quando Dei amor non eſt actionis noſtræ principium, & Dei gloria ejus finis,*

(*a*) Propoſ. 44.
(*b*) Propoſ. 47.

tunc non eſt niſi hypocriſis & falſa juſtitia. Sine fidei lumine, (a) ſine Chriſto, ſine charitate quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum? jam verò quis dubitet, Quenellum in his & alijs hujusmodi propoſitionibus loqui de gratia ſupernaturali, de quadam motione, nos ſupernaturaliter ad Deum reportante; ergò manet indubitatum, quòd Quenellus intelligat gratiam ſupernaturalem, non purè naturalem, quando pronuntiat: *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris &c.*

Hic eſt igitur principalis error, quem Eccleſia damnavit in his quinque propoſitionibus, quémque jam dudum damnavit contra Sectarios ultimi & penultimi ſæculi.

§. II.

Conformitas propoſitionum damnatarum cum doctrinâ hæreticorum.

Calv. l. 3. inſt. c. 14. Quando homines conſiderantur *quoad eorum vires naturales, non reperitur in ipſis minima ſcintilla boni à capite uſque ad calcem.*

Idem eod. loco. Secundùm quod facti ſumus, *potiùs quis oleum de petra eliceret, quàm unicam bonam actionem ex nobis ſine gratia.*

Bajus prop. 27. Liberum arbitrium, ſine gratiæ Dei adjutorio, *non niſi ad peccandum valet.*

Idem prop. 29. Non ſoli fures iĵ ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicunque aliunde quàm per ipſum in viam juſtitiæ (*hoc eſt ad aliquam juſtitiam*) conſcendi poſſe docent, vel quòd homo *ſine gratia adjutorio* poſſit reſiſtere ulli tentationi, ita ut in illam non inducatur, vel ab illâ non vincatur.

Idem prop. 22. Cùm Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli

(a) Prop. 48.

ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

Janſen. tom. 1. *l.* 4. *c.* 8. Pelagiani dicentes, *poſſe fieri opera naturalia moraliter bona*, fundabant ſuam doctrinam ſuper hunc textum S. Pauli: gentes, quæ legem &c. quod prorſus contrarium eſt doctrinæ Eccleſiæ.

Idem t. 2. *l.* 3. *c.* 20. Per vires naturæ & ſine gratiâ *nemo evitat peccatum*, aut obſervat ullam legem.

Idem tom. 2. *l.* 4. *c.* 12. Libertas ad operandum bonum taliter fuit deſtructa per peccatum, ut *ante gratiam* non ſolùm non poſſimus obſervare totam legem honeſtatis moralis, *ſed ne quidem minimam partem ſine lapſu in peccatum alterius ſpeciei.*

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

PRincipalis ratio, quæ afferri ſolet (*a*) ad probandum, quòd homo poſſit agere aliquod bonum morale ex facillimis, non tantùm ſine gratiâ ſupernaturali, ſed & abſque ullâ aliâ gratiâ, cujuſcúnque naturæ ſit, ratio, inquam, eſt, quòd homo ſine gratiâ ex ſeipſo ſit proviſus omni eo, quod ſufficiens & neceſſarium eſt ad moraliter benè operandum, videlicet cognitione & voluntate: cognoſcimus bonum morale ex lumine rationis; & quando tale bonum non eſt adeò difficile in praxi, néque occurrit notabilis tentatio ſuperanda, poſſumus illud bonum amplecti ex proprijs viribus liberi arbitrij, quod licèt debilitatum, non tamen penitùs deſtructum eſt per peccatum: in hoc concordant ferè omnes Theologi, non poſſe defendi iſtam opinionem, *quòd ſine gratiâ homo nihil poſſit niſi peccare.* Sine læſione authoritatis Concilij Tridentini definientis, liberum hominis arbitrium non eſſe

(*a*) Vide S. Bonav. l. 2. D. 28. q. 2. & 3.

totaliter deſtructum per peccatum: quis enim verò capiat, quis ſapiat, qua ratione potentia liberi arbitrij manſerit in homine reo, ſi ſupponitur talem hominem, nihil habere ex ſe ipſo, nullas vires quantumvis exiles, ut feratur ex proprio placito ad bonum vel ad malum?

Ex Scripturâ.

Rom. 2 14. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt,* ejusmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex.

Rom. c. 4. *verſ.* 1. Quid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem? ſi enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, *habet gloriam*; ſed non apud Deum.

Reſ. Apoſtolus hîc opponit opera naturæ operibus gratiæ; jam ſi Abraham habuit gloriam ex operibus ſuis naturalibus apud homines, certè ejus opera non erant peccata: nemo enim juſtè & rationabiliter gloriatur de peccatis.

Ex Patribus.

Clem. Rom. l. 7. *conſtitut. cap.* 34. Abraham primogenitorem noſtrum viam virtutis, *ex ipſa natura facultatem capeſſentem*, deduxiſti.

Baſil. hom. 9. *in Hexam.* Sunt apud nos ipſæ virtutes *ſecundùm naturam*, ad quas habendas affinitas animæ non ex humana doctrina, ſed *ex ipſa natura* nobis ineſſe videtur.

Greg. Niſſ. orat. de dormient. Cunctis hominibus *naturalis quidam* ad id, quod bonum & honeſtum eſt, ineſt habitus & affectus.

Chryſoſt. in ep. ad Rom. cap. 2. *hom.* 5. Gentes, quæ legem non habent, *naturâ*, quæ legis ſunt, faciunt. Per naturæ autem verbum naturales intelligit cogitationes ac ratiocinationes, oſtenditque, alios alijs eſſe *probiores*: & quod majus eſt, hoc ipſo *probiores*, quòd legem minimè acceperint; neque id habeant, per quod videntur Judæi ipſos præſtare: Propterea, inquit, (Apoſtolus) *admiratione digni ſunt*,

quòd nec lege illis opus fuit, *& omnia, quæ legis erant, præſtiterunt.*

Idem in c. 7. Math. hom. 24. Manifeſtum eſt, *ſecundùm naturam* nobis eſſe *virtutem*: ſiquidem domeſtico magiſterio omnes, quæ facere debeamus, agnoſcimus: & impoſſibile omnino nobis eſt, ad ignorantiæ præſidium aliquando confugere.

Idem hom. 5. in ep. ad Rom. Per hæc rurſus oſtendit, Deum ſic hominem finxiſſe, ut poſſit *per ſe* virtutem eligere, ac vitium declinare.

Hier. in Ezech. 29. 18. Perſpicuum eſt condemnari nos comparatione gentilium; ſi illi *lege faciant naturali*, quæ nos etiam ſcripta negligimus.

Aug. l. 4. cont. Jul. c. 12. Quiſpiam, niſi quod natus eſt, eſſe poteſt: (dicebat Julianus) Nec ab eo juſtum eſt flagitare amplius, quàm poteſt... *Reſp. Auguſtinus*: Solemus & nos adversùs Manichæos ita dicere, qui *naturam eſſe malam* dicunt ſecundùm fabulas ſuas.

Idem de gen. ad litt. l. 8. c. 14. Adhuc enim (in nobis) *eſt bonum*, quod dolet amiſſum bonum: nam niſi aliquod bonum remanſiſſet *in natura*, nullus boni amiſſi dolor eſſet in pœna.

Idem de perſ. Juſtit. c. 2. Reſpondetur, naturale non eſſe peccatum, ſed naturæ præſertim vitiatæ; unde facti ſumus naturâ filij iræ: *parúmque* eſſe ad non peccandum voluntatis *arbitrium*, niſi adjuta ſanetur gratiâ Dei. *Reſp.* Quòd ſi liberum arbitrium habeat parum aliquid ad non peccandum, ergò manifeſtum eſt exinde, quòd ſaltem habeat *aliquantulum*.

Proſp. cont. coll. c. 22. Si autem de illis dicuntur, qui alieni à gratia Chriſtiana quædam ad ſimilitudinem legalium mandatorum proprio judicio ſanciebant, intelligentes mores civitatum, concordiámque populorum non poſſe aliter contineri, niſi ut rectè factis prœmia, & peccatis pœnæ decernerentur: quis ambigat, hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem *ex natura à Deo condita* ſupereſſe reliquijs? ſi enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium; non vitiata eſſet, *ſed extincta* natura.

Ibid. c. 26. Vita, ſenſus & ratio, cæteráque corporis atque animæ bona etiam malis vitioſiſque non deſunt: ſed non in illis viri boni perceptio eſt, *quæ mortalem vitam honeſtare poſſunt*, æternam autem conferre non poſſunt.

Joan. Damaſ. l. 3. *de fide. c.* 14. *Naturales virtutes ſunt*, ac naturaliter & *æquè omnibus* inſunt: Etſi non omnes æquè ea, quæ naturæ conſentanea ſunt, operentur.

Laur. Juſtin. de lign. vitæ. l. de char. c. 5. Charitas eſt ſpecialis virtus piorum atque Sanctorum: cùm cæteræ virtutes *bonis & malis* poſſint eſſe communes.

D. Thom. q. 24. *de Ver. a.* 14. Ad hoc ergò bonum, quod eſt ſupra naturam humanam, liberum arbitrium non poſſe ſine gratiâ.... *Illud autem bonum, quod eſt naturæ humanæ proportionatum, poteſt homo per liberum arbitrium explere.*

Id. 1. 2. *q.* 109. *a.* 5 *c.* 6. Sine gratiâ homo non poteſt mereri vitam æternam: poteſt tamen facere opera *perducentia ad bonum aliquod homini connaturale.*

D. Bonav. l. 2. *d.* 28. *a.* 3. *q.* 3. *c.* Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus conſtitutum cum generali Dei influxu (tametſi difficulter) *poteſt tamen facere opus bonum morale*, quod non diſponit ad gratiam nec gloriam.

Scot. in 3 *d.* 37. *q.* 1. Ex *puris naturalibus* poteſt quæcúnque volontas, ſaltem in ſtatu naturæ integræ, diligere Deum ſuper omnia.

De imit. Chr. l. 3. *c.* 55. Nam *modica vis*, quæ remanſit (in naturâ) eſt tanquam ſcintilla quædam latens in cinere. *Reſt.* Ergò remanſit aliqua vis & fortitudo in natura, ſi remanſit modica.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* DEbemus implorare auxilium de Cælo in omnibus noſtris actionibus: inutilis foret hæc imploratio: ſi quid poſſemus abſque gratiâ.

Reſp. Oportet petere auxilium, non quaſi impotentes ſimus ad quaſque facillimas actiones moraliter bonas ſine gratia ſupernaturali, ſed ut eas actiones exerceamus cum pietate veraciter Chriſtiana, modo utili ad ſalutem & meritorio gloriæ æternæ.

2. *Object.* Apoſtolus nos inſtruit, hominem nihil habere, quod non à Deo receperit, & de quo non ſit tanquam *de gratiâ* obſtrictus Deo.

Reſp. Nihil habet homo, quod non receperit à Deo vel tanquam Authore gratiæ vel naturæ. Poteſt quoque reſponderi; nos nihil habere niſi vel receptum ex gratia naturali, vel ſupernaturali.

3. *Object.* Concilia & Patres docent, hominem ex ſe non habere niſi mendacium & peccatum, & quòd liberum arbitrium non habeat vires niſi ad peccandum, ergò nihil boni ſine gratia operari valemus.

Reſp. Patres & Concilia non ſibi contradicunt, quando docent, hominem non habere de ſe niſi mendacium & peccatum; ſolummodò volunt inſinuare, malitiam hominis non ex Deo provenire, ſed ex ipſo homine; item, quòd omne bonum, exiſtens in homine, ſit à Deo vel tanquam Creatore, vel tanquam Sanctificatore. Pariter, cùm dicunt, liberum arbitrium nullas habere vires & virtutes niſi ad peccandum, intendunt per hoc, quòd ſine gratia liberum arbitrium ſit valde infirmum, ad pauciſſima ſufficiens, imò ad nihil ex ſe ipſo, quod ſaluti proficiat, aut mereatur æternam gloriam; propemodum ut ſolemus de ægroto dicere, quòd perdiderit omnes ſuas vires, quia non niſi ad languidas ac debiles quaſdam motiones ſupereſt.

§ V.

Qualificatio Propoſitionum damnatarum.

HÆ propoſitiones in ſeipſis & in quantum áforis enuntiantur, ſunt falſæ, erroneæ, hæreſi proximæ, jam ſæpius damnatæ.

1. Sunt *falſæ* ex omnibus rationibus & Authoritatibus hucuſque allatis.

2. Sunt *erronea*, cùm videantur impugnare veritatem explicitè revelatam, qualis eſt, quòd liberum noſtrum arbitrium non amiſerit omnes vires per peccatum: ſunt etiam erroneæ, quia videntur Scripturis contrariæ; Scripturæ enim non ſemel loquuntur de actionibus bonis infidelium & peccatorum, quæ tamen non erant effectus alicujus gratiæ ſupernaturalis, ad Deum, ſupernaturaliter cognitum, rapientis.

3. Hæ propoſitiones ſunt *hæreſi proxima*: videntur enim affines & amicò vinculo colligatæ cum hâc propoſitione damnatâ, *ut hæretica*: Omnes actiones peccatorum & infidelium *ſunt peccata*.

4. Sunt tandem *jam damnata*, nimirum in Michaële Bajo, ut ſuprà monſtratum eſt.

§. VI.

Alij errores incluſi in propoſitionibus damnatis.

SI quis attentiùs ponderaverit ventilatas propoſitiones, deprehendet præter jam memoratos errores adhuc alios plures, ob quos merentur variè qualificari.

1. Hæ propoſitiones videntur favere & ſuffragari præcipuo dogmati Janſeniſtarum, quòd, quemadmodum homo ſit neceſſitatus ad operandum bonum ſub motione gratiæ, ita quoque ſit neceſſitatùs ad faciendum malum ſub motu concupiſcentiæ: ſi enim homo ſine gratia, ut vult Quenellus, non ſit liber niſi ad malum, ſi ſine gratia nihil habeat luminis niſi ad aberrandum, ſi ſine gratia nihil poſſit amare niſi ad ſuam condemnationem, nónne manifeſta ſequela eſt, nullam tali homini ſupereſſe liberam electionem boni, eùmque neceſſitari ad praxes malitiæ?

2. Vel mediocriter inſtructi circa dogmata Janſeniſmi haud dubitare poterunt, quid ſibi velit Quenellus, dum dicit: *peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris*: ſine difficultate divinabunt, quid intelligat per terminum *liber*; ſcilicet; quòd, licèt

talis peccator non habeat liberam electionem boni, non tamen ceſſet ſemper ſervare ſuam libertatem; cùm verò adjungit propoſitione XL, *Sine gratia nos nihil poſſe amare niſi ad noſtram condemnationem*, quilibet advertit, eum per hoc intimare, talem libertatem, liberâ electione carentem, à coactione non à neceſſitate exemptam ſufficere ad merendum vel demerendum, ad damnationem vel remunerationem: quæ doctrina eſt damnata in propoſitione tertiâ Janſenij, cùm docet: *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

3. Nónne blaſphemiam ſapit, dicere, quòd omnis cognitio Dei, (quæ eſt donum deſuper à Patre luminum, & quæ, teſte Quenello, nequit venire niſi à Deò,) ſine gratia, id eſt, ex ſeipſa non producat niſi *præſumptionem. vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum?* ſi hæc in rigore non ſit propoſitio blaſphema, ſaltem eſt *malè ſonans, ac piarum aurium offenſiva.* Vide Analyſin propoſitionis V.

PROPOSITIO XLIII.

PRimus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.

Senſus Naturalis Propoſitionis.

PLenis radijs hic eluceſcit Veritas illa ſolemnis, cui cuncta retrò ſæcula funeſtis ſuffragantur experientijs, luculenta præbent teſtimonia; quæ veritas? nullas hæreſes, nullas illuſiones quantumvis craſſas & palpabiles ab illo reſpui, qui excuſſo jugo fidei ſequitur ignes fatuos & lumina errantia proprii intellectûs tanquam regulam infallibilem credendorum. Quenellus ad hoc apprimè attentus, ut exaggera-

Digitized by Google

ret ingentes vires gratiæ ex Chriſto, parùm ſe dixiſſe arbitratur dicendo: gratiam Chriſti eſſe gratiam fortem, divinam, omnipotentem, invincibilem, cui nemo reſiſtit, nec poteſt unquam reſiſtere: altiùs intonat; inſtar fanatici ſequitur ſubitarios impetus vacillantis cerebri: rectà prorumpit: *primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ùt moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

Tametſi hactenus Quenellum quaquaversùm errantem per avia & devia è veſtigio fuerimus inſequuti, hîc tamen ingenuè fatendum eſt, quòd paulatim incipiat evaneſcere ex oculis noſtris: non eum aſſequimur, ſed neque ipſe ſeipſum capit in hâc ſuâ peregrinâ & inauditâ propoſitione? quid enimverò? vultne per hoc, gratiam baptiſmalem â nobis tollere concupiſcentiam, ita quidem, ut eâ ſemel receptâ & deinceps anxiè cuſtoditâ homo non plus habeat vitæ ſive vitalis ſtimuli pro peccato ſecundùm inferiorem & ſenſitivam partem animæ, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi? manifeſtum eſt, hunc ſenſum propoſitionis, in ſeipsâ conſideratæ, eſſe intellectui proximè obvium, & ex hâc ſolâ parte ſtrictiſſimis cenſuris exagitandum: verumtamen perpendendo, quòd hæc propoſitio ipſis Janſenianis bellum moveat, mirè exaggerantibus infinitam propè molem humanæ concupiſcentiæ etiam poſt receptionem Baptiſmi, vix cenſetur, Quenellum intùs velle, quod foris dixit. Ergò libenter creditur, eum plus dixiſſe, & minùs intendiſſe: alioſum raptus eſt: ſed quorſum? quid molitur? quid cogitat?

Ut capias hunc raptum extaticum, advertendum eſt, eam proprietatem ineſſe Sacramentis, quòd præter gratiam ſanctificantem, quam conferunt non habentibus, vel augmentant jam habentibus, inſuper tribuant certam quandam ſpeciem juris ad nonnulla auxilia actualia, ad finem, in quem Sacramenta ejuſmodi ſunt inſtituta, ſingulariter congruentia: auxilia inquam, quæ vocantur â Theologis gratiæ ſacramentales, quia dantur intuitu & virtute Sacramentorum ſuſceptorum. Cùm itaque finis Sacramenti Baptiſmatis ſit, ut moriamur veteri homi-

ni, vitijs, actibus & concupiſcentijs ejus, & ut vivamus vitâ Chriſti; hinc certum eſt, nos quoque virtute hujus Sacramenti obtinere nonnullas ſpeciales gratias pro aſſecutione finis, in inſtitutione Baptiſmatis præfiniti: quæ gratiæ juſto titulo appellari poſſunt gratiæ baptiſmales, utpote fluentes tanquam rivuli neceſſarij ex fonte Baptiſmatis.

In hoc ultimo ſenſu ſumit Quenellus gratiam baptiſmalem. Non per eam intelligit gratiam habitualem, quæ nos juſtificat, ſed actualem, quâ juvamur ad conſervandum characterem Chriſtiani, qui character conſiſtit in hoc, ut ſimus mortui peccato, & vivamus vitâ Chriſti: jam autem ſecundùm Quenellum gratia ſemper habet omnem effectum, pro quo datur; unde ſequitur neceſſariò, nos ſub motu hujus gratiæ actualis abſolutè mortuos eſſe peccato, adeò quidem, ut nulla in nobis remaneat motio libera ad peccatum.

Non ergò Quenelli mens eſt, ſtatuere in Chriſtiano, qui Baptiſmum ſuſcepit, ſtatum quendam habitualem perfectionis, in quo nullis protſus ſubjaceat fragilitatibus, aut nullos concupiſcentiæ ſtimulos patiatur: ſic enim ſentiendo nimiùm diſcederet ab œconomiâ totius ſui documenti: non ergò quid aliud hìc animo volvit quàm inveteratum propoſitum, ſpecialiſſimâ dictione exprimendi vires invictas gratiæ novæ legis, Chriſtiani fœderis, in quo Dominus ipſemet *dat, quod jubet*: quæ gratia, inquit Quenellus, tam potens eſt & victrix, ut à primo inſtanti, quo datur, nos faciat neceſſariò vivere Chriſto, & mori peccato; ita quidem, ut nobis tam impoſſibile ſit huic gratiæ reſiſtere, & peccare eo tempore quo donatur, ac impoſſibile eſt mortuo, ſe movere pro rebus mundi. Hîc habes ſenſum genuinum præſentis propoſitionis.

Fruſtra igitur prætexit Author ſex Column. (a) „fuiſſe piam & „devotam inſpirationem, quæ optimum Patrem Quenellum permovit, „extendere mentem S. Pauli docentis, quòd Baptiſmus nos debeat fa- „cere mori peccato, ſicut Chriſtus ipſemet mortuus eſt; & quæ ipſum „induxit, ut conſequenter diceret, effectum Baptiſmi eſſe, *ut nos fa-*

(a) pag. 243. col. 4.

„*ciat mori peccato; adeò, ut ſpiritus, cor, ſenſus &c.* Hæc & „talis, adjungit Author ſex Column. eſt reflexio Patris Quenelli, „quàm accepit à S. Baſilio, à S. Gregorio Nyſſeno, à S. Chryſo„ſtomo, & quæ reipsà nihil aliud eſt, quàm Apoſtolica reflexio ip„ſiusmet S. Pauli." Summè fatalis eſt hæc juſtificatio in cauſa Quenelli: ſi enim pietas eſt, explicare textus ſcripturales conformiter deciſionibus Eccleſiæ, profectò ſcelus eſt impiiſſimum, eos ita extendere, donec famulentur phantaſmatibus erroneis hæreticorum.

Dum ergò Apoſtolus dicit, quòd Chriſtiani, per Baptiſmum mortui & ſepulti in Chriſto JEſu, debeant ſeſe conſiderare tanquam mortuos peccato: dum SS. Patres ſuperaddunt, quòd illi, qui prodeunt ex Undis Baptiſmalibus debeant eſſe integerrimè peccato mortui, & quòd hominibus, in fonte iſto ſalutari regeneratis, proprium ſit, exiſtere abſque omni motu pro quibusvis peccaminoſis actibus; per hoc minimè intendunt dicere, primum effectum Baptiſmi eſſe, vel conſiſtere in hoc, quòd faciat ſenſus noſtros mori peccato; quòd gratia Baptiſmalis ſit tam potens & valida, ut nos exuat omni motione liberâ ad peccatum: ſed multò magis & ex adverſo volunt nos hortari, ut ita fideliter reſpondeamus huic gratiæ, & ut ita viriliter mediante ejus auxilio reſiſtamus univerſis inſultibus noſtræ concupiſcentiæ, ne unquam amittamus vitam, in Lavacro regenerationis acceptam, quocunque motu voluntario ad peccatum. Itaque Quenellus non ſolùm reus eſt, quòd hâc propoſitione faveat diverſis erroribus, ſed &, quòd velit pravitatis ſuæ hæreticæ complicem facere ipſummet Doctorem gentium; ejus ſacratis eloquijs affingendo extenſionem indebitam, ac ſenſum tribuendo rectà contrarium.

Finis Tomuli Secundi.

Digitized by Google

SYNOPSIS

Hæreſûm & Errorum,

Qui continentur in Propoſitionibus Quenelli, huic Tomulo ſecundo inſertis.

In I. Propoſitione. *Aſtruitur, Animam, quæ Dei gratiam amiſit habitualem, nihil niſi ad peccandum valere.*

In Prop. II. & IX. *Aſſeritur, gratiam ad omne opus bonum neceſſariam, ſemper eſſe efficacem, nullámque dari propriè ſufficientem his, qui divinis mandatis non obtemperant.*

In Prop. III. & IV. *Dicitur, mandata Dei vana eſſe atque impoſſibilia his, quibus per gratiam efficacem eadem defacto obſervare non conceditur.*

In Prop. V. *Docetur, gratias exteriores, imprimis legem ſcriptam, abſque gratiâ efficaci, quæ cor emollit, non inſervire de ſe, niſi ad illud magis obdurandum: ſicque hunc eſſe proprium earum uſum aut effectum, nec ullum alium in intentione Dei habere, aut habere poſſe.*

In

Digitized by Google

In Prop. VI. VII. & VIII. *Error precedens confirmatur, ſimulque inſinuatur, nullam ſub lege datam fuiſſe ſufficientem gratiam, quâ poſſibilis foret ejus obſervatio.*

In Prop. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXXXII. *Neceſſitantis gratiæ impium Dogma aſtruitur.*

In Prop. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. *Liberi arbitrij cooperatio, in bono opere faciendo, ab operatione gratiæ penitùs excluditur.*

In Prop. XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. *Omnis gratia ſufficiens infidelibus negatur, dum, fidem primam eſſe gratiam, fingitur.*

In Prop. XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII. *Deum velle omnes ſalvos fieri, Chriſtúmque pro omnibus eſſe mortuum, negatur.*

In Prop. XXXIV. & XXXV. *Gratiam Adami naturalem fuiſſe fingitur; ſicque naturæ puræ poſſibilitas reijcitur.*

In Prop. XXXVI. & XXXVII. *Dicitur, gratiam Chriſtianam non in propriâ cujuslibet Perſonâ, ſicut olim gratia ſtatûs innocentiæ, ſed in Perſonâ Chriſti recipi.*

In Prop. XXXVIII. XXXIX. LX. LXI & LXII. *Aſſeritur, liberum hominis arbitrium ſine gratia actuali & ſupernaturali nihil niſi ad peccandum valere.*

NB. Index omnium Paragraphorum & Propoſitionum damnatarum totius operis Anti-Hexaplon habetur ad Calcem Tomuli Tertij.

MAG 4859

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google